ab squalore vetustæ gentilitatis convertere desiderans, sæpe luculenter quidem de talibus vitiis ad eos locutus est. Quumque esset mitissimus ut Moyses, zelatus est legem Domini ut Phinees, tremendi judicii et sempiternorum tormentorum crebris tonitruis retundens lapidea corda, arguens, obsecrans, increpans, in omni patientia et doctrina, instans opportunitate opportuna. A.D. 692–c. 700. 2 Tim. iv. 2.

Lectio III.

Verum quia insanabilibus morbis plerumque officit medicina et ratione obvia augetur insania, ab invidis et persecutoribus Christianæ religionis sæva tempestas contra sanctum Domini excitatur, et veritatis inimici in veritatis assertorem seditiosa peste grassantur et in ejus angelicam vitam falsis figmentis armantur; unde ei Dominica voce beatitudo potius cumuletur: Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Vulgus enim et populus, cujus vita et intentio erat procliva ad malum omni tempore, videns sibi illicita non licere, et assueta vitia relinquere oportere, unde proficere debuit inde contra athletam sanctum Dei in iram et odium et scandalum exarsit, eumque paullatim conjecturis et adinventionibus et rumoribus malis diffamans, inveterata simultate prodita, ab episcopatu eum expulit. Permisit potestas primatis, et admisit hoc excitatus contra eum livor regius. De eo nempe non solum apud regem delatio, sed etiam apud Romanum antistitem[1] ab inimicis et insidiatoribus perlata fuerat accusatio. Tum vero athleta Domini evangelicis exemplis imbutus, quum se vidisset ad certamen vocari, pro salute errantis populi et pro annihilandis inimi- St. Matt. v. 10. Expelled from his see.

[1] *antistitem*] antististitem, MS.

A.D. *c.*700. corum figmentis ad apostolicam sedem intrepidus ire disponit, exemplum Domini et Magistri sui sequens, Qui sciens omnia quæ ventura erant super Eum retrorsum non abiit, nec faciem suam ab increpantibus avertit, sed processit, et quærentibus hostibus ultro se tradidit.

St. John xviii. 4.

Lectio IV.

Goes to Rome to defend himself.

Beatus itaque Egwinus, quia jamdudum causa visitandi apostolos decreverat Romam ire, nunc Raphaele archangelo fretus comite, proficiscitur, et felix exul et penitens beatus supremam juris ecclesiastici sedem adiit. Et quamvis coram hominibus se immunem ab illatis sciret et confiteretur, tamen quia coram Deo peccatis se obnoxium esse non diffitebatur, necnon et pro peccatis plebis suæ errantis profecturus in superni arbitrii et Divini examinis judicio, pedes suos vinculis ferreis astrinxit quæ clave poterant firmari ac reserari, ipsamque clavem in fluvium Avenæ projecit. Vinctus igitur servus Jesu Christi Domini nostri Ecgwinus, æmulatus Petrum fluctus calcantem et Paulum in vinculis gloriantem, tanta difficultate tantisque laboribus pervenit ad apostolicam urbem de vinculis apostolicis gloriantem.[1] O fortissimum victorem laborum, O contemptorem humanarum exprobrationum, O hominem angelis et hominibus admirandum, et tot populis et gentibus spectaculum factum! O virum cunctis imitabilem, nec terroribus concussum, nec blandimentis seductum, nec laboribus vic-

Before leaving England, he binds his feet with iron fetters, and casts the key into the river Avon.

[1] "Sanctus quoque Egwinus "Romam profectus est vinculatus "compedibus. Campanæ urbis, ut "fertur, in ejus adventu per se "sonuerunt, secundum Chronic. "Cistress., libro v. cap. 23." [Marginal note in a later hand.] *i. e.* Polychronicon Ran. Higden, Cestrensis. Gale's Scriptores xv., p. 246.

tum, qui inter corporis sui pressuras et abjectiones nec mundanas laudes captavit nec aspectus hominum recusavit ! A.D. *c.*700.

Lectio V.

Denique ferro vinctis pedibus Romam ingreditur, et, quod maxime quæsiverat, in ecclesia beati Petri apostolorum principis, ad orationem prosternitur. Quod dum vir sanctus vigilanti cura peragit, omnipotens Deus pro servo suo vigilare non desistit. Interim namque famuli ejus pro cibis emendis ad flumen pergunt, quibus venditores piscem offerunt, quo empto et asportato et ex more condiendi exenterato, omnipotentis Dei manificentia compedum claviculam quibus vir sanctus pedes suos astrinxerat in visceribus[1] piscis inveniunt, ferrumque quod Anglicus fluvius absorbuerat, Romanus Tiberis exhalat. Pro antiquo igitur statere piscantis Petri, coram multis redditur clavicula famulo Christi, qua se sciret solvendum gratia ipsius cœlestis clavigeri. Intelligens igitur vir Dei peregrinationi assumptæ inesse fructum et optatæ exauditionis effectum, per omnia voluntati Dei se subjiciens, coram cunctis clavem accepit et vincula quibus astringebatur reseravit. Tanta miraculi novitas in omnes erupit, Romam implet. Qui miserabilis ac noxius putabatur, sanctus et venerabilis comprobatur. Quis illum videre non certabat? Quis ab eo benedici non festinabat? Ipse etiam venerandus papa Constantinus, cognito sancti viri adventu et solutionis compedum miraculo prælibato, auditis etiam laboribus ejus et angustiis in itinere perpessis, illum ad se venire fecit, volentem sibi prosterni digna reverentia detinuit, et quem auctoritate apostolica benedixit propter sanctitatis meritum ab eo benedictionem suscepit.

The key is found in the belly of a fish caught in the Tiber.

Egwin's favourable reception by the Pope.

---

[1] *visceribus*] viceribus, MS.

Lectio VI.

A.D. *c.*700. Condigna itaque a pontifice Romano beatus Ecgwinus exceptus honorificentia, ad celebrandum ante illum missarum solemnia, et ad ejus singulare colloquium et consilium frequenter acciebatur et gratiose audiebatur. Non enim erat sermo ejus fatuus vel inutilis, sed sale spirituali conditus; sanæ fidei doctrinam et Christianæ moralitatis formam sapiebat. Paterno ille hunc affectu amplectebatur; hic per omnia illi debita reverentia subditus obsequebatur. Tandem controversiæ suæ et itineris causa coram ipso Christianitatis summo judice recitata et omnimoda ventilatione examinata et ad votum diffinita, cum apostolica benedictione et literis apostolica consignatis auctoritate, in quibus magnorum dignitas privilegiorum continebatur, cum gloria triumphi ad propriam sedem remeavit in Angliam. Ubi vero nuntii de illius reditu ad regis audientiam pervenerunt, auditis miraculis quæ Deus per servum suum dignatus est operari, plurimum gratulatus jocunda illum suscepit exultatione, et auctoritate apostolica a Britanniarum primate restitutus est in propria sede. Quo in cathedra pontificali restituto, sicut lux orta est justis et rectis corde letitia, sic obstructum est os loquentium iniqua, et omnis iniquitas oppilavit os suum. Sic [ut] dicit Scriptura. Quum justus resurgit, impius emoritur; sic adversarii ejus aut confunduntur aut convertuntur. In ampliorem igitur a rege susceptus amoris gratiam et familiaritatem specialem, ex amico amicissimus, ex familiari familiarissimus apud regem effectus, quæ volebat apud eum facile obtinebat.

He returns to England and is restored to his see.

Ps. xcvii. 11; lxiii. 11; cvii. 42. [Prov. xxiv. 16?]

Received into new favour by King Ethelred.

Lectio VII.

Iisdem sane temporibus locus erat in territorio Wigornensi dumis ac vepribus condensis incultus, qui a modernis Eveshamia appellatur, tunc vero temporis

Egwin obtains from Ethelred the place

Hethomme nuncupabatur. Hunc vir Dei concupiverat, quia ibi clavem in aquam projecerat; et a rege Merciorum Æthelredo expetiit ac obtinuit, in quo pastores gregum ad victualia servorum Dei nutrienda constituit. Ex quibus unus Eoues nomine plura portenta et signa in eodem loco sæpe cernens, quadam die vidit ibidem virginem præclarissimam ipsius solis fulgorem sui splendore devincentem, librum in manibus tenentem, et cum aliis duabus virginibus cœlestia cantica psallentem. Quod quum idem pastor domino suo beato Ecgwino intimasset, vir Domini rem tacitus considerabat, et secum in animo revolvens Dominum Jesum Christum de sacra Virgine natum prius pastoribus gregum per angelum annuntiatum et eisdem in præsepi demonstratum, quod a parvo homine audierat non parvipendebat, sed per se ipsum, invocato Jesu Christi nomine cum jejuniis et precibus, id investigare studuit. Quadam igitur die, expletis nocturnis officiis et vigiliis, summo mane, adjunctis sibi tribus sociis, cum psalmodiis et precibus ad designatum locum nudus pedes pergit, eminusque relictis sociis ipse interius processit, diutiusque terræ accubans cum lachrymis et gemitu implorabat respectum misericordiæ Redemptoris, cum interventu Ipsius sanctæ Genitricis. Surgenti igitur illi ab oratione tres virgines non minoris splendoris et gloriæ quam prius apparuere, quarum quæ media eminebat præcelsior omnique nitore splendentior aliis præfulgebat, liliis candentior, rosis vernantior, odore inæstimabili fragrantior, librum quoque manibus præferens et crucem aurea luce radiantem. Quumque cogitaret hanc Domini Genitricem esse, virgo præcellentissima, quasi favens tam piæ æstimationi, adorantem prætensa quam tenebat cruce benedicit, et cum tali valefactione disparuit.

(called Hethomme) where he cast the key into the Avon.

Vision seen there by Eoves, one of the King's herdsmen. A.D. 702 or 703.

The same vision of the B. Virgin seen by Egwin.

Lectio VIII.

A.D. 703. He dedicates the place to God and the B. Virgin.

Gavisus itaque vir sanctus super his, intellexit esse divinæ voluntatis ut locus ipse Dei cultibus conservaretur et propitiationi sæculorum Ipsius beatæ Genitrici consecraretur. Voverat enim ab olim inter varias temptationum angustias, si Dominus prosperum faceret desiderium suum, ædificaturum se Domino templum; unde, modo nactus locum tanto indicio a beata Maria præelectum, Deo et ipsi Dei Genitrici ad solvendum votum eundem deputavit locum. Ipsum igitur protinus emundavit, opus a Deo præsignatum inchoavit et decenter ad finem perduxit, possessionibus etiam multis a regibus Angliæ impetratis eundem locum ditavit. Modico post hoc tempore, Kenredus rex Merciorum, anno videlicet quinto regni sui, et Offa rex Orientalium Saxonum, Romam ire pergentes, cœnobii quod construere cœperant auctorem beatum Ecgwinum et magnam itineris sui causam, veluti testem tam manifestæ ostensionis beatæ Virginis Mariæ, socium ejusdem itineris sibi acciverunt. Hunc vero laborem beatus Ecgwinus libens subiit, ut ecclesia quam exstruxerat a Romano pontifice omnimodam libertatem ab episcoporum subjectione obtineret. Quod et ipse Kenredus rex, ad quem jus patronatus ejusdem ecclesiæ pertinebat, omnimodis procurabat. Igitur Romam amica itineris societate profecti, coram summo pontifice Constantino, qui tunc apostolicæ sedi præsidebat, causas itineris sui aperuerunt, et plurima de beneficiis suis regia libertate contulerunt in loco ostensæ visionis, immo manifestæ ostensionis beatæ Virginis, sicut ipse summus Pontifex in privilegio suo asserit, et de ipsa ostensione æque ita certum esse tenendum præcipit quemadmodum de beati Ecgwini bonitate non dubitavit. Ipsas vero donationes et beneficia præfati reges in ipsorum privilegiis nominatim determinaverunt et apostolica auctoritate corroborari fece-

Egwin goes to Rome with the kings Cenred and Offa. A.D. 709.

Privileges granted to Egwin's foundation.

runt; et eundem locum sub testimonio tantæ auctoritatis ita ampliatum, totum liberum quoad temporalia, Deo et sanctæ Ejus Genitrici et beatis apostolis Petro et Paulo contulerunt. Summus vero pontifex locum illum ut sibi donatum, quem regia potestas regiæ libertati donavit, et ipse auctoritate Dei et sanctorum apostolorum et sua quoad spiritualia donavit, sicut in ipsius privilegio continetur. Omnibus igitur itineris sui causis rite peractis et ad votum completis, cum benedictione apostolica, prospero gressu, in Angliam sunt regressi. Quo dum venissent, secundum formam mandati apostolici a Brithwaldo, Britanniarum primate, illis in partibus in quibus manifestatio habita fuisse refertur, concilium totius Angliæ, episcoporum videlicet sacrique ordinis religiosarum personarum optimatumque regni cum proceribus suis, coactum est. A.D. 709.

Lectio IX.

Concilio itaque de grege Dominico ex mandato apostolico in nomine Domini coadunato, et privilegiis tam summi pontificis quam regum in communi perlectis, cuncti laudem et gloriam Deo dederunt, et clamantes dixerunt, "Benedictus Deus Qui per servos suos talia "operatur et præparat in terris unde animæ salventur "in cœlis. Nos vero quicquid in hac constitutione papa "venerabilis exercet et imperat, suscipimus et laudamus; "quicquid vero reges et principes nostri in loco "Ethomme contulerunt, concedimus et confirmamus." His vero ita expletis, et soluta in pace universa quæ illuc convenerat concione, sicut sancta synodus decreverat beatus Ecgwinus et Wilfridus episcopus ad locum præfatum perrexerunt, et ipsum in honore Dei et beatæ Ejus Genitricis et apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum in festivitate eorundem dedicaverunt. Et ex præcepto apostolico constituta est ibidem con-

The royal grants confirmed at the council of Alcester, A.D. 709. [Wilkins, Concilia, i. 72.]

Consecration of Evesham by Wilfrid, archbishop of York. A.D. 709.

A.D. 709. gregatio monachorum quæ minus in illis partibus tunc habebatur, ovile videlicet divinitus præostensum, apostolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, cleri et populi benedictione sancitum. Postquam vero beatus Ecgwinus optatum diem vidit quod locus quem extruxerat dedicaretur, et monachilis ordo ad serviendum Deo inibi constitueretur, jam exinde omissis terrenorum negotiorum curis, se ad contemplativum vitæ contulit statum. Exemplum etiam Domini secutus se humiliando, episcopali sede dimissa, inibi effectus est abbas. Et idcirco justum videbatur summo pontifici, sicut ipse testatur, ut eadem ecclesia ampliorem dignitatem a sede apostolica merito sui obtineret. Constituit igitur in nomine Domini ut isdem locus sub monarchia proprii abbatis liber existeret, et ut omnis qui hæc quæ ipse statuit destruxerit aut male contaminaverit vel infringere voluerit, seu in loco monachorum clericos immittere tentaverit, sit maledictus et anathema coram Deo et angelis Ejus imperpetuum; ille vero qui hæc conservaverit et adauxerit quod benedictionibus repleatur et a Deo in æternum conservetur exoravit.

Egwin resigns his see. *c.* 710.

Lectio X.

Multas etiam alias libertates et immunitates et episcopales dignitates, quibus idem monasterium usque in hodiernum diem excellentissime pollet, contulerunt postmodum Romani pontifices eidem loco, tum ut sancto et sibi donato, tum ad honorem beatæ Dei Genetricis Mariæ quæ eundem sibi elegit, tum ob reverentiam beati Ecgwini episcopi; quæ in privilegiis ejusdem cœnobii expresse continentur, et cum summa reverentia et cautela diligentissima et cura exactissima ibidem observantur. Indutus igitur monachum vir Dei Ecgwinus cœpit amplius verbis et doctrinis pluere, virtutibus et miraculis coruscare, curas mundi postponere,

damna rerum temporalium simplici animo tolerare: ut de eo veraciter posset dici quod antea dictum fuerat in prophetis, Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? Et sicut dicit Apostolus, Nostra autem conversatio in cœlis est, ita iste sanctus conversabatur in terris ut animus et intentio ejus semper esset in cœlis. Sacræ insistebat lectioni; debitis castigabat corpus inedia et vigiliis. Humilis erat in habitu, in sermone jocundus, in prædicatione devotus, in moribus venerabilis, in orationibus pervigil, in lectione assiduus, in vultu angelicus, in affectu pius, in virtutibus admirabilis, in bonitate amabilis, in pietate laudabilis, multis etiam fulgens miraculis. Nam, ut cætera omittamus, inter lachrymas et singultus quæ nocte ac die indesinenter omnipotenti Deo fundebat, sæpe angelorum visitationibus demulcebatur, et aliorum sanctorum qui de hoc sæculo excesserant continuis consolationibus refovebatur. Beatam vero Dei Genitricem Mariam ita toto affectu et spiritu, toto corde et amore amplectebatur, ut nunquam a memoria ejus exciderct, nunquam in verbis ipsius deesset; cujus visitatione et consolatione servus Dei recreatus, omnia quæ mundi erant omittebat, et quæ Dei erant indesinenter exercebat. Miseris condolebat, pauperes recreabat, esurientes pascebat, sitientes potabat, nudos vestiebat, infirmos visitabat, mortuos sepeliebat, orphanis et viduis, secundum Apostolum, solamen exhibebat, et ab hoc sæculo immaculatum se custodiebat.

A.D. 710-717.

Isaiah lx. 8.

Philipp. iii. 20.

S. James i. 7.

Lectio XI.

Virtutum itaque universarum avidus executor et vitiorum insectator beatus Ecgwinus, ubi ad cygneam ætatis speciem pervenit, Omnipotentis Dei nutu, Qui sanctos suos salubriter verberat, in monasterio quod construxerat in diutinam decidit ægritudinem. Quam quum patientissime amplecteretur, mortemque sibi jam

A.D. 717. instare persensisset, coram fecit adesse filios quos Deo genuerat, et eos hac extrema monuit adhortatione. " Vixi, fratres, apud vos, nec pudet vixisse. Feci " enim quod potui, quamvis omnino exiguum sit quod " feci. Quid agere et a quibus vos oporteat declinare " dixi, quibuscumque modis dicendum esse existimavi. " Ostensa igitur rectitudinis via precor ut gradiamini. " Quæ enim in futuro retributio? Si gaudium, erit " æternum; si tormentum, erit perpetuum. Nil vero " inter utrumque medium. Nec vos decipiat præsentis " umbra felicitatis. Fugit enim velut umbra, et nun- " quam in eodem statu permanet. Ipse Qui Via est, " Veritas et Vita, viam iniquitatis a vobis amoveat, " viam justificationum suarum vos instruat, illamque " amovendo et hanc instruendo felici perseverantia " vos ad vitam perducat æternam." Et Patri eos immortali commendans, accepto viatico, plenus dierum et plenus virtutum vita excessit, tertio Kalendas Januarii. Quantus vero exinde mœror fuerit in fratribus monasterii, quantus in principibus et optimatibus patriæ dolor, quanta tristitia in clero, quanta desolatio in populo, quanta in viduis et orphanis et pauperibus acclamatio, supersedemus dicere quia non possemus edicere. Perdiderant enim principes regni optimum in sæcularibus consiliarium, clerus doctorem et magistrum præcipuum, populus rectorem et judicem justissimum, pupilli et orphani dispensatorem largissimum.

Death of Egwin, 30 Dec. A.D. 717.

Lectio XII.

His burial. Concurrit igitur ordo monasticus, occurrit et clerus ad beati viri exequias; ruunt catervatim populi utriusque sexus ad tanti viri exuvias. Una ex parte funebria personabant; alia ex parte cantica lætitiæ resonabant; hinc luctus et lachrymæ quia defunctus erat, inde gaudium et exultatio quia cœlum obtinebat. Triumphi quodammodo celebritas videbatur, non funeris.

Celebratis igitur missarum solemniis et aliis ex more peractis obsequiis, positum est corpus ejus cum debito honore in loco quem prius elegerat sibi. Apposuit epitaphium scriptor, non leonina dictatum cantilena, sed simplici commendatum stilo et descriptione non ficta. A.D. 718.

Epitaph.

" Rupe sub hac vili tegitur vir summus, et urna
" Clauditur angusta quem subvehit alta per orbem
" Veri fama volans. Genus hic spectabile duxit,
" Et mores habuit præclaros magnaque gessit.
" Ecclesiam fecit Eovesham quam modo dicunt,[1]
" Ditavit terris, et multa nobilitavit
" Libertate locum. Qui regni jura tenebat
" Omnimodam scripsit; subscripsit curia regni,
" Et qui Romanam sedem tunc papa regebat,
" Confirmavit eam proprio testante sigillo.
" Vita migravit quum solis per Capricornum
" Tertius ac decimus medians[2] existeret ortus."

Multis miraculorum signis in eodem loco Deus evidenter postea monstravit quanta sanctus vir Ecgwinus apud Eum gratia in cœlis eminebat. Orbatis lumine lumen ad ejus nominis invocationem restituebatur, auditu privatis auditus reddebatur, debilibus virtus amissa reformabatur et omne ab eis infortunium amovebatur. Nec solum ab incommodis exterioribus per ejus merita consilium obtinebatur, verum et ab interioribus animarum incommoditatibus auxilium divinitus adipiscebatur. Super his ergo viri sancti fama per patriam divulgata, ad impetranda tam corporis quam animæ remedia frequentia populorum ad eundem locum veniens, multa ipsum celebritate longe lateque in sublime attollebat, ad gloriam et laudem Ipsius Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per om-

[1] Ecclesiam fecit quam nunc dicunt Eovesham. Godwin, De Præsul.; Leland, Collectanea, i. 300.

[2] *medians*] moderans. Leland, ibid.

nia sæcula sæculorum. Amen. Attollant igitur poetæ quanta velint amplificatione Babylonem mirifice turritam, Niniven trium dierum itinere spatiosam; nos ista jure attollimus et attollendo præferimus ædificiorum mœnia. De illis ad inanem sæculi pompam exstructis
Eccl. xii. 8. ait Ecclesiastes, Vanitas vanitatum et omnia vanitas:
Ps. lxxxvi. 3. de istis testatur Scriptura, Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Non solum enim ex insensibili materia ibi Deo ædes constituuntur, verum ex rationali atque immortali animarum substantia gloriosæ et perennes domus ibi ædificantur. Illorum magistratus, quia in armis, in curribus et in equis confidit, obligatur et cadit: horum ducatus, in nomine Domini spem sibi totam affigens, ad certamina expeditus assurgit erectusque persistit. Nulla hunc exercitum violentia
Rom. viii. 35. superare potest; quis enim, secundum Apostolum, separabit eum a caritate Christi? Nulla prorsus tribulatio, seu ferri, seu inediæ, seu algoris, seu cujuslibet terreni furoris. Nulla denique hunc astutia subvertet, quoniam hæc acies spiritualiter die ac nocte in excubiis suis
Cant. iii. 8. perstat, sicut in Canticis Canticorum dicitur, Uniuscujusque viri ensis super femur suum propter timores nocturnos. Quid plura? Eum habet tutelam et propugnatorem Qui suos milites ad hæc bella mittens
St. John xvi. 33. et adhortans, ait, Confidite; Ego vici mundum. Quem ambitum civitatis et murum? Qui nullo ariete labari, nullo adversariorum impulsu potest impelli, quoniam
Is. xxvi. 1. Ipse Salvator ponetur in ea murus et antemurale.
Ps. cxx. 4. Nulla suffodi potest fraudis machina, quia non dormit neque dormitat Qui custodit Israel. Horum ergo Christi pugionum castra sunt ista beati Ecgwini ædificia et alia per orbem monachorum cœnobia. Hæc autem scripsimus propter poeticas in sæcularibus gestis acclamationes et propter eos qui rei gestæ simplicem annullare solent stilum nisi variis verborum fucis veritas depingatur, depingendo varietur, variisque immutata figuris veritas non esse videatur.'

Nunc autem redeamus ad ea quæ, ut vitæ historiam seriatim texeremus, in vita sancti Ecgwini interserere prætermisimus. Nulli enim unquam sacrorum dogmatum scriptori contigisse legimus, tum ob sui ipsius insufficientiam, tum ob rei scribendæ ineffabilitatem, tum ob lectorum fastidium, quin[1] aliqua memoria digna in suis scriptis inserere omiserit. Unde beatus Johannes Evangelista, Multa alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc. Sic et nos quum caritati vestræ vitam sancti Ecgwini scriberemus, ne fastidiosis lectoribus tædium generaret prolixitas, multa omisimus quæ hic stilo commendare dignum duximus, quorum quædam in ejus sacra depositione, quædam vero tantum in ejus sanctissima translatione sunt legenda. Et primum cartam beati Ecgwini scribamus quam post dedicationem ecclesiæ Eveshamensis dictavit. Unde plures in ea denotantur possessiones quam in illa quæ Romæ confecta erat vel in illa quam Brithwaldus dictavit, illæ videlicet quas beatus vir medio tempore inter cartarum confectionem adquisivit. Multas enim postea beatus Ecgwinus ecclesiæ Eveshamensi adquisivit possessiones, quæ omnes sub eadem libertatis forma a regibus eidem ecclesiæ sunt collatæ sub qua et illæ quas Romæ fecerat confirmare. Est autem forma cartæ hujusmodi.

St. John xx. 30.

Carta Beati Egwini Episcopi.

In nomine Domini nostri Salvatoris Christi. Ego Egwinus Wictiorum humilis episcopus volo manifestare in ista carta qualiter ego primum per Sancti Spiritus inspirationem istum locum elegi et monasterium ædificavi in Homme, in honore Omnipotentis Dei et sanctæ Mariæ Virginis. Contigit quodam tempore, ut ego breviter hic narro, quod ego sæpe in laboribus multarum visionum ductus fui. Qua de re arsit mihi in animo per Sancti Spiritus inspirationem, quod ego, si Dominus

Egwin's foundation charter. A.D. 714.

[1] *quin*] qun, MS.

A.D. 714. prosperum faceret desiderium meum, unum locum ædificare deberem ad laudem Domini mei et sanctæ Mariæ Virginis et omnium Christi electorum, et etiam mihi ad æternam retributionem antequam ab ista mutabili vita discederem. Postquam igitur ab urbe Roma reversus fui ubi clavem in ventre piscis inveni quam in fluvium juxta Hethomme projeceram, cogitans locum illum sanctum, concupivi eum, et quum tunc maxime florerem in diebus Ælredi regis Merciorum, cœpi eum benigne precari ut mihi concedere dignaretur eundem locum qui Ethomme vocabatur. Satis ille libenti animo quod poscebam concessit, quia et Dei amicus et salutis animæ suæ erat studiosus. In quo loco quum beata Virgo Maria cuidam pastori gregum, Eoves nomine, comparuisset, (ob cujus viri sanctitatem eundem locum Eoveshamiam nuncupavi,) et ipse eandem apparitionem mihi intimasset; statim, subjunctis jejuniis et orationibus, ad eundem locum nudus pedes, adjunctis mihi peccatori tribus sociis, accessi, et eandem gloriosam Virginem clara luce ibidem manifeste videre merui, et quum cruce aurea quam manu gestabat mihi benedixisset, disparuit. Tanto itaque indicio nactus locum proposito meo congruentem, statim illum emundavi, et opus a Deo præsignatum inchoavi. Ad quod complendum dedit mihi Ælredus rex Stratfordam et castellum de Chadelburi, et illud vetus monasterium quod Fladeburi nominatur, quod sibi evenit ex hereditate uxoris suæ, Ostrith vocatæ,[1] et ego illud vetus monasterium dedi Æthilhardo Wictiorum subregulo pro terra quæ erat in Stratforda quam injuste occupaverat. Postquam vere Æthelredus rex factus est monachus, Kenredus qui successit ei in regnum Merciorum et Offa rex Orientalium Anglorum, de hereditate quæ illum contingebat in regno Merciorum, dederunt eidem ecclesiæ octoginta quatuor mansas in circuitu loci illius qui dicitur Homme, in utraque parte fluvii illius qui vocatur Avena, in possessionem ecclesiæ, pro remedio animæ suæ et successorem suorum. Post parvum denique tempus a prædicti reguli fratre, Oswardo nomine, aliam terram obtinui, id est, viginti mansas in loco qui Twiford appellatur. Et post hæc Ælthilricus, Osheri regis filius, et Balterius, religiosus sacerdos, uterque eorum octo mansas pro divina religione; et ita completæ[2] sunt ecclesiasticæ possessiones cxx. mansæ, sicut infra scriptum est, et in libro manifestatur terra et termini ejus quem scripsit Brythwaldus archiepiscopus et dictavit consensu principum quorum nomina infra notata sunt. Post duos annos Aldelmus religiosus episcopus migravit ad Dominum, quod ego per re-

[1] *vocatæ*] vocata, MS.

[2] *completæ*] completi, MS.

velationem agnoscens, convocatis fratribus et obsecundariis meis, excessum venerandi patris eis aperui; concitoque gradu ad locum ubi sacrum corpus ejus jacebat, quinquaginta ferme milibus ultra Meldunense monasterium[1] positum deveni, et ad sepulturam adduxi et honorifice sepelivi, mandans ut in quocunque loco sacrum corpus in asportatione pausaverat sacræ crucis erigerentur signacula. Post non multum tempus famosus rex et mihi plurimum amicus, Kenredus, et Offa rex Orientalium Anglorum, Romam ire disponentes, rogaverunt me ut comes et socius itineris eorum existerem. Quod negotium, tum quia omnino eramus obnoxii ad invicem, libens concessi, tum quia cœptum opus ad optatum finem jam expleveram, ipsumque opus apostolica confirmari auctoritate optabam, et ab ipso in posterum eidem ecclesiæ omnimodam libertatem ab episcoporum exactionibus obtinere satagebam. Volebat, monebat, etiam ut id procurarem rex Kenredus ad cujus hoc patrocinium attinebat. Igitur Romam amica itineris societate profecti, ad limina sanctorum Apostolorum conscendimus ac debitas Deo gratias exsolvimus, quia tam nos quam omnia nostra incolumes et jocundi ieramus. Dein Romanæ et apostolicæ apicem dignitatis debita cum reverentia adeuntes, coram [eo[2]] ingressi, benigne satis et ad votum ab eo fuimus excepti. Postulata et accepta coram eo dicendi licentia, itineris et laboris nostri causam sibi aperuimus, ejusque consilium et auxilium exquisivimus. Audivimus optata dignationis ejus responsa, et ex condicto quæ disposueramus vota et dona Deo sub testimonio tantæ auctoritatis offerentes, donavimus Deo et sanctis Apostolis Ejus et ecclesiæ Romanæ sub manu et dispositione Romani papæ cœnobium Eoveshamense quod exstruxeramus multis possessionibus ampliatum; totumque liberum coram Deo et sanctis Apostolis Ejus et coram summo Christianitatis pontifice ipsum locum esse concessimus, fecimusque apostolica et regia corroborari auctoritate donationes et privilegia quæ illi loco concesseramus. Præsidebat tunc Romanæ sedi reverendus papa Constantinus; cujus literas et auctoritatem et confirmationem super hac donatione et libertate cum impressione ipsius sigilli suscipientes, admodum lætati sumus. His ita omnino ad libitum nostrum expletis, expetita ab apostolico benedictione, summo cum tripudio reditum aggressi, arridente nobis felici fortuna, prosperrimo rerum omnium nostrarum statu, in Angliam sumus reversi. Deinde post parvum tempus reversionis nostræ, ex mandato apostolico fuit sapientum conventus in loco qui Alneceastre vocatur, et Kenredus rex omnibus quod Romæ feceramus notificavit, nobis ad æternam retributionem et successoribus nostris; A.D. 714.

The Witenagemot at Alcester.

[1] *monasterium*] manasterium, MS. | [2] Inserted by a later hand.

A.D. 714. et omnes bene salutavimus, et apostolicam benedictionem sub papæ sigillo dedimus; et ipsi læti illud idem confirmaverunt verbi et fidei jussione; et Bryhtwaldus archiepiscopus ex ore omnium et terram loci et libertatem in carta descripsit. Tunc elegerunt sapientes ut dominus Wilfridus episcopus et ego privilegium idem ad locum eundem afferremus. Eadem[1] autem die qua illuc pervenimus Omnium Sanctorum erat festivitas, et eadem die Wilfridus episcopus et ego ecclesiam quam construxeram[2] Deo et sanctæ Mariæ et Christi electis omnibus consecravimus, et cartam cxx. mansarum et loci libertatem quæ hic continetur super altare posuimus, et sic coram omnibus locuti fuimus: — "Domine Deus, Qui in cœlis "habitas et omnia creasti, conserva illum qui locum istum "pacificabit et conservabit, et hanc Dei hereditatem et hanc "libertatem confirmabit quam Deo obtulimus. Nos etiam "præcipimus in Dei Omnipotentis et omnium virtutum cœles- "tium nomine, ut neque rex, neque princeps, neque minister, "nec ullius ordinis homo, id præsumat ut locum istum sanctum "diminuat, aut sibi in privatam potestatem aliquid vindicet[3]; "sed sit locus hic, ut nos optamus, gregibus et Dei pastoribus "ejusdem loci in usum, et bene dispositus in potestate proprii "abbatis secundum regulam Dei et beati Benedicti. Si autem "aliquis (quod absit!) avaritiæ spiritu arreptus vertere velit, "judicetur ante tribunal Dei, et nunquam in Christi veniat "memoriam, sed nomen ejus deleatur in ævum de libro viven- "tium, et ligetur æternarum pœnarum nodis in inferno, nisi in "hac vita pœnitens emendet. Si quis autem has res bene "conservare voluerit, Dominus Deus et omnes Sancti Ejus "conservent eum, et lætificent animam ejus in terra viventium, "et dent æternam mercedem in hac vita et in futura[4]."

Hujus privilegii descriptio scripta fuit ab Incarnatione Dominica anno DCCXIV., horum testimonio quorum nomina infrascripta videntur, post parvum tempus migrationis beati Guthlaci de hoc sæculo. "Ego Kenredus, rex Dei dono Merciorum, "venerando episcopo Egwino hanc libertatis donationem con- "cedens, dono et signo agiæ crucis Christi munio. Ego Offa, "rex Orientalium Anglorum, hanc præfatam donationem in "nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis sub crucis sigillo "concessi et subscripsi. Ego Brythwaldus archiepiscopus hanc "donationem sub sigillo sanctæ crucis confirmans subscripsi." Et multi alii subreguli, episcopi, abbates et presbyteri subscripserunt, sicut in authentico habetur.

---

[1] *Eadem*] Eeadem, MS.
[2] *construxeram*] contruxeram, MS.
[3] *vindicet*] vendicet, MS.
[4] *futura*] futuro, MS.

Hæc nos pæne verbum ex verbo subsecuti sumus, sicut ipsemet vir sanctus in cartis suis ex maxima parte scribendo est prosecutus. Et licet scriptorum non sit eadem manus, ejusdem manus et stili seriem fideli relatione summatim transcripsimus.

Ecce audistis, fratres mei dilectissimi, in ista carta, (ne lucerna accensa sub modio absconderetur, sed, ut luceret omnibus qui in domo Domini sunt, super candelabrum poneretur, et videntes bona opera beati Egwini glorificemus Patrem nostrum Qui in cœlis est,) quanta per eum Dominus clara opera et miraculosa, dum adhuc ista mutabili luce frueretur, operari dignatus est. Quorum quædam, quia in vita ejusdem ea vobis plenius scripsimus, dilucidare hic non oportet. Sed hoc est mirabile in oculis nostris, quod beatus Ecgwinus in hac peregrinatione positus tam per multa locorum intervalla longe distantia quam prope posita in spiritu cognovit. Ecce enim, audistis qualiter excessum religiosi antistitis Aldelmi per revelationem cognoverit. Quum enim gloriosi præsules, beatus videlicet Ecgwinus et sanctus Aldelmus, ita mutuo caritatis vinculo se ad invicem diligerent et sibi confœderarentur, ut non solum eædem dignitates, quum uterque esset episcopus et abbas et uterque binas regeret ecclesias, sed et morum gravitas et vitæ sanctitas vere faceret spirituales esse germanos; tanta circa eos caritas effulserat, quod sicut in vita sua dilexerunt se, ut quamvis corpore separarentur, tamen in morte spiritus eorum non sunt separati. Quis ergo non credat eorum spiritus conjungi in cœlis, quamvis eorum corpora separarentur in terris, quorum in mortis articulo, ut frater fratri funeris obsequia exhiberet, tam subito et tam miraculose spiritus et corpora conjungebantur. Sed in his, sicut in beatis Ambrosio et Martino, Omnipotentis Dei sunt collaudanda magnalia, circa quos consimile miraculum contigisse non ambigitur, ad Ejus laudem et honorem Qui in sanctis suis semper et ubique est glo-

St. Matt. v. 15.

riosus ; Qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

Qualiter beatus Ecgwinus aquam de terra produxerit.

Egwin, while crossing the Italian Alps, obtains a miraculous supply of water.

Denique non prætereundum esse decrevimus memorabile miraculum quod per servum suum beatum Ecgwinum hoc itinere Romano manifeste operari dignatus est Dominus. Quadam itaque die quum sanctus vir et qui cum eo erant per abrupta montium iter agerent, venerunt in terram in qua non erat aqua. Populo igitur præ angustia laboris et fervore caloris sitiente, nec unde situm relevaret habente, quia beatus Ecgwinus in tanta veneratione a compatriotis habebatur, quidam, sanctitatis viri Dei increduli, similes populo quondam Israelitico, quasi ab altero Moyse a beato Ecgwino petierunt aquam ad bibendum. Alii vero fideles, incredulos increpantes, de viri sanctitate plenam fiduciam reportantes, ex fide plena, caritate non ficta et spe certissima ut sic pastorali cura eis subveniret, hoc idem a beato viro postulabant. De quorum fide confisus beatus Ecgwinus simul cum ipsis in orationem se prostravit, et facta oratione cum lachrymarum flumine, ecce, subito in medio illorum ex arida terra fons erupit aquæ limpidissimæ. Igitur prius increduli, viso miraculo, ad veritatem conversi, credentes vero in fide roborati, voces ad sidera tollentes laudes Altissimo dederunt, et, tam divino miraculo confortati [1] quam aqua divinitus data cum paucis cibariis quæ secum habebant refocillati, in fortitudine cibi et potus illius diætam alacriter peregerunt. Factumque est sic ut qui prius a multis justus ignorabatur tunc ab eisdem sanctissimus haberetur, simul omnibus qui aderant Deum collaudantibus Qui in sanctis suis semper est et ubique mirabilis.

[1] *confortati*] conconfortati, MS.

Et condigne satis. Futurum enim erat ut, eo reverso in patriam, ex ore ejus fluerent aquæ vivæ, salientes in vitam æternam, et per verbi ejus attractum ex montuosis et saxosis cordibus auditorum Divini gratia amoris et spiritualium dulcedo prosiliret virtutum, ad Ejus gloriam Qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De Subversione Alecestriæ, et quare fabri ibi vigere non possunt.

Miraculous destruction of Alcester.

Quoddam miraculum per beatum Ecgwinum dum adhuc luce hac frueretur perpetratum, stilo perfectius commendandum nostris temporibus est reservatum. Quod ideo in vita sua neminem prædecessorum nostrorum scripsisse credimus, quia per ipsius facti evidentiam et publicam notitiam ejusdem miraculi dignam adhuc habeamus memoriam, nec ab hominum recedat memoria quod adhuc probatur fide occulata. Sed quia fugacis ævi longinquitas gestorum solemnium memoriam abolet, et quæ publice facta fuerunt profunda oblivione sepeliendo tanquam infecta reddere festinat, longævo veracis scripti testimonio illud posterorum memoriæ tradendum dignum duximus. Tale quid circa illum divinorum secretarium, beatum videlicet Johannem Evangelistam, contigisse legitur: quum enim tres Evangelistæ prius eo scripsissent Evangelium, nullus illorum in serie sui Evangelii illa duo præcipua, immo, quamvis mirabilia universa Domini opera, præ cæteris tamen excellentiora[1] mirabilia, de cœci nati illuminatione et de quatriduani Lazari scripsit resuscitatione[2]; quamvis tamen beato Hieronymo mirabilius videatur quod Dominus noster Judæos ementes et vendentes in templo, ubi idem Judæi dominabantur, flagello ex funiculis facto de eodem templo ejecerit, quod immensus exercitus[3]

[1] *excellentiora*] excelltiora, MS.
[2] *resuscitatione*] resucitatione, MS.
[3] *exercitus*] excercitus, MS.

facere non poterat. Sed hoc, quod de cæco illuminato et Lazaro resuscitato scribenda beato Johanni sunt reservata, non solum ob beati Johannis prærogativam factum esse credimus, immo etiam propter ipsorum miraculorum excellentiam et publicam notitiam. Hæc enim duo Domini facta inter ea quæ gessit in corpore præ cæteris lucentia propter sui magnitudinem et facti solemnitatem in tantam admirationem et venerationem, ut a sæculis inaudita, hominibus facta sunt, quod tribus Evangelistis necessarium non videbatur ea per scripturam memoriæ hominum commendare, quæ se per sui prærogativam omnium mentibus inscribebant. Sel ille vere theologus, non solum memor præteritorum sed etiam cognitor occultorum et præsagus futurorum, Johannes videlicet Evangelista, futurum certissimus quod superabundaret iniquitas et multorum refrigesceret caritas, quamvis et ille multa scribere omisisset, (sicut idem testatur dicens, Multa et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc,) tamen hæc propter ipsorum et sui ipsius prærogativam et privilegii dignitatem Evangelio suo interseruit, ne, refrigescente caritate, eorum ab hominum mentibus memoria recederet, quod et tunc pro parte apud quosdam accidisse conspexerat. Unde et nos, vix præterita vel pauca ad memoriam revocantes, præsentia non intelligentes, futura penitus ignorantes, posteris super ignorantia præcaventes, miraculum illud stilo commendamus quod nos facturos prius caritati vestræ promiseramus.

St. John xx. 30.

Quum igitur beatus Ecgwinus operibus caritatis totus affluerent et indesinenter insisteret, maxime tamen totis viribus prædicationi operam dedit, sciens quia "qui "converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit "animam ejus et operiet multitudinem peccatorum." Erat itaque juxta Evesham castrum, Alnecestre nomine, tunc temporis Angliæ famosissimum, regale videlicet mansum, et regiæ mansioni aptissimum, veluti nemoribus consitum, fluminibus piscosis et rivulis jo-

St. James v. 20.

cundis circumdatum, necnon muris et turribus vallatum. Sed quia multotiens ex adipe prodit iniquitas, quanto magis rerum terrenarum opulentia et temporalium bonorum abundantia ejusdem loci habitatores affluebant, tanto magis gulæ et luxuriæ dediti, vacantes ventri et lateri, studentes avaritiæ et cupiditati, misericordissima Dei clementia se indignos efficiebant. Horum siquidem perpetuæ ruinæ et animarum jacturæ compatiens beatus Ecgwinus, eorum opinioni et errori succurrendum putavit. Fervebat namque beati viri circa idem castrum ardentius caritas eo quod in eodem loco, ex mandato apostolico, a Brithwaldo Brittaniarum primate, concilium totius Angliæ, episcoporum videlicet sacrique ordinis religiosarum personarum optimatumque regni cum proceribus suis, fuit pro eo et per eum non multo prius coadunatum; et ibidem in nomine Domini, privilegiis tam summi pontificis quam regum in communi perlectis, Eoveshamense cœnobium sit liberum denuntiatum, et, ex præcepto apostolico, ab inde progredientibus episcopis in ecclesia Eoveshamensi sit congregatio monachorum constituta, quæ minus in illis partibus tunc habebatur, ovile videlicet divinitus præostensum, apostolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, cleri et populi benedictioni sancitum, sicut privilegia ejusdem ecclesiæ testantur. Ad hunc ergo locum accedens beatus Ecgwinus, obsecrando, increpando, verbum Dei annuntians opportune, importune, in omni mansuetudine et pietate, in omni patientia et doctrina, illis gentibus prædicavit regnum cœlorum, et non tacuit vitia eorum. Sed gens illa absque consilio et sine prudentia, et cervicis duræ, immo induratæ, nec assueta vitia relinquere nec saluberrimis monitis sancti viri volebat adquiescere, sed nec ejus salutiferæ doctrinæ aliqua ratione obviare, neque sapientiæ et spiritui qui in eo loquebatur poterat resistere. Unde, et quum palam nec posset nec auderet dicere, Recede a nobis quia vias tuas nolumus, ne verbum Dei disseminaretur varias discurrit ad artes. Quum enim castrum

Job xxi. 14.

illud, veluti nemoribus undique consitum, conflandi ferrum locus esset aptissimus, et fabris et ferri exclu-
The smiths of Alcester drown Egwin's preaching with the noise of their hammers and anvils.
soribus maxime repleretur, gens incredula, detestabilior populo qui in prædicatione beati Stephani ne audirent verbum Dei aures suas obturabant, incudes ferreis malleis quibus maxime abundabat per plateas et vicos castri circumquaque tanto strepitu continue percutiebat, ut beati viri sermo non audiretur et ut a castro recedere cogeretur. Beato igitur Ecgwino castrum exeunte, immo jam longe a castro agente, præ concussione, immo confusione, malleorum et incudum adhuc tinniebant ambæ aures ejus acsi percutientes incudes eum sequerentur; et respiciens neminem vidit nisi solum discipulos suos, et levatis in cœlum oculis, flexis in terra genibus, contra artem fabrilem castri illius Dominum imprecatus est. Res mira et omni admiratione digna! Dominus, dicti sui non immemor, Qui vos
St. Luke x. 16.
spernit Me spernit, Se in servo suo contemptum et repulsum reputans, non tantum castri illius arti fabrili maledixit, sed et ipsum castrum subvertit. Nam castrum ipsum terra absorbuit; ita quod, novo super veteri qualitercumque re-edificato, usque in hodiernum diem in constructione novarum domorum in fundamentis earum antiqua ædificia reperiuntur. Justo etiam Dei judicio, Qui ipsum locum et ejus habitatores in eo in quo deliquerunt punivit, per quingentos annos et amplius usque ad tempora nostra pœnam eis inflixit, duraturam quamdiu Ei Qui inflixit placuerit, videlicet,
No smiths ever able afterwards to ply their trade at Alcester.
quod nunquam postea in eodem loco aliquis artem fabrilem recte exercuit, nec aliquis eam exercere volens ibi vigere potuit, quamvis multi hoc tentaverunt facere, nec usque in hodiernum diem profecerunt, quum usque nunc castrum illud ab arte fabrili suspensum permanserit, ut vere de eo dici possit,

Culpa demi potest, pœna perennis erit.[1]

[1] "Pœna potest demi, culpa perennis erit." Ovid. Epistt. ex Ponto, lib. I. i. 64.

Nam ad delendam culpam illius loci et placandam iram beati Ecgwini, vel in signum reconciliationis fœderis inter beatum virum et eundem locum, vel nescimus quo alio Dei judicio, locus in quo ilium quondam ejusdem castri fuerat datus est ecclesiæ Eveshamensi, ut, quasi per principale domicilium quod sanctus Ecgwinus in eodem loco obtinet, omnibus sit liquidum beatum virum quondam per prædicationem suam in bello illo spirituali in eodem loco contra aereas potestates obtinuisse[1], quamvis tunc hoc liquidum constet non fuisse. Si vero alicui hæc prædicta quæ diximus incredibilia videntur, ad locum præfatum accedat; et fide oculata per ipsam rei evidentiam et facti notitiam et famam publicam, hæc ita pro certo inveniens, beatum Ecgwinum, immo Deum, laudabit, Qui in sanctis suis semper est gloriosus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Liber Primus de Vita Sancti Ecgwini, et de Miraculis quæ per eum Dominus operari dignatus est dum hac luce frueretur.

De Compositione Legendæ in Translatione Sancti Ecgwini.

(*Hæc quæ sequuntur usque ad secundum librum non legantur nisi in Translatione tantum.*)

Rogatus fui aliquando a fratribus ut vitam eximii martyris Wistani advocati nostri sine solœcismo et alio vitio, quod nondum factum fuit, stilo commendarem prolixiori; necnon et vitam sanctissimi patroni nostri beati Ecgwini episcopi, quæ prolixius tractaba-

[1] *Sic.* Read, *victoriam obtinuisse.*

tur, salvo per omnia historiæ tenore, in tantum abbreviarem ut fastidiosi auditores tædio non afficerentur, ita videlicet stilum temperans, quod utraque pro temporum qualitate natalitiorum eorundem in eisdem festivitatibus ad legendam in nocturnis vigiliis sufficeret. Magis itaque de eorum sacra circa eosdem sanctos devotione quam de mea confisus eloquentia, immo omnem spem ponens in Eo Qui linguas infantium facit disertas, fratrum voluntati velut præcepto obtemperavi, et utrumque opus, non prout volui sed prout potui, Deo adjuvante complevi. Quæ quum domino Cantuariensi corrigenda legissem, et ipse ea approbando commendasset, et quum eadem fratribus placuissent, iterum crebro pulsaverunt me precibus suis ut in translatione ejusdem patroni nostri beati Ecgwini tantæ festivitati congruentem et specialem legendam ad nocturnas vigilias, quæ minus apud nos adhuc habebatur, eis componerem. Ego vero, quamvis petitionem illorum veluti ratione nitentem intelligerem exaudiendam, quum etiam sæpe puduisset me quod in tanta festivitate de tanto patrono nihil speciale ad nocturnas vigilias legebatur, tamen videns tantum opus supra me esse, diu distuli præbere eis assensum. Et hoc ideo maxime quia quum miracula sanctorum in eorum translationibus legi consueverint, putabam in legenda infra octabas omnia quæ de eodem patrono nostro scripta erant, esse consummata et expensa. Fratribus tamen in voluntate sua perseverantibus, sæpe et multum mecum cogitare cœpi, volens eorum voluntati satisfacere, unde sermonis sumerem materiam et exordium, postulans ab Eo auxilium Cujus Spiritus ubi vult spirat, et Qui dat omnibus affluenter et non improperat. Interim autem librum qui de ejusdem beati viri miraculis scriptus est legens et relegens, tandem duo tantum miracula inveni quæ in legenda infra octabas posita non erant. Quibus lectis et perspicaciter intellectis, inveni ea maxime proposito me convenientia et operi prælibato

aptissima, videlicet, de phoca magno pisce contra solitum modum talium piscium in flumine Avene apud Eovesham in festivitate prædicti viri beati ad esum servorum Dei invento, et de homine ferreis vinculis astricto a sanctis Apostolis Petro et Paulo ab urbe Roma Eoveshamiam transmisso et a beato Ecgwino solvendo[1]. Quæ quum mente concepissem et plenius intellexissem, ultra quam credi possit admiratus sum, et quasi in extasi præ gaudio factus sum eo quod clavis David aperire dignata est, et introductus sum in cellam vinariam in qua mihi tam egregium demonstratum est exemplar. Quis unquam non credat hæc divina facta dispositione? Vel quis dubitet hæc tam solemnia miracula in tam solemni solemnitate legenda, divino reservata esse judicio? Credat qui voluerit, quia ego credo, Dei providentia ita factum esse. Nam omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum. Igitur de casu tam admirabili obstupefactus, per rei tamen tantæ eventum confortatus, opus mihi injunctum aggrediens, ad finem qualemcunque usque perduxi, Illo adjuvante sine Quo nihil est sanctum, nihil validum, Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

St. James i. 17.

[1] *Sic.* Read, *soluto.*

IN TRANSLATIONE SANCTI ECGWINI.

Lectio Prima.

Quum virtus divina, fides præclara, et vita immaculata sanctos efficiat Christi confessores, occulto quodam Dei judicio quorundam coram hominibus clarescentibus [1] miraculis ita lucent bona opera quod videntes glorificent Patrem suum Qui est in cœlis, et illos per quorum merita talia fiunt miracula venerantur in terris; quorundam vero ita in occulto fiunt opera bona, quod solus Pater eorum cœlestis Qui videt in abscondito sit eorum retributor et retributio. Dominus enim et Salvator noster Qui solus novit quos elegerit pro locorum, temporum et personarum qualitate, quibusdam ad vitam prædestinatis et fidelibus, ad morum ædificationem et fidei ipsorum roborationem, signa et prodigia ostendit, ut suorum vita et opera servorum imperpetuum ecclesiæ suæ sint in exemplum; quibusdam vero ad mortem præcitis et reprobatis ut generationi malæ et perversæ nullum signum nisi Jonæ dandum prænunciavit.

Lectio II.[2]

Merito ergo in sanctorum natalitiis eorum vita, per quam Deo Qui videt in corde probantur accepti, legitur; in eorum vero translationibus eorum opera et miracula recitantur, per quæ eorum sanctitas hominibus qui vident in facie manifestatur [3] Gaudeamus igitur, fratres dilectissimi, qui tale ac tantum meruimus habere protectorem et patronum, beatum videlicet Ecgwinum episcopum et confessorem, qui pro innocentia pura, vita honesta, et rectæ fidei doctrina cum sanctis Dei meruit coronari in cœlis, et propter opera præclara et miracula manifesta quæ pro eo Deus operari dignatus est, inter sanctos confessores honoratur in terris. Quia ergo ejusdem patroni nostri

[1] *clarescentibus*] clarecentibus, MS.

[2] These divisions of the Legend are, with the exception of the first, inserted by a later hand in the margin.

[3] *manifestatur*] manifestantur, MS.

vitam in ejusdem depositione legendam pro temporis qualitate caritati vestræ prolixius transcripsimus, nunc aliqua de ejus operibus et miraculis in ejus translatione legenda pro temporis angustia breviter perstringamus. Beatus itaque Ecgwinus episcopalis officii cura suscepta, non tam honorem quam onus se suscepisse intelligens, magis prodesse quam præesse concupivit; immo magis operarium in horto Dominico se constitutum cognovit ut operaretur et custodiret illud.

Lectio III.

Excoluit igitur beatus Ecgwinus hortum Dominicum removendo nociva et apponendo utilia, sicut Dominus dicit: Ecce, inquit, posui te ut dissipes et evellas et ædifices et plantes. Dissipes et evellas vitia, ædifices et plantes virtutes. Dissipes arbores infructuosas, evellas herbas inutiles. Ædifices arbores fructuosas, plantas herbas utiles. Sic et beatus Ecgwinus assumpsit arma dissipandi, securim videlicet asperæ increpationis, et posuit eam ad radicem arboris infructuosæ, et falcem acutam ut herbas nocivas eradicaret; ut pro saliunca ascenderet abies et pro urtica cresceret myrtus. Accepit etiam instrumenta ædificandi, putatorium videlicet veræ instructionis et fossorium saluberrimæ admonitionis, et usus est potenter opere et sermone, secutus Jesum Qui cœpit facere et docere.

Jer. i. 10.

Is. lv. 13.

Lectio IV.

Scivit namque beatus Ecgwinus quia qui fecerit et docuerit sic homines hic magnus vocabitur in regno cœlorum, et qui arce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictione, de benedictionibus metet in vitam æternam. Sed beati viri semen aliud cecidit secus viam et conculcatus est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit super petram et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Expectavit tamen ut faceret uvas, fecit autem labruscas; et terra mala spinas et tribulos protulit ei, et vinea sua, conversa in amaritudinem, odore suo malo a cella vinaria eum expulit. Videns igitur vir sanctus quia hoc genus dæmonii non nisi jejunio et oratione ejicitur, de episcopatu conversus est in exilium, de prædicatione in peregrinationem.

St. Matt. v 19.

2 Cor. ix. 6.

St. Luke viii. 5–7.

Is. v. 2.

St. Matt. xvii. 2

Lectio V.

The miracle of the key again narrated.

Quum igitur de propriis meritis non præsumeret, post beatam Dei Genitricem summo opere beatos apostolos Petrum et Paulum quibus Dominus potestatem non solum corpora sed etiam animas et mentes hominum ligandi et solvendi tradiderat, in auxilium implorandos credidit, ut velamen a cordibus plebis suæ errantis amoveretur. Ut ergo facilius per eos a Domino exaudiretur, eorum limina petenda decrevit. Et ut corpus inter eundum attenuaret, vinculis ferreis pedes suos astrinxit quæ clave poterant firmari ac reserari, et clavem in fluvium Avene projecit. O vere prælati erga subditos caritas ineffabilis, qui se ipsum vinculis ferreis astrinxit ut subditi a vinculis peccaminum solverentur! O fides constantis hominis fidei Abrahæ comparabilis, qui per corporis sui mortificationem filios a morte animæ credidit suscitandos! O beati viri spes admirabilis, qui ut sciret an misericors Deus peccata plebis sibi commissæ dimitteret in terris, humano auxilio se destituens, divinæ pietati se commisit solvendum a vinculis!

Lectio VI.

Arrepto itaque itinere tot regionum digito gentium est demonstratus, aliis dicentibus quia bonus est, aliis non, sed seductor et criminosus. Tandem tanta difficultate tantisque laboribus pervenit ad apostolicam urbem de vinculis apostolicis gloriantem. Denique ferro vinctis pedibus Romam ingreditur, et, quod maxime quæsiverat, in ecclesia beati Petri Apostolorum principis ad orationem prosternitur. Quod dum vir sanctus vigilanti cura peragit, Omnipotens Deus pro servo suo vigilare non desistit. Interim famuli ejus pro cibis emendis ad fluvium pergunt, quibus venditores piscem offerunt. Quo empto et asportato et ex more condiendi exenterato, Omnipotentis Dei magnificentia compedum claviculam quibus vir sanctus pedes suos astrinxerat in visceribus[1] piscis inveniunt; ferrumque quod Anglicus fluvius absorbuerat Romanus Tiberis exhalat. Pro antiquo igitur statere piscantis Petri coram multis redditur clavicula famulo Dei, qua se sciret solvendum gratia ipsius cœlestis clavigeri. Intelligens igitur vir Dei peregrinationi suæ inesse fructum et optatæ exauditionis effectum, per omnia voluntati Dei se subjiciens, coram cunctis clavem accepit et vincula quibus astringebatur reseravit.

[1] *visceribus*] viceribus, MS.

Lectio VII.

Quis jam non dixerit beatum Petrum ad artem suam veterem, videlicet piscatoriam, reversum, qui quasi in reti suo piscem ad urbem per tot maria traxit ut fratrem suum a vinculis corporis absolveret. Ne itaque alicui hæc quia inusitata jam impossibilia videantur, conferantur ista his quæ propter ipsum Deus post beati viri depositionem mirabiliter operari dignatus est; et si videbuntur mirabilia, desinent tamen videri impossibilia, quia ea quæ eventus assiduitate didicimus [1] quasi quodam usu sæpe in habitum mentis vertimus. Sancita igitur a patribus dies annua qua beatus Ecgwinus adiit cœlestia regna, quot annis post depositionem ejus illuxerat festiva, sæpe superius miraculis illustrata. Quæ inter natalitia Domini solemnia duplicata populi et familiæ suæ refulget lætitia, quasi corona aurea sole repercussa. Accurrit solito populosa frequentia ad celebria tanti patris gaudia. Nox ipsa luciflua et dies præclara cantu et laude continuatur excelsa cum jocunditate festiva, nec desunt solita Christi beneficia servitoribus vel hospitibus suis parata, nec desunt post missarum solemnia competentia refectionum insignia. Sed modo piscium deerat copia, ut mirabilior appareret Dei gratia.

Lectio VIII.

Miracle of the capture of a seal in the Avon.

Quum ergo super hoc ipso mane pastoris officiositas fratres devota alloqueretur caritate, supervenit quidam qui dixit se miræ magnitudinis piscem conspexisse in ipso quod subterfluit monasterio flumine. Continuo illuc concurritur; spiculis, jaculis, et cunctis armamentis præda obruitur, capitur, extrahitur; atque coram pedibus ministrorum Domini exponitur, qui piscis a scholasticis phoca [2] nominatur. Extollit populus visum miraculum, et clamosa laude cunctorum glorificatur in sancto suo Ecgwino Largitor omnium bonorum. Nunquam enim antea visus est hujus generis piscis in hoc flumine, sed neque in tota patria inventus est tantæ magnitudinis in hoc genere; qui, distributus largiflue, et domesticis et advenis suffecit gratifice. Nonne pium est credere ob meritum sancti Ecgwini beatum Petrum, quasi arte sua piscatoria, eadem potestate qua

[1] *didicimus*] didiscimus, MS. | [2] *phoca*] foca, MS.

prius a flumine Anglico piscem ad refectionem conservi sui beati, videlicet Ecgwini, Romam traduxerat, nunc eadem virtute piscem hunc a mari magno ad idem flumen Anglicum, contra solitum cursum hujusmodi generis piscium, ad sustentationem servorum et veneratorum ejusdem coepiscopi sui transmisisse?

Lectio IX.

Miraculous release of a penitent from his self-imposed fetters.

Adhuc aliud miraculum post depositionem beati Ecgwini per ejus merita a Domino patratum, ad superioris quod Dominus pro eo dum in hac vita esset operari dignatus[1] est confirmationem, in medium deducamus. Quodam alio itaque tempore vir quidam scelerosus[2], quasi alter ille latro qui a dextris[3] crucis Dominicæ in cruce dependebat et scelera[4] sua Domino confitebatur, pro suis reatibus Deo spontaneam ultionem exhibendo, novem vinculis ferreis se astrinxit in diversis corporis sui membris[5]. Qui, non Dominum tentans sed Divinæ voluntati per omnia se subjiciens, apud semetipsum decrevit se nunquam ab his vinculis absolvi nisi Dominus illum a vinculis peccatorum ostenderet absolutum. Digna igitur pro factis se subire confessus, non de suis meritis confisus, sed laboribus desudans, jejuniis et orationibus insistens, meritis et precibus sanctorum se commendans, ferri hoc pressus pondere per diversorum limina sanctorum pergens, ut a vinculis tam corporis quam animæ absolveretur devotissime postulabat. Cujus fidem et spem, necnon cordis contritionem, laborem et operis satisfactionem, Dominus ex alto prospiciens, jam per diversorum sanctorum merita, quos idem pœnitens in circumjacentibus et longe positis regionibus per multa temporum curricula adierat, octo circulos ferreos quibus fuerat astrictus dissolverat.

Lectio X.

Nono vero circulo durius astringebatur, carne videlicet circumquaque intumescente, super quo dissolvendo principalem potestatem habentes tam corpora quam animas ligandi et solvendi, beatos videlicet Apostolos Petrum et Paulum, credidit

[1] *dignatus*] digatus, MS.
[2] *scelerosus*] celerosus, MS.
[3] *dextris*] destris, MS.
[4] *scelera*] celera, MS.
[5] *membris*] menbris, MS.

adeundos. Quorum limina quum adiisset et eorum suffragia postulasset devotissime, tale in somnis recepit responsum: "Vade in Angliam, et beati præsulis Ecgwini locum debito venerationis cultu require, et misericordiam obtinebis." Surgens itaque a somnis beatus pœnitens gaudet se pro parte accepisse quod quæsiverat. Exaudiverant enim eum Apostoli ut consilium darent, non ut [in] præsens plene liberarent. Accepta itaque spe certissima eorum sibi non abfuturum auxilium quorum receperat consilium, quem cogebat necessitas delationem tam gravem patientissime sustinuit, quia non aliter potuit obtinere quod expetiit; et cum tali valefactione itinere arrepto, ædem sancti Ecgwini adiit, in cujus basilica quum per multos dies jejuniis et orationibus expetitam et expectatam misericordiæ opem præstolaretur, quadam die, hora tertia a fratribus monasterii devotissime decantata, et missa, ut moris est, celeberrime subsecuta, hora perceptionis Divini Mysterii vere pœnitenti divinum non defuit ministerium.

Lectio XI.

Nam virtute divina tanta vi nonus[1] ille circulus dirumpitur ut ipse fragor in choro a fratribus audiretur, acsi ferrum malleo percuteretur. Et ipso impetu fractionis a loco ubi secus altare pœnitens orabat ferrum illud in chorum dejiciebatur acsi manu hominis jactaretur, ut divinæ miserationis opitulatio omnibus manifestaretur. Eventus igitur ordine, facti serie et rei veritate a fratribus monasterii diligentius inquisitis, pulsantur classica, et clara voce cum gratiarum actione attolluntur Dei magnalia. O quam veridica Domini sententia, qua secutos se his quæ ipsi Eum fecisse viderant similia, immo majora, facturos promiserat. Ecce enim omnibus pie credentibus patet luce quidem clarius, quod Dominus beato Ecgwino, quem mirabiliter solverat a vinculis, potestatem contulerit mirabilius solvendi alios a nexibus tam animæ quam corporis. Ad illum namque quem ab Anglia Romam traduxit a vinculis ferreis ab Apostolis solvendum, de eadem urbe in Angliam per eosdem Apostolos misit istum pœnitentem a circulo ferreo ab eodem liberandum. Celebremus igitur, fratres dilectissimi, devotissime tanti patris translationem, quem Dominus Omnipotens tot, tantis, et tam mirandis virtutibus glorificat in terris et nobis manifestat glorificatum in cœlis.

St. John xiv. 12.

[1] *nonus*] novus, MS.

Lectio XII.

Gaudeat præcipue Ecclesia Eoveshamensis et cum summa devotione et spirituali gaudio lætetur, quæ tot ejus beneficiis honoratur, tot possessionbus ab eo sibi adquisitis ditatur, tot libertatibus exaltatur, et privilegiis per eum et propter eum sibi collatis munitur. Maxime autem corde et ore simul Christum veneretur, quod propter vitæ ejus honestatem et fidei meritum beata Virgo Maria in eodem loco per manifestam ostensionem et corporalem præsentiam se manifestavit eidem; et quia ibi steterunt beatæ Virginis sacratissimi pedes, idem locus sanctificatur et a summo pontifice Constantino locus sanctus nominatur. Extollant vocem in beatissimi viri laudem specialius monachi Eveshamensis cœnobii, qui per ipsum a summo pontifice ovile divinitus præostensum, apostolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, cleri et populi benedictione sancitum, appellantur, sicut privilegia ejusdem cœnobii testantur; ad gloriam et laudem Domini nostri Jesu Christi, Cui est honor et imperium cum Patre et Spiritu Sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Qualiter sit constitutum festivitatem Translationis Sancti Ecgwini hoc tempore solemniter esse celebrandam.

Embassy from England to Hardicanute in Flanders, 1039, after the death [not of Canute, but] of Harold Harefoot.

Magnifico rege Canuto de hac vita decedente, optimates Angliæ, ut juraverant et fidem sibi dederant, fieri statuere; accitisque quibusdam baronibus jusserunt ut pro filio regis Eardecanuto quantocius irent, eumque ad Angliam deducerent. Qui, præcepto obtemperantes, maturant propter quod missi erant explere. Aderat tunc inter eos quidam episcopus nomine Ælwardus, qui sub eisdem temporibus binas ecclesias regebat, scilicet episcopatum Lundoniæ civitatis et abbatiam sancti Ecgwini. Is dum in medio mari cum cæteris legatis navigaret, repente advenit turbidus auster, nec defuit frigidissimus boreas, eurus etiam zephyrusque videbantur adesse. Ita nempe huc illucque vagabunda navis flatibus ferebatur, ut putares omnes ventos inter

se vicissim iniisse certamen. Nunc navi[1] versus æthera fluctibus sublata, nunc ad ima eisdem dejecta, omnem spem salutis perdiderant. Exoritur nauticus clamor, stridor rudentium, undique lethalis dolor accumulatur. Tandem tempestate devicti et pæne in ultimam desperationem deducti, post pacem in commune perlatam, Deo Omnipotenti se suasque animas lachrymose commendavere. Quum ecce venerabilis pontifex Æilwardus, recordatus merita sancti Deoque dilecti patris Ecgwini, geminas ad sidera palmas extendens, talia refert: "O "dilecte pater, Ecgwine, tui servi nunc miserere, nosque "pariter a præsenti periculo mortis eripe." Vovit etiam hujusmodi votum: "Si Deus Omnipotens per tua dul- "cissima merita dignatus fuerit inpræsentiarum liberare, "scrinium tibi ex auro et argento faciam præparare, et "sanctam solemnitatem tuam amplius quam antea fuerat "jubebo cum honore frequentari." Vix verbum compleverat, quum mox, non paulatim verum gregatim, præcipiente Domino, tranquillitas redire, solaris radius illucescere, simul omnia in prosperum cedere; nautæ vero cum gaudio cursum extendere, ac cum summa velocitate terram petere. Et statim ad Flandrense litus appulsi, nimium "optata potiuntur arena." Inde ad Hearde-canutum pervenientes, qui ea tempestate cum matre sua apud comitem Flandriæ hospitabatur, communem assensum populi sibi per omnia pandunt. Sicque ut futurum regem Angliæ illum cum veneratione assumentes, cum ingenti lætitia in Angliam repedarunt, eumque regem, ut mos est, constituerunt. Prælibatus igitur episcopus Æilwardus, non immemor sponsionis suæ, statim ut ad propria venit opus quod voverat acceleravi jussit. Perfectoque scrinio cum auro et argento adornato in quo nunc ossa patris nostri sancti Odulfi

A.D. 1039.

Narrow escape from shipwreck.

Virg. Æn. i. 176.

[1] *navi*] navis, MS.

A.D. 1039. Translation of the relics of St. Egwin, by Abbot Ælward, 10 Sept.

honorifice recondita servantur, indixit omni populo cum pontificali auctoritate, ut cum summa frequentia undique convenirent ad celebrandam solemnem translationem reliquiarum sanctissimi patris nostri Egwini, iiii° idus Septembris. Servabantur namque reliquiæ ejusdem patris iisdem temporibus in quodam scrinio quondam precioso fulvoque metallo bene adornato, sed jam pridem a Dacis circum circa expoliato. Veniente igitur die sancito, suffragia sancti cuncti efflagitare, omnes pari voto quoquo modo poterant servitio tanti patris insudare, festinabant. Denique statuto tempore adveniente quo reliquiæ in scrinium sibi paratum transferrentur, conveniunt cum pontifice alii venerandi sacerdotes, parantur cruces et cerei, multaque honestas omnimodis condecorata cumulatur. Ordinata itaque processione, maxima cum reverentia, in hymnis dulcisonis Deum prædicantes, voces attollunt in excelsis lætantes. At postquam ad locum reliquiarum ventum est, libantes incensum cum thuribulo, multo metu ac modestia, cum maxima dignitate, transferunt reliquias sancti patris et protectoris nostri Ecgwini in scrinium sibi officiosissime præparatum. Hæc fuit causa qua primum Translatio sancti Ecgwini constituta est. Tunc namque a præfato pontifice est statutum, ut cum frequentia populari, uti hactenus fit, altissime eadem Translatio quotannis celebraretur.

Incipit Prologus Libri Secundi de Miraculis Sancti Egwini quæ Deus per illum operatus est postquam ab hac mutabili luce decessit; editus a Dominico Priore Eweshamiæ.

Quum divina Omnipotentis Dei miracula per sanctos viros mirabiliter ostensa varios et multiplices fructus ea pie considerantibus proferant, non incommodum duximus pauca breviter prælibare, quatenus mens tam dulci memoriæ intenta virtutem hujusmodi considerationis valeat secundum rationem perpendere; magnum namque fructum legentibus et audientibus, si digne id egerint, perspicue manifestant, quoniam et placidior a mundanorum phantasmate memoria custoditur, et sæpenumero tantorum patronorum exemplis cœleste regnum non negatur. Inde enim exit quamplurima dulcedo laude Divinitatis, arduus etiam amor, sanctorum gloria, favor præteritorum, emendatio præsentium, spes futurorum bonorum. Unde, quia multa quæ Deus per beatum patrem nostrum sanctum Ecgwinum dignatus est operari, negligentia et incuria scriptorum scimus oblivioni tradita esse, proinde congruum videtur memoriæ literarum tradere ea quæ a fidelibus et credulitate dignis viris potuimus secundum rei veritatem indagare. Id enim ut ageremus, multarum instantia precum et obedientia præcipientium fratrum et maxime amore sancti compulsi sumus. Præclaræ igitur virtuti obedientiæ animum submittentes, illa præcipue studuimus depromere quæ ab ipsis a quibus sunt visa percepimus, prout gesta constant in ipsa veritate. Nullo modo quippe decet præterire singula, licet non possimus tanti viri explicare universa. Sit igitur, Sancto Spiritu opitulante, principium narrandi quod cognovimus sanctum Dei Ecgwinum in antiquo tempore fecisse per virtutem Dei.

Incipit Liber Secundus, de Miraculis Sancti Egwini quæ Deus per illum operatus est postquam ab hac mutabili vita decessit.

Qualiter feretrum Sancti Ecgwini sub ruina ecclesiæ illæsum sit conservatum.

A.D. 959. Regnum Angliæ pater sancti Eadwardi regis et martyris rex Eadgarus obtinuit, rex jure vocandus. Rex enim Eadgarus Deo erat humilis ac devotus, Christianis sanctionibus obtemperans existebat et subditus; in armis strenuus et fortis, hostibus erat ferox et immanis; æquitatis justissimus executor, sed cum moderamine pietatis, suis erat, salva imperii majestate, mansuetus et mitis. Felix ea tempestate Anglia, felix, inquam, ea tempestate Anglia. Ecclesiarum status integerrime vigebat ubique: sacri ordines divinis mancipati solummodo mysteriis, vacabant scripturis et aliis actionibus ecclesiasticis. Ipse laicalis ordo libens ac promptus debite institutum religionis exsequebatur. Opima tellus ad votum respondebat omnibus in rebus.

A.D. 960. Miraculous preservation of the relics of St. Egwin amidst the ruins of the church.

Præerat tunc cœnobio Eovesham abbas Oswardus, quantum ad humanam attinet æstimationem vir approbandis moribus. Sub cujus regimine, occulta animadversione divina, ecclesia ipsa ruit quam beatus Egwinus exstruxerat. Ruit ergo, ac secum universa subruit, subruens confregit, confringendo comminuit. Magnus igitur exinde apud omnes timor, mœror ac dolor; sed pro reliquiis beati viri supremus ac pæne solus apud omnes timor, mœror ac dolor. Verebantur quippe quod beati viri reliquiæ sub strage tanta omnino essent comminutæ, minutatimque in pulverem coactæ jam nulla possent discerni certitudinis assertione. Verum ubi mundantes locum ad id ventum est, tam disposite inter

saxa circumjacentia locatum adeoque sanum et incolume vas illud repertum est, quod fractura in eo nulla, nulla prorsus ulla in parte in eo videretur læsura. Quibuscumque enim suæ animadversionis Deus intentaret vindictam, circa hunc beatum virum gratiæ ac acceptationis suæ magnam ostendebat ubique evidentiam Ipse super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. A.D.c.960.

Item de quodam rustico qui dum reliquias Sancti Egwini de terra tollere debuit, propriam barbam avulsit.

Rege Ælelredo, Eadgari magni regis filio, fecundissimum Angliæ regnum devote gubernante, viro plurimo virtutum flore redimito, fuit quidam avaritiæ pesti supra modum deditus, ac per hoc salutis suæ nimium incuriosus, qui ad hoc, inimico humani generis instigante, prorupit, ut de terra sancti Ecgwini magnam partem laboraret invadere, quatenus invasam juxta sui juris libitum valeret possidere. Contradicitur a multis sanctum locum tueri cupientibus, et præcipue ab ejusdem loci abbate nomine Oswardo. Controversia multiplicatur, et variis objectionibus causa diatim aggravatur, donec, judicum sententia, in commune decernitur dies ad hanc causam finiendam. Igitur die constituta fiunt preces studiosius, Deus et Ejus sancti deposcuntur attentius. Peracta supplicatione et missis ex more celebratis, ad locum designatum cum reliquiis sancti Ecgwini properatur; ab omnibus in adjutorium sanctus Domini vocatur. Adest et rusticus cum suis barbarice frendens; confertur in medio procerum quæstio, verum finis nullus poterat adesse huic[1] negotio. Tandem, lite terminata, a judicibus statuitur ut manu propria rusticus reliquias sancti

[Ethelred began to reign A.D. 978.]

A countryman endeavouring to swear away land from the Abbey, loses his beard.

[1] *huic*] hujus, MS.

A.D.*c.*978. Ecgwini de terra quam calumniabatur tollens, sibimet eandem terram jurando acquireret. Erat vero idem rusticus vir grandævus, barba valde prolixa barbatus. Assurgens itaque, veste deposita in medio, barbam propriam concludit palmo; "Per istam," inquit, "barbam "sanctum auferam, quia mea est terra, et ego eam "possidebo jure hæreditario." O mira Dei virtus! Vix emissum evolaverat verbum, et ecce totam barbam coram cunctis lapsam ita projecit ad terram acsi apposita esset, non naturaliter nata. Obstupuere omnes; vident annosum rusticum sine barba universi: quosdam ira, alios dolor, omnes demum commovet risus. Sic qui alienam injuste cupiverat invadere terram, jure cum ipsa terra propriam perdidit barbam. Per omnia benedictus Deus, Qui in sanctis et per sanctos suos talia operatur.

De alio rustico qui quum perjurio terram Sancti auferre vellet, proprium cerebrum[1] *effudit.*

Miraculous death of a countryman who claimed land held by the Abbey.

Quidam in vicino rusticus erat, ut id hominum genus sæpius se habet, moribus agrestis et (intemperanti cupiditate) parvi lucri gratia ad omne malum pronus atque infrenis. Exarsit illi animus ad invadendam juris ecclesiæ beati præsulis Ecgwini terrulam. Appetivit, appetendo surripuit, surripiendo invasit, et invasam juris sui jam esse rustica pervicacitate jurare cœpit. Calumniatur, pejerat, ac pejerare[2] non cessat. Tandem in causam res ponitur, et altercationi huic audiendæ ac definiendæ dies statuitur. Sanxerunt ergo judices ut die statuto rusticus ille super calumniose invasam terram

[1] *cerebrum*] cererebrum, MS. | [2] *pejerare*] pegerare, MS.

veniret, suamque illam terram esse in qua consistebat A.D.c.978.
juraret. Concessit arridenti animo rusticus, pluris habens obolum quam abjurandæ fidei suæ periculum. Ad diem ergo statutum qua controversiarum finis habendus erat, uterque ad locum accessit, subituri sententiam quam super hac re juris ac legis periti decreverant. Summo mane ipsius diei prior ecclesiæ, vir morum venerandus honestate et actuum probitate, nomine Wiredus, ante sancti reliquias humi prostratus, obnixe diu oravit; orans Deo et sancto causam suam commendavit; commendando septem psalmos quos ex more pœnitentiales dicunt, lachrymose omnino decantavit. Peroratis suppliciter psalmis, fratres ut hoc ipsum agerent summopere admonuit; et cum reliquiis beati Ecgwini ad subeundam judicii censuram pergit ipse, et cum eo plurima fratrum multitudo. Affuit ex parte alia rusticanus cum multo rusticorum tumultu, atque tergiversationibus populosis rem turbare ac verum inquietare conantur. Tandem compulsus est ad sacramentum accedere rusticus. Sumpserat de domo sua pulverem et eo subtulares suos impleverat, ut tuto jurare posset quod supra terram suam consisteret. O vere rustica (non dico astutia sed) stultitia, vel fortasse satis condigne rustica dicetur astutia! Arbitrabatur fortassis quod Deum latere posset fraus quæ in tellure[1] lateret; at etiam in subtulari Deus fraudem rustici comprehendit. Nam ubi rusticus ipse ad reliquias juraturus manum porrexit, ferreo falcastro quod in manu gestabat, nescio quo casu, in cerebro percussus, subito ad terram mortuus ruit; et ignominiosa, sed quali illum decebat, morte vitam cum terra sancti coram omnibus amisit. Hoc divinæ comminationis terrore et qui aderant et qui longe lateque audiebant exterriti, exinde locum

[1] *tellure*] telluri, MS.

venerando, metuendo et amando nil omnino adversus illum forisfacere tunc erant ausi. Itaque benedictus Deus mirabilis existens in sanctis suis. Gloriosus enim in Se, gloriosa in sanctis suis et per sanctos suos operatur ubique ; Qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De quodam artifice.

A sculptor employed upon the shrine of St. Egwin miraculously healed of a wound. A.D. 1044-1058.

Tempore pacifici regis Eadwardi, summi et ultra communem valentiam laudabilis principis, dominus abbas Mannius cœnobium sancti Ecgwini devotissime regebat, vir Deo carus et omnibus subjectis amabilis. Hic inter cætera quæ multum extollenda operatus est, scrinium sancto Odulfo fieri decrevit, quod opus ut vidit in melius ire studuit sancto Ecgwino dedicare. Aderant tum quamplures artificiosi, quorum omnium magister erat quidam, pater videlicet domini Clementis postmodum Eoveshamensis prioris. Is quum, sicut hujusmodi opus exigit, sæpius fundendo et tundendo ac cum scalpro incidendo labori insisteret, quadam die more solito sedens et cum scalpro parvas imaginulas diligentissime coaptans, subito casu tam graviter manum sinistram cum ferro quod tenebat vulneravit ut per mediam manum gutta sanguinis alia ex parte stillaret. Commotus itaque tam repentino casu, "O sancte," inquit, "Ecgwine, nonne hic assum in tuo servitio? Si quic- "quam de servitio miseri peccatoris curas, jam "ostende." Dixit ; et statim, divina medela accedente, et dolore et vulnere per sancti viri merita caruit. O virum mirabilem, omniumque ore prædicandum! Non interposuit tempus medelæ, sed, ad exemplum Marci evangelistæ, mox post dolorem vulneris sanitatem per Deum superinfudit.

[Acta Sanctorum, 25 April, p. 348.]

De reliquiis Sancti Ecgwini furatis et revocatis, furibus infirmitate percussis.

A.D. 1044-1058. Theft and recovery of part of the relics of St. Egwin.

Matrona quædam, Algitha nomine, dum sæpius tempore prædicti regis Eadwardi ecclesiam sancti Ecgwini frequentaret, venit ei in mentem ob amorem sancti omnimodis tentare si quicquam de reliquiis ejus valeret acquirere. Cœpit igitur callide volutare qualiter desiderium suum posset facilius perpetrare. Accitis itaque secreto pueris loci, eisque, ut fertur, dona tribuens et ampliora promittens, rogavit quatenus sibi de reliquiis sancti Ecgwini vel modicum quid clam perquirerent, ut per hoc majorem mercedem ab ea perciperent. Sciebat enim illam ætatem minus habilem intelligentiæ leviusque posse decipi. Præbent assensum pueri, et cœpere quærere tempus et horam qua[1] sine notitia aliorum implerent promissum. Verum quid non audet ardens cupiditas? Per infirmam ætatem perficit avaritia suum officium. Pergunt nocte pueri ad sancti Ecgwini feretrum, apertoque velociter scrinio, furto auferunt magnum thesaurum, omni margarita preciosiorem. Proh dolor! Temerariis manibus irreverenter tractant membra[2] sancti, et, sublata[3] parte brachii cum uno dente, matronæ studuere clanculum deportare. Verum enimvero super tam incredibili audacia non diu distulit, ut in sequenti patuit, vindictam[4] sumere ultio divina. Nam sumens prædicta matrona diu desideratum thesaurum, læta repedavit ad propria. Locatis igitur honorifice secundum suum posse reliquiis sancti Ecgwini in mundissimo locello, credebat se diutius gavisuram de furto. Quum ecce! sanctus Domini Ecgwinus per visionem matronæ noctu apparens, jubet eam se ipsum proprium repor-

[1] *qua*] quo, MS.
[2] *membra*] menbra, MS.
[3] *sublata*] sublate, MS.
[4] *vindictam*] vidictam, MS.

A.D. 1044–1058. tare ad locum, dicens se injuste ab ipsa inde fuisse sublatum. Negligit illa imperata, et identidem secunda admonita est ejusmodi visione. Sed quum nec sic obtemperaret, verum ob nimiam cupiditatem habendi visiones phantasiæ deputasset, tertia demum visione venit sanctus Ecgwinus, [et,] valde commotus, jubet ut se reduceret. Qua negante, "Prius," inquit sanctus, "quam "crastinus Titan solito refulserit, velles meis obtempe- "rasse præceptis." Quid moras nectimus? Matrona diluculo surgit apertis oculis cæca, sicque dum præsenti usa est vita, pulcherrimos habens oculos, permansit in perpetua cæcitate. Misit tamen postea, licet sero, ad Mannium, ea tempestate abbatem monasterii sancti Ecgwini, quærens licentiam habendi reliquias, et promittens se feretrum ex auro et argento adornatum ob honorem reliquiarum facturam. Spopondit etiam ipsum scrinium cum reliquiis, et insuper terram propriam quæ Suella ab incolis vocitatur, quum vita decederet proculdubio sancto Ecgwino ejusque servis daturam. Quam sponsionem, licet peccato filii sui præpedita per se implere nequiret, implevit tamen postea Omnipotens per dominum ac prudentissimum Agelwinum abbatem, successorem videlicet domini et artificiosissimi Mannii abbatis. Nam idem abbas et prædictam villam, quæ sibi in vadimonium tradita fuerat, ob difficultatem reddendæ pecuniæ judicio obtinuit, et etiam scrinium quum apud Wigorniam recognovisset per Dei adjutorium suo dominio mancipavit, quod usque inpræsentiarum in monasterio sancti Ecgwini servatur. Hactenus de matrona. Pueri vero supra commemorati qui præfati furti auctores exstiterunt, judicio Dei demum graviter subjacuerunt. Nempe quidam ex eis in aqua necatus est, quidam vero quoad vixit[1] molestia corporali pæne sine intercapedine[2] gravissime detentus est.

[1] *quoad vixit*] quo advixit, MS. | [2] *intercapedine*] inter carpedine, MS.

De quodam muto loquelæ restituto.

A.D. 1042–1066. Healing of the dumb, the crippled, the leprous, &c.

Clarissimum Omnipotentis Dei miraculum per beatum confessorem suum Ecgwinum mirabiliter servis suis insinuatum, ad medium censemus deducendum. Erat tempore præfati regis quidam homo in Anglia apud Cantiam qui, pro causa soli Deo cognita, mutus in hanc lucem materno utero profusus, dolorem parentibus maximeque sibi diatim exaggerabat. Is tandem in juventute, divino admonitus instinctu, per memoriam sanctorum versus Romam ire disposuit. Incipiens ergo iter constitutum, Romam usque perveniens, tribus ibidem annis ad limina Apostolorum devote pro infirmitate sua supplicans permansit. Cui quum nihil remedii pro voto occurrisset, post trinam revolutionem annorum meditabatur maximo cum mœrore si quippiam sibi posset fieri in salutem. Ecce quadam nocte per dulcem quietem astitit sibi quædam persona albis vestibus induta, hujusmodi deprimens oracula: "Quid hic," inquit, "tam diu jacens frustra consumeris? Rever-
"tere ad patriam tuam Angliam, quære inibi monaste-
"rium sancti Ecgwini, illucque vadens cum oblatione,
"Dei et illius sancti misericordiam deprecare, statimque
"sanaberis." Obtemperans igitur mutus divino mandato, extemplo[1] ad natale solum repedavit. Veniens autem in Angliam, indicio ductus, per divinum auxilium recto itinere ad monasterium sancti Ecgwini pervenit. Erat vero tunc dies sabbati. Igitur cunctis fratibus in choro astantibus, venit prædictus vir candelam manu gestans quum vespertina synaxis decantaretur, pergensque ante altare diutius oravit sicque candelam obtulit. Qua oblata, rursus ad orationem stetit. Res mira et vehementer stupenda! Quum coram cunctis astaret mutus, subito cadens rivum sanguinis ex ore cœpit excreare, nimiaque præ angustia in pavimento circumquaque

[1] *extemplo*] extimplo, MS.

A.D. 1042–1066. volutare. Finita ergo vespertina prece, accessit ad illum qua excreans jacebat dominus Ævicius, ea tempestate prior loci, cum quibusdam senioribus, interrogans quid haberet aut cur sanguinem excreans sic jaceret. Surgens itaque homo in medio fratrum, oculosque cum manibus ad Deum intendens, demum lingua resoluta, hanc primam ita cœpit vocem formare: "Sic me "adjuvet Omnipotens Deus meusque dominus sanctus "Ecgwinus per cujus meritum in me misero tale "miraculum operatus est Christus, sicut vobis vera "dixerim." Sumensque principium orationis omnia seriatim pandit, ut supra habetur comprehensum. Qua narratione finita, fratres exhilarantur, convocatur etiam populus, ora relaxantur in summis Dei laudibus; incipientesque "Te Deum laudamus," classicum sonant diutius, extollentes Dei miracula quam poterant dulcius, Qui est super omnia benedictus Deus.

De quodam contracto reformato.

Illud etiam non videtur prætereundum quod sub eodem tempore in quodam homine cunctis apud Eoveshamiam[1] notissimo per beatissimum patrem nostrum sanctum Egwinum credimus patratum. Erat enim idem miserando infirmitatis genere detentus, qui nec surgere quidem poterat nisi dextra lævaque baculis sustentaretur, ambulans vero uno pede suspenso quasi tripes miserabiliter gradiebatur. Tali autem infirmitate diutius possessus, nullo genere medelæ poterat mederi. Nam pes ejus cum tibia et coxa in tanto fuerat tumore conversus ut quasi monstrum quoddam fere ad instar humanæ medietatis intumescens, miserabile præberet spectaculum. Veniens igitur quadam die ad locum ubi sancti Egwini reliquiæ conservantur, humiliter coram altare suspirare, intimo ex corde gemere,

[1] *Eoveshamiam*] Eoveshamium, MS.

ac cum magna intentione Dominum et sanctum Ecgwinum cœpit deprecari. Fratres autem eadem hora per Dei providentiam in choro erant præsentes, quorum presagam mentem cerneres ex vultuum indicio quodam modo trepidare, spem futuri miraculi concipere, sanctum Ecgwinum devotius exposcere, in commune Dei ineffabilem misericordiam expectare. Infirmi sanitatem, sancti gloriam, sui loci honorem, opperiebantur. Quam vera prophetica admiratio! Mirabilis Deus in sanctis suis! Dum enim cunctorum astantium corda divinitus tacta ad futuri præstolationem viderentur arrecta, ecce vident infirmum dextra lævaque baculos suæ miseriæ adjutores abjicere, ipsum in terram cadere, pedem infirmum extendere, donec omni passione solutus, gaudens exurgeret cum Dei laudibus. Accurrere universi, singuli quasi rei ignari hominem interrogare, plaudere, admirari, Dominum et sanctum Egwinum collaudare cœperunt. Fit strepitus in ecclesia, sonantur classica, attolluntur cantica divina; omnium in Dei laudibus reserantur corda. Prælibatus vero vir, tantarum laudum materia, proprios coram altari sancto relinquens baculos, cunctis spectantibus, sanis pedibus remeavit ad propria, clara voce benedicens Dominum Qui regnat in sæcula. A.D. 1042–1066.

De quodam leproso sanato.

Eisdem temporibus quidam leprosus visu horrendus, dolore pæne intractabilis, universo corpore deformis, memoriam sancti Ecgwini devotus expetiit, et ab imo pectore gemitus effundens sanctum Dei ut sui misereretur cum spe salutis creberrime deprecabatur. Tandem diu desiderata advenit meritis beati viri miseratio divina; condonatur petenti infirmo sanitas laudibus plena. Posses namque videre scabiem veluti quoddam scutum de corpore cadere, virum undique sanum effectum quamplures Deo et sancto gratias agere, infirmitatem comminus depositam quid fuerit testari, ipsum

A.D. 1042–1066. vero hominem quid sit omnibus cernentibus voce clarius corpore sanato ostendere. Unde voces et cantica, plausus et jubilamina Deo magnifice libantur, Qui a sæculo facit mirabilia.

De multiplici genere languentium sanatorum per sanctum Ecguynum.

De miraculis sancti Ecgwini multa inquirentes, et super his sæpenumero colloquentes cum personis fide dignis et veneranda bonitate adornatis, id a compluribus compertum memoriæ studuimus mandare quod in antiquo tempore ante adventum Normannorum in Angliam, Dei operante clementia, tanta miraculorum frequentia monasterium sancti viri illustrabatur, ut raro die sabbati solares radios occuluerit quo non qualicunque infirmitate vel molestia detentus gratam per sanctum Ecgwinum medelam aliquis æger obtinuerit. Videres plerumque si adesses nunc unum, nunc duos, nonnunquam plures ægrotantes, causa salutis adventasse, coram altare modo accedere, modo ab aliis delatos adesse, in terram volutare, preces effundere, gemitum emittere, in commune salutem sperare. Hos cæcos, illos vero claudos, quosdam surdos, alios autem mutos, nonnullos leprosos sive paralyticos vel molestia ferri astrictos, aut qualibet alia infirmitate obsessos, cerneres adesse. Dæmoniaci vero in tam miseranda conglobatione non defuere. Verum in tali cuneo sæpe gratia divina per sancti Ecgwini merita adesse, cæcos illuminare, claudos erigere, surdis auditum reddere, mutis linguam restituere, leprosos mundare, paralyticos sanare, cæterosque ægrotantes non differebat curare, plures etiam ferro pro criminum abolitione graviter devinctos meritis sancti Ecgwini mirabiliter liberare. Nam quum quidam hujusmodi passione pressus ad sancti Ecgwini patrocinium expetendum se devote obtulisset, et circa sanctorum memoriam frequentius incubans Dei et Ejus

sancti misericordiam expetiisset, adeo quadam die suam pietatem magnifice declaravit Omnipotens ut tanta vi ferrum ab infirmo excusserit quod longius a propria sede resiliens totam ecclesiam tinnitum intentam reddiderit, cunctis qui aderant mirantibus et Deum una dulcimode laudantibus, Qui tanta et tam mira in sanctis et per sanctos suos manifestare dignatur miracula. A.D. *ante* 1066.

Qualiter Sperckulfus monachus vidit beatam Mariam apud Evesham in cryptis.

Ea tempestate solemnitas sancti Ecgwini maxima cum veneratione honorificentissime celebrabatur, populi etiam multitudo certatim affluebat, ingens apparatus, maxima frequentia, copiosa lætitia pari modo renitebant. Tum globus monachorum aliunde adventantium non minimo decori fuisse privatis videbatur. Inter quos quidam religiosus et valde venerabilis vitæ monachus Coventrensis, nomine Sperckulfus, solitus erat monasterium sancti frequentare, in sanctorum festivitatibus advenire, altaria circuire, in orationibus pernoctare, lucubrando animum supernis intendendo, matutinos cantus cum psalmodia præveniendo, omnimodis devote agendo, Dei sibi misericordiam cooptare. Is quum in quadam sancti Ecgwini festivitate solito more adveniens, nocturnales hymnos in vigiliis cum psalmodia persistens præoccuparet, in crypta Deo sanctoque Ecgwino consecrata quo tum rite solitarius residebat, admirabilem visionem conspexit. Nam quum Daviticum canticum ex ordine devotius revolveret, vidit primo limina cryptæ divina virtute recludi, dehinc paulatim domum in qua sedebat superno lumine illucescere, demum quamplurimo fulgore ejectis tenebris irradiari. Quumque ad hoc spectaculum territus animum et una oculos convertisset, ecce conspicit processionem quam maximam sanctorum spirituum advenientem, quæ maxima pulchritudine ac Vision of St. Egwin's celebrating mass in a crypt.

A.D. *ante* 1066.

summa honorificentia digesta mirabile specimen intuenti præstabat. In qua quidam pueri luminum portitores cum candelabris præcedebant, dehinc ephœbi sequebantur, post quos seniores veneranda canitie renitentes gradiebantur. Hi omnes albis stolis induti mirum spectaculum præbuere. Ad ultimum quædam persona pontificali habitu supra quam dici potest mira venustate redimita advenit, quam dextra lævaque bini seniores simili habitu adornati deducebant. Accedentes ergo coram altare sancti Ecgwini, plurima cum modestia astantes matutinale officium exordiuntur. Quo cum summo honore expleto, unus ex eis ad missam decantandam se præparavit. Mira res! Missa incipitur, ac mirabili dulcedine more solito decantatur. Solenni vero missa finita, horisque canonicis honorifice decantatis, haud secus quam intraverat totum illud collegium seriatim procedendo domum egreditur. Dehinc, modico intervallo expleto, ante matutinale officium classica pulsantur. Ad hæc credenda, licet jusjurandum tam venerabilis viri corda audientium authentica veritate confirmaverit, non minimum tamen veneranda illius vita ad omnem dubietatis caliginem detergendam proficit. Omittentes ergo quam constans et infatigabilis in oratione et vigiliis, quam alacer divini verbi auditor, quam frequens in Dei servitio perstiterit, illud dicendum arbitramur quod tantæ fuerit abstinentiæ ut raro quarta vel sexta feria cibum sumpserit. Unde, quia Deo fidelis permansit, Ejus secreta conspicere meruit. Non solum enim prædictam vidit visionem, sed, quod est mirabile dictu, quum idem monachus quadam nocte in ecclesia Dei Genitricis, quæ tunc temporis miro decore constructa habebatur, in illius solemnitate vigilans pernoctaret, ecce universis ecclesiæ januis sponte reclusis, cum inæstimabili claritate et decore conspicit simili modo processionem venientem, sanctumque Ægwinum cum alia quadam reverenda persona, totius mundi lumen, miserorum et peccatorum

Similar vision of St. Egwin and the B. Virgin in the Lady Chapel.

omniumque Christianorum refugium et solatium, Dei scilicet Genitricem et semper Virginem Mariam, sublimissime, ut digna est, deducentem. Pervenientes igitur ante altare sanctæ Mariæ venerandus pontifex sanctus Ecgwinus post matutinale officium honorifice decantatum, missarum solemnia maxima venustate exorditur. Cerneres monachum ista tuentem mente deductum trepidare, animo fluctuare, ac secum talia alternatim revolvere, "Quid est istud videre? Num "sensum meum perdidi? Putasne istius ecclesiæ mo- "nachi hic suum officium peragunt? Sed hic ne- "minem recognosco ex illis. An spiritus sint vel "corpora quæ video? Nonne hic quidam assunt quos "diu ex hac luce subtractos intelligo?" Viderat namque in illo globo quosdam quos et Eoveshamensis monasterii monachos et jam defunctos noverat. Hac igitur ambiguitate compulsus, accedit secreto ad quendam, et quæ esset cui missa decantaretur inquirit. Ad quem paucis, "Tace: num ignoras dominum nostrum "sanctum Ecgwinum beatæ Dei Genitrici et semper "Virgini Mariæ sacrum mysterium celebrantem?" Territus ille hujusmodi responsione, locum repetens rei exitum præstolabatur. Itaque peracta missarum celebratione, horisque sanctæ Mariæ ex ordine decantatis, iterum duo episcopi cœli reginam et mundi dominam humillime dextra lævaque assumentes, eodem modo quo prius induxere, cum processione et summa gloria reduxere.

A.D. *ante* 1066.

De quodam canonico Turonensis ecclesiæ.

Istiusmodi vero rei exempla late suppetunt. Compertum quippe habemus quendam canonicum olim Turonis Deo sanctoque Martino servientem quodam modo uniformem vidisse visionem. Qui quum, stultitia inductus, glisceret rescire causam cur in Ordinatione seu Translatione sancti Martini quæ in æstate celebratur

Similar Vision of St. Martin seen at Tours.

nullus hominum post decantatum completorium ecclesiæ auderet remanere, studuit seipsum subtus quoddam altare clanculo occulere donec, cunctis pro more discedentibus, ejus rei causam quiret explorare. Quid amplius? In conticinio noctis, quum solus vastam ecclesiam vagabundis oculis perambularet, subito videt ecclesiæ limina patefacta, intrantemque mirabilem processionem, sanctum vero Martinum portam salutis et, post Deum, primam spem Christianorum sanctam Mariam honorifice dextra ducentem. Quæ, quum in medio ecclesiæ constitisset, incepit hanc antiphonam, " Non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens " panem," eamque sola mira cum dulcedine modulando ad finem usque perduxit. Post hæc ad sepulchrum sancti Martini cum processione pergit, peractoque propter quod venerant, respexit sancta Maria clericum ista cernentem, et statim ad sanctum Martinum quasi commota subinfert, " Quis est hic clericus solus ausus " hac ecclesia temere remanere?" Cui sanctus Martinus ad ejus genua se provolvens, " Mitissima domina, " miserere! Noster est clericus; jube quod placet." " Tui causa," inquit angelorum regina, " huic ignosco; " verum præcipe ut se præparet, quoniam post tri- " duum temporale sæculum perdet." Quod ut dictum, sic factum.

Quum igitur his et aliis quampluribus exemplis intelligamus Deum et Ejus sanctos ecclesias sanctas frequentare, qua instantia bonis operibus et Dei servitio condecet Omnipotentis famulos insudare; cum quanta reverentia debet Christianus in domo Creatoris sui persistere! Dilecta etenim Deo valde sunt loca ad quæ Ipse cum sanctis dignatur sæpius venire visitanda. Verum quoniam tempus expostulat, ad miracula patris et protectoris nostri Ecgwini unde paululum digressi sumus, stilum vertamus. Debemus enim tanto operi morem gerere, ut in futuro mercedem a Domino queamus percipere.

De quodam sanato et quodam fure de mortis articulo misericorditer liberato.

Reverendissimo abbate domino Ægelwino Eoveshamensium rectore prudentissimo hujus vitæ modum faciente, viro quo post sanctum Ecgwinum coram sæculo nullus utilior et insignior ipsa in ecclesia exstitit, tempore magni Willelmi regis Anglorum et ducis Normannorum, dominus Walterus Eoveshamensem abbatiam regendam suscepit. Is quum esset vir peritiæ multoque decore et omni facetia condecoratus, novis rebus, ut fieri solet, animum tradidit. Ecclesiam namque recenti opere delectatus incepit, et antiquum opus quod tum temporis ex pulcherrimis in Anglia exstitit, paulatim destruxit. Cerneres, mirum dictu! tam magnum antiquitatis opus in solam cryptam insimul congestum. Cæterum, deficiente copia operandi, in magna angustia procuratorem operis fore. Difficultate namque rerum idem locus cingebatur, tum petrarum, tum lignorum, tum, quod maxime in humanis necessitatem juvat, pecuniarum. Qua necessitate compulsus, dominus abbas Walterus, convocatis ad se binis fratribus loci, honorifice omnibus necessariis sufficienter dispositis, cum reliquiis sancti patris nostri Ecgwini illos per Angliam direxit. Qui præcepto spiritualis patris obedientes, quum aliquotiens Angliam peragrassent, tanti patroni meritis adjuti, pecuniam plurimam suæ ecclesiæ acquisiverunt, et etiam multorum salvationis ac sanitatis emolumentum per sanctum Dei ab Omnipotente concessum nobis veraci stylo transcribendum tradiderunt. Proferamus ergo in medium pauca de multis, ad declarandum virum virtutis.

A.D. 1077–1086.

Two monks travel through England with the relics of St. Egwin to raise money for rebuilding their Church.

Quum prædicti fratres ad Oxinefordiam fulti reliquiis sancti Ecgwini lætabundi pervenissent, et verbum Dei, populo spectante, prædicassent, quidam vir magnæ, ut postmodum claruit, fidei, ad feretrum sancti Ecgwini

A.D. 1077–1086. inter cæteros humiliter accessit, ternas orationes coram cunctis devotissime complevit, et per singulas preces manum ad marsupium mittens indeque triplicem oblationem sumens, sancto Dei fideliter obtulit. Verum antiquus hostis haud talia passus : quendam ex suis, qui uti palea inter triticum aderat, ardenti cupiditate instigavit, ut fideli viro in sacris orationibus intento clandestino damnum inferret. O mira insania ! Omnibus fere ad superna intentis, ipse infelix, ut membrum diaboli, prope virum approximat, et de ejus marsupio denarios quot prævalet latenter abstrahit. Duplicat nefarium opus, et identidem tertio instaurat simile facinus. Sed sanctus Ecgwinus non diu distulit damnare furantis manus. Nam quum infelix tertio manum injecisset marsupio, exaruit continuo, et veluti clausa retenta est in eodem loculo. Videres furem trepidare, pallescere, veluti dementem oculos circumjacere, omnimodis mortem suspectam habere. Tandem causam intelligentes qui aderant, furem comprehendere, factum mirari, sanctum Dei sublimi voce collaudare, cœperunt. Fit plausus circumquaque, judicant furem interitum ire, ex statuto maturant perficere. Monachi vero reliquias sancti secum deferentes non prius desistunt a precibus quam, adjutorio sancti Ecgwini, instantia precum vincunt judicum statutum. Sicque in una re duplicem benignitatem per sanctum suum ostendit Omnipotens, quum et servum suum de furto, et furem misericorditer liberavit de mortis articulo.

A thief at Oxford miraculously detected.

De quodam puero sanato.

Plerique fidelium virorum audientes famam virtutum sancti Ecgwini, in seipsis sunt experti quam proximus Deo et quam efficax adjutor se in necessitate devote invocantibus beatus vir habeatur. Nam quidam dives, Ivo dictus, homo Hugonis de Grantemainilo, quum suus filius gravissima infirmitate decoctus in articulo

A.D. 1077–1086. Cure of the son of Hugh de Grentemaisnil's steward.

mortis jamjamque detineretur, ipsemet pro filio suo sanctum Ecgwinum devote supplicaturus, comperta ipsius fama, cum candela et oblatione ad ejus monasterium accessit. Indixit tamen suis hominibus antequam a domo qua infirmus jacebat discederet, ut si interim puer moriretur[1] sibi cum festinatione statim nuntiaretur. Veniens igitur ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ sanctique Ecgwini, coram altare accedere, caput humillime in terram declinare, oblationem offerre, Deum suppliciter adorare, sanctumque Ecgwinum cum lachrymis devote pro filio exorare studuit. Ibique tota die cum sequenti nocte in vigiliis et orationibus, ardentem candelam manibus gestando, permansit, sæpius humi se prosternens et pectus tundens, donec mane facto ad revisendam prolem eum animus compulisset. Oblata ergo portione candelæ et licentia a sancto petita, cum spe iter assumptum relegebat. Et ecce unus ex suis in medio itineris occurrens, renuntiavit domino proprium filium sanissimum effectum. Miratur pater; jubet ut quando vel quomodo id sit factum edicat. Cui famulus, "Quum lutea aurora "hodie claresceret et lucem solitam per cœli centrum "diffunderet, qualitatem facti nobis ignorantibus sanus "apparuit vester filius." Audiens hoc pater, ardentius iter aggressus, ad dilectam sobolem pervenit quantocius. Accurrens igitur filius obviam, patrem sanus et incolumis amplectitur, funduntur cum gaudio lachrymæ, sancti Ecgwini magnalia prædicantur utrobique. Hic pater cum filio, illinc omnis præsens familia, maximo tripudio resonabat. Ad ultimum sciscitatur filium pater quomodo ei sanitas adveniret. "Novit," inquit filius, "Omnipotens Deus me sanum esse, sed qualiter "mihi sanitas acciderit ignorare." Tunc iterum omnes benedicebant Dominum et sanctum Ecgwinum, per quem tale miraculum insigniter est propalatum.

[1] *moriretur*] moreretur, MS.

De quodam in expeditione liberato.

A.D. 1077–1086. Sub iisdem diebus duobus monachis cum reliquiis sancti Ecgwini pergentibus, ventum est ad maximam civitatem Angliæ, Lundoniam. In qua quum fecissent verbum Dei ad populum, adstabat cum cæteris quidam miles Petri de Valonia, Willielmus Spinetus nuncupatus. Qui quum intente semina verbi Dei in agro cordis sumpsisset, talem ibidem radicem fixit unde postea in necessitate maxima dulcem fructum percepit.

Preservation of Sir William Thorney in a battle with the Welsh. [*Circa* 1092?] Succedente enim tempore dum cum domino suo in citeriorem Brittanniam in expeditione adversus Walenses pugnaturus equitasset, quadam die cum sociis dolose ab hostibus insidiis circumseptus pæne morti est addictus. Nempe universis coequitibus suis telis inimicorum obrutis et neci traditis, ipse solus in medio hostium positus, quum nec se posset defendere nec manus inimicorum evadere, in ultimam horam prope devenerat miserabili certamine. Nam tanta lassitudine ipse et sonipes super quem sedebat opprimebantur, ut nec idem manibus et armis pugnare nec equus eum quoquam valeret deferre. Reminiscens ergo virtutum quæ de sancto Ecgwino apud Lundoniam audiverat, ex intimo pectore ingemiscens, "O Domine," inquit, "Qui "semper in tribulatione Te invocantibus præsto es, si "vera constant quæ de sancto Ecgwino episcopo audivi, "jam nunc per ejus merita a præsenti periculo mortis me "libera." Continuo, oratione finita, advenit repente fortitudo tanta, ut et ipse virtutem insolitam et equus cui præsidebat velocitatem perciperet permaximam. Statimque per sancti viri merita ab inimicis mirabiliter ereptus, Deo et sancto Ecgwino exinde mansit devotus. Veniensque postmodum ad sancti viri monasterium, promissum reddit votum, offerens super altare oblationem et devotam sancto fundens ex imo affectu precem. Convocans autem priorem loci, a principio enunciat fidem verbi, sicut ex ordine habetur comprehensum in superiori.

Qualiter feretrum sancti Ecguyini in flumine submersum, siccum permanserit; et qualiter serviens cum brachio ejusdem in eodem flumine submersus evaserit.

A.D. 1077–1086. Preservation of the relics in the passage of the river Trent.

Res admonet ut quoddam mirum per sanctum Ecgwinum coram multis insinuatum lectori offeramus legendum. Reliquiæ sancti viri quocumque deportabantur maximo honore cingebantur summaque diligentia custodiebantur. Dum igitur quadam die custodes sanctarum reliquiarum ad flumen quod Trenta ab accolis vocitatur pervenissent, et rapidam ipsam aquam transmeare necessarium duxissent, monachus quidam ex ipsis nomine Heremannus, timens fluminis immanitatem et tremendam præcipitationem maximeque pro sanctis reliquiis sollicitus, ipsemet ante se super equum scrinium sancti Ecgwini deportare studuit, ut si quid periculi accidisset meritis sancti viri protegeretur. Cuidam vero ministrorum præcepit ut brachium sancti Ecgwini de collo suspensum maxima cum reverentia conservaret. Posthæc, ductore præcedente, primum monachus cum reliquiis sancti, postmodum cæteri quaquaversum sequebantur. Verum monachus, Dei providentia, a recto vado paulatim aberrans et in profundum fluminis cum magno timore equitans, circumfusionem aquæ ad pectora usque patiebatur. Ea ad enucleationem virtutum sancti Ecgwini provenere, ut quanti meriti apud Deum sit sanctus facillime possis pervidere. Nam quum præfatus monachus flumen ut diximus transmeasset, in tantum sanctum suum clarificavit Omnipotens, ut nec in theca scrinii nec in aliquo vestimento monachi una saltem[1] gutta aquæ quiret reperiri, sed veluti per fluctuantes segetes seu silvas in autumnali tempore equitatum isset, ita a natura elementalis aquæ discriminatus appareret.

[1] *saltem*] saltim, MS.

A.D. 1077–1086. Quis adstantium et tam mira videntium secundum posse non laudabit Dominum? Quis tam insigne prodigium minus prædicabile æstimaverit quam si super aquas ierit? Utrunque etenim contra legem naturæ fieri certum est. Quis scientium tam clarum miraculum quoad vixit non aliis in opportunitate prædicare studuit? Veruntamen Omnipotens non in hoc solummodo facto modum declarandorum meritorum sancti viri statuit, sed statim in eodem loco haud multum dissimile miraculum per dilectum suum sanctum Egwinum manifestavit. Minister enim cui brachium sancti Ecgwini superius commendatum diximus, dum cum eodem brachio non recto tramite vadum attentaret, in gurgitem incidit permaximum, in quo pridie navis una demersa fuerat. Quod quum in litore adstantes cernerent, pallescere, trepidare, cum ingenti tumultu et dolore ad Dominum exclamare, sanctumque Ecgwinum cum lachrymis invocare cœperunt. Monachi vero tum pro famuli periculo, tum pro brachio sui protectoris in maxima angustia exstitere: omnes in commune nomen sancti Ecgwini cum clamore invocavere. Quum ergo diu multumque sub aquarum mole vir prælibatus latuisset, omnesque qui aderant hunc jam necatum existimarent, tandem super aquas vivus apparuit, et tertio immersus tertioque super liquidum elementum visus, demum per virtutem sancti ad terram extrahitur fessus, ubi tam insigne miraculum cunctis adstantibus est ostensum, ut nec in theca brachii sancti Ecgwini nec in vexillo quod infra positum servabatur vel una solummodo aquæ gutta apparuerit, neque quicquam in eo madidum repertum fuerit. Obstupuere universi; pariter collaudant magnalia sancti Ecgwini; ejusque ministrum apprehendentes et ad domum deducentes læti prope eum permanent, curam impendentes. Qui quum plurimum aquæ ab ore dimisisset, postera die sanus et incolumis cœptum iter accelerat cum cæteris.

De cereis sine adjutorio hominis accensis.

A.D. 1077–1086. Various miracles.

Alio tempore dum reliquiæ sancti Ecgwini a monasterio sancti Pancratii deferrentur, processione præcedente cum cruce et ardentibus cereis, repente vi ventorum cerei exstincti sunt. Sed quum uno pæne miliario processissent, rursus cerei divinitus accensi, ardentes, cunctis mirantibus, visuntur.

De muliere cujus infans ex utero rupto fuerat extractus.

Præterea multi diversarum infirmitatum morbo detenti, quum de aqua benedicta unde brachium sancti Ecgwini lotum fuerat hausissent, celerem sanitatis effectum maturius percepere. Quædam etenim mulier cujus infans infra materna viscera[1] morti addictus fuerat, nec, sicut plerisque, abortivus exierat, verum in materno utero computruerat, dum de aqua unde sancti Ecgwini brachium erat lotum cum spe salutis sumpsisset, statim in sequenti nocte vigilando cum cognatis et amicis ante feretrum sancti, dirupta est alvus illius, venienteque aurifabro cum forcipe et infantilia ossa jam fere medio anno putrescentia a maternis visceribus extrahente, quæ prius jugi dolore et maximo fætore torquebatur postmodum sanitati reddita est.

De altera muliere sanata.

Altera item mulier cujus brachium miserrime fuerat contractum, per beatum Ecgwinum coram multis sanata est.

---

[1] *viscera*] vicera, MS.

De virtute sancti Ecguyini pacificandi homines.

A.D. 1077-1086. Various miracles.

Omnibus autem pie intuentibus liquet sanctum Dei Ecgwinum filium pacis exstitisse, cujus reliquiis tam miram Dominus gratiam conferre dignatus fuerit ut quantacumque quilibet discordiæ peste discissi fuissent, præsentibus ejus reliquiis mox in pacis gremio filiis pacis consensissent. Nam quum quidam ita nece carorum indurati essent ut, neque auctoritate regali seu episcopali vel cujuslibet dignitatis devicti, paci assensum præberent, advenientibus in id locorum sancti Ecgwini reliquiis, confestim janua pacis in commune omnibus patefacta est. Omnes præsentes in hoc facto obstupescere, nonnulli etiam præ gaudio flere cœpere.

De eodem.

Rursus in civitate Wintonia vir quidam, acerbitate interfecti filii prope in amentiam versus, ita indevincibilis permanserat, ut nulla precum instantia multo temporis ad pacis concordiam potuerit inflecti. Ventum est ad illam civitatem cum reliquiis sancti Ecgwini, et finito sermone pro quo venerant, admonentur sanctarum reliquiarum custodes quatenus paci studerent. Quumque sermo pacis exortus esset, et preces ad prædictum virum pro amore sancti inflectendum subjunctæ fuissent, non valens ille ulterius præsentiam reliquiarum et vim verborum sufferre, coram cunctis fugam iniit. Cerneres illum a multis insequi, nec a quoquam posse comprehendi. Mox virtute sancti Ecgwini spontanee reductus, ante sanctas reliquias corruit, sine mora omnia indulgens firmissima pace concessa. Quo facto, quam multorum ora in Dei laudibus relaxata sunt!

De muliere a gravi infirmitate sanata.

Mulier quædam in Dorobrevi triennio gravissima infirmitate detenta est. Hæc quum cognovisset re-

liquias sancti Ecgwini illuc adventasse, misit per manus nuntiorum suam oblationem ad feretrum, ampliora promittens si Deus per sancti viri merita sibi optatæ sanitatis concederet gaudia. Sequenti vero die ipsa mulier læta et incolumis propriis manibus ad sanctum Ecgwinum suam oblationem detulit, collaudans Dominum et ejus fidelem servum sanctum Ecgwinum. A.D. 1077-1086. Various miracles.

De homine vincto, soluto et liberato a morte.

Solemnis dies sancti Ecgwini erat in proximo quum quidam ejus minister comprehensus in latrocinio morti adjudicatus est. Impositus ergo miser ille super vile jumentum, vinctis manibus post tergum, deducebatur juxta monasterium sancti Ecgwini ad locum suo capiti periculosum. Qui recordatus futuri diei magnam solemnitatem et sancti Ecgwini miram benignitatem, de jumento cui insidebat sponte cecidit, et ad monasterium sancti fugiendo pervenit; inveniensque ostium apertum statim ingreditur, et coram altare sancti Ecgwini adjutorium postulans prosternitur. Mirum dictu! continuo manicæ dissolutæ liberas manus hominis reddidere. Ita per merita sancti Ecgwini et a ligamine manuum et ab insectatione prosequentium inimicorum liberatus, sancto amodo proinde gratias agens permansit.

De illæso cadente ab ecclesia Eweshamiæ.

Nec prætereundum remur quod multis oppido mirum visum est, neminem in destructione monasterii sancti Ecgwini de vita periclitatum. Quadam namque vice quum tigna presbyterii studuissent dejicere, adstabat quidam operarius in media[1] domo super trabes, molitus

[1] *in media*] imedia, MS.

A.D. 1077-1086. Various miracles.

quomodo ad tigna dejicienda valeret insistere, quum repente omnia insimul tigna ruinam maximo fragore dedere, et pariter ruentia[1] mortem vicinam in medio trabium adstanti intentavere. Quid faceret miser, quo se verteret, subita ruina interceptus ignorabat. Tempus consilii aberat. Projiciens ergo se inter binas trabes nequaquam interlaqueatas, ipsasque hinc et illinc geminis manibus apprehendens, superveniens pondus ita illæsus sustinuit. Tunc qui adstaret potuisset videre omnes præsentes veluti exsangues effectos trepidare, præ timore vociferari, una sanctum Ecgwinum ab omnibus invocari. Compresso igitur tanto clamore, præfatus vir mirabili sinuamine ad superiora reductus, exsurgit incolumis et lætus, Dominum collaudans et sanctum Ecgwinum humillimis vocibus, cunctique id cognoscentes gratias retulerunt pro divinis mirabilibus.

De quodam raptore percusso infirmitate, et, pecunia restituta, sanato.

Pandendum vero cunctis pie legentibus videtur mitissimum Dei servum sanctum Ecgwinum non solum subjectis et ejus tutelam humiliter expetentibus adjutorem benignissimum, verum enimvero etiam eum eique commissa contempnentibus vindicem durissimum. In multis enim necessitatibus maximis et diversis semper præsto fuit suis servis se invocantibus. Sæpe etiam in gravissimis placitis expetitus, mirum adjutorium præbuit exposcentibus. Plerumque vero victoriam affuturam per evidentissimas visiones multifariam tremebundis insinuavit. Quas ob nimiam copiam omittentes, fastidioso lectori brevitati studentes morem gerimus. Id autem cunctis tam sanctum virum cognoscentibus liquet, raro quempiam eum impune con-

[1] *ruentia*] ruentes, MS.

tempsisse, vel injuriam sibi suisque sine vindicta irrogasse. Unde licet multimoda et magnifica suppetant exempla in mediocribus et in spectandis etiam personis, unum tamen ex compluribus, magis summatim tangentes quam narrantes, causa brevitatis, subnexuimus. Quidam avaritia et typo superbiæ distentus, improbitate magis quam vi, aliquot nummos a ministris sancti Ecgwini haud æqua lance acquisivit. Quamobrem sanctus vir injuria suorum commotus, per visionem hominem alloquitur, jubens ut quod injuste de se acquisiverat reportaret. Minatur insuper damnum gravissimum ni obtemperatum ierit affuturum. Sed quum ille paululum credulus minime obsecundaret, de equo cadens detrimentum corporis incurrit. Admonetur iterum; et nec sic obaudiens, simili damno gravius percellitur. Verum sanctus Ecgwinus non prius destitit quod suum erat tertio expetere, donec prædictus vir, gravissima infirmitate decoctus, vellet, nollet, per quendam reverendum archidiaconum denarios quos injuste acquisiverat ad altare sancti Ecgwini remitteret. Venit ergo archidiaconus ad monasterium sancti Ecgwini, convocans ad se priorem loci cum cæteris fratribus, coram altare rem gestam ex ordine pandit. Nec mora: indulgent fratres misericordiam poscenti, nummi offeruntur, reus absolvitur, infirmus a sancto Dei divinitus curatur. *Sæc.* XI.

De virtute sancti Ecgwini circa incendia exstinguenda.

Inter cætera quæ sanctus ac dilectus Dei Ecgwinus multa et mira servis suis dignatus est intimare, omnem facundiam ea videntur excellere quæ in igneo elemento valde admiranda novimus eum misericorditer egisse. Hæc licet tam multa sint ut vix quisquam studiosorum omnia comprehendere sufficiat, ad declaranda tamen cætera tria in medium breviter proferamus consideranda. Apud monasterium sancti Ecgwini prædium

A.D. *post* 1030. quoddam ditissimarum domorum a domino Ælfwardo episcopo et abbate fuerat ædificatum, quod maximo honori deditum a multis divitibus frequentebatur per annum. Hoc, peccatis exigentibus, igne invasum, miserabile cunctis videntibus præstabat spectaculum. Commoti qui aderant universi ad patrocinium currunt sancti Ecgwini, asportant ejus feretrum ad locum periculi, et per medium unius domus ad quam maxime ignis vergebat deferentes reliquias sancti, rei exitum præstolantur, de virtute sancti pontificis confisi. Mira dicturus sum! Statim ut ad illam domum ignis pervenit, unam medietatem consumpsit, aliam dimisit; nec ultra ausus est ignis suum protelare incendium quam quo sancti Ecgwini deportatum fuerat feretrum. Sic sanctus pontifex et suam ecclesiam liberavit et præclarum miraculum ostendit, et voces Dominum confitentium in sublimi extulit. Hujusmodi vero miraculum bis demonstratum est per sanctum Dei Ecgwinum.

De eodem.

Nec minus illud erat quod in eodem elemento per sanctum Ecgwinum operatus est Christus. Circa ecclesiam sancti viri quædam altissima et maxima sepes de spinis in vicino fuerat constructa, quam quum ignis ex vicinis domibus emissus invasisset, maximum timorem servis sancti pontificis incussit. Timebant enim omnes ne per vicinam sepem monasterium sancti Ecgwini ab igne corriperetur. Concurrunt igitur ad ecclesiam, arripiunt scrinium sancti, deferunt quantocius ad ignem, ac super sepem prope incendium ponentes, talia efferunt vociferantes, "Domine sancte pater Ecgwine, si vis, te ipsum ab incendio defende." Vix emissum est verbum quum, ecce! tantum crepitum reddidit incendium quasi super ignem aquam infunderent utres centum. Mox viribus exemptis, insimul totum consopitum est incendium. Quis cernentium in tam

mirabili facto non laudavit Dominum? Omnibus etenim est patefactum multum apud superos posse beatum Dei confessorem Ecgwinum. *Sæc.* XI.

De eodem.

Monasterium sancti patris nostri Ecgwini sæpe, ut retulerunt qui viderant, incendio consumptum foret, nisi hoc virtus sancti pontificis pia defensione protegeret. Allatis namque ad locum incendii sancti viri reliquiis, plerumque vis ventorum aliorsum retorquebatur, nonnunquam vero ipsum incendium consopiebatur. Nam quum quodam tempore maximo prope monasterium flagrante incendio, sancti Ecgwini scrinium per angustissimum tramitem inter duas domos a fratribus deferretur, continuo ut in id locorum est ventum, omne pariter incendium cessavit consopitum. Nec plus erat spatii quod sanctus fuerat delatus quam longitudo pedis unius. Remansit ergo una domus ab igne illæsa, alia vero periit consumpta. Hinc itaque rogemus Dominum virtutum, ut per tantum patronum Ecgwinum solvat vincula peccatorum nostrorum, et pascat nos gratia beneficiorum suorum, et convertat aut excidat capita adversariorum, et in die belli et in ruina mundi obumbret nos scuto bonæ voluntatis et velamento alarum suarum, et liberet ab igne vastationum et a flamma vitiorum et a suppliciis æternorum incendiorum, perducatque nos ad hujus patris nostri consortium, cum quo Ipsum auctorem omnium laudemus in sæcula sæculorum. Amen.

[LIBER TERTIUS.]

Particula Prima.

Incipit prologus libri tertii.

Ne bonorum et malorum post mortem apud homines eadem sit conditio, bonorum videlicet egregiis actibus cum factoribus suis commorientibus et malorum pravis operibus cum actoribus suis consepultis, veteres Graii scripti remedium objecere prudenter, et scriptores suos, quos dixere historiographos, ad conscribendas rerum historias studiosius exciverunt, ut vocis vivæ silentium vox scripta suppleret. Romani vero Græcorum æmuli perpetuandæ virtutis causa non solum styli assumpserunt officium sed et statuas adjecerunt, et sic, tam veteres representando quam provocando posteros, virtutis amorem, tum per oculos tum per aures ad interiora multipliciter demissum, imitantium mentibus firmius impresserunt. Porro patrum gesta sanctorum, quos frequentius commemorat et commendat ecclesia, neminem ad imitandum accenderent, si conscia veritatis antiquitas legendam nobis historiam non reliquisset. Et nisi Dominus tam in Novo quam in Veteri Testamento quæ sint fugienda et quæ imitanda tum scribendo tum aliis scribenda expressisset, nullus bona a malis distinxisset. His et aliis exemplis instructi, ut benefactorum ecclesiæ Eveshamensis a tempore fundationis suæ memoria sit in benedictione, et ut gloria eorum tractu temporis non marcescat, nec eximia eorum gesta oblivio posteritatis exstinguat, sed ut quod ab eis magnifice factum fuit posteri sumant in exemplum,

eorum gesta stylo commendare dignum duximus, nec non et eorum qui ejusdem ecclesiæ bona distraxerunt malefacta denotabimus, ut nos bonorum exemplis informati a malis male alienata revocare studeamus, et quæ ab eis fuerunt dispersa congregare nitamur. Ad quod faciendum tanto facilius provocabimur et arctius astringemur, quanto magis in periculum animæ suæ ipsos ea fecisse, et possessores non minus periculose, immo perniciosius et magis injuriose et sine ratione, ea possidere, cognoverimus.

Explicit prologus.

Incipit Liber Tertius,

De constitutione Eveshamensis cœnobii, et benefactoribus et malefactoribus et abbatibus ejusdem ecclesiæ, et operibus eorum bonis et malis, collectus et compositus a Thoma priore Eweshamiæ ex variis cartis et scriptis et factis manifestis.

A.D. 714. Ecgwin resigns the see of Worcester and retires to Hethomme and Wilfrid succeeds him.

Anno igitur ab incarnatione Domini septingentesimo quartodecimo sanctus ac Deo dignissimus antistes Ecguuinus postquam ecclesiam Wigornensem veluti pastor bonus tertius gloriosissime rexerat, sextodecimo episcopatus sui anno, quum longo confectus fuisset senio, præfatam sedem pontificalem ex toto reliquit, constituto pro eo, secundum suum velle et electionem, venerabili viro Wilfrido episcopo. Ad locum istum primitus ab eo Eovesham appellatum, quem (Sancti Spiritus revelatione et beatissimæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ manifesta apparitione confortatus,) diligentissime primus in honore ipsius angelorum et hominum reginæ per sex annos construxerat, mente et corpore

pariter rediit, atque in magna contemplatione Dei, veluti in vita sua plenissime habetur, usque ad ultimum diem transitus sui novem annis sanctissime vivens hic permansit. Sciant ergo omnes hujus sanctæ ecclesiæ filii atque amici perfecte eam diligentes tam præsentes quam futuri, quod locus iste tunc temporis nihil pertinebat ad Wigornensem ecclesiam cui ipse episcopus præerat, sed, ut præfati sumus, divino admonitus instinctu, a rege Æthelredo filio Pendan regis, cujus meminit Beda venerabilis presbyter in gestis Anglorum, illum obtinuit, et monachilem congregationem pro amore Dei, atque salute animæ suæ primus omnium hic constituit. Hic autem nomina possessionum quas idem reverendus pater noster beatus Egguinus huic ecclesiæ acquisivit, et eorum nomina a quibus eas obtinuit, ut eorum memoria sit in benedictione, denotanda dignum duximus.

Hethomme did not belong to the see of Worcester.

Hist. Ecc. iii. 11., iv. 21.

Nomina benefactorum Eveshamensis cœnobii et possessionum ejusdem.

Benefactors to Evesham.

Anno igitur ab incarnatione Domini septingentesimo primo, Rex Merciorum Æthelredus, filius Pendæ, in honore beatæ Virginis Mariæ, dedit viro venerabili Ecguuino episcopo Hethomme. Anno incarnati Verbi septingentesimo tertio dedit idem rex ecclesiæ beatæ Mariæ constructæ in Hethom, postquam beata Virgo Maria in eodem loco comparuerat, beato Eggwino Chadelburi, Fladeburi et Stredfort, quam postea, mortua Ostritha regina, occupavit Æthellardus Wicciorum subregulus, donec beatus Ecgwinus daret eidem pro ea Fladeburi. Eodem anno dedit Offa[1] rex eidem ecclesiæ in Hethom, Huffam, tres Lutletonas, Poddenho, Huni-

A.D. 701–703. Grants of Æthelred, king of Mercia.

Grants of Offa, king of Essex.

[1] "prædictus *Ethelredus*," rex Merciorum "dedit;" Harl. MS. 3763, f. 57; *Kenred* and Offa, with the date of 709, but marked as spurious, in Kemble, Cod. Diplom., vol. I. p. 70, from Vesp. B. XXIV.

burne, Aldintone, Baddeseie, Bretfortone et Wikewane. Sed Oswardus, mortuo Æthéllardo subregulo fratre ejus, occupavit postea eandem terram viginti mansarum in Thuiforde donec beatus Egwinus tradidit ei Stredford. Anno ab incarnatione Domini septingentesimo sexto, Æilwardus Wicciorum subregulus, consentiente rege Kenredo, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ in Hethomme Ambresleiam. Eodem anno Ailricus, Osheri regis filius, consentiente rege Kenredo, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ in Hethomme Childeswikewane, et Walterus Dudde,[1] sacerdos, Suelle Majorem. Anno ab incarnatione Domini septingentesimo octavo, Kenredus rex Merciorum, filius Wlferi, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ in Hethomme ex una parte Avenæ, Nortonam, Echeslench, Chirchlench, Mortonam, Bivintonam, Hulebarewe, Witheleiam, Sanburne, Kinewartune, Salford, et alteram Salford; ex altera parte Avenæ, Hamtone, Bengwithe, Willerseie, Dunnintone, Bradewelle, Tetlestrope, Stowam, Malgaresburi, Burthtone.[2] Anno ab incarnatione Domini septingentesimo undecimo, rex Merciorum Chelredus, filius Æthelredi regis, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ in Hethomme Raggeleiam, Arewe, Eccleshale, Wileshale, Addrichestone, Dorsintone, Bromc, Mulecote, Bunintone, Hildeburuurthe, et unam hidam in Budifordia.[3] Anno ab incarnatione Domini septingentesimo sextodecimo Ethelbaldus, filius Alewi, rex Merciorum, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ et domino Eggwino primo abbati de Eovesham Hactone, Brainesford, Hamptone juxta Wictium emptorium, Houptone, Wittone, et Lench Bernardi,[4] Westone, Hudicote, Stoke.

A.D. 706. Grants of Ailward, sub-regulus of the Hwiccas, and others.

708. Grants of Kenred, king of Mercia.

711. Grants of Ceolred, of Mercia.

716. Grants of Ethelbald of Mercia.

[1] "Balterus filius Dudde," Harl. 3763, f. 57. His charter is given in full in the same MS. at f. 65 b., from which it is printed under the name of Uualdhari in Kemble, Cod. Diplom., vol. i.. p. 66.

[2] Harl. MS. 3763 adds "Wicwone."

[3] The charter is given in Harl. MS. 3763, f. 60, with the date of 710; but at f. 57 of the same MS. the gift is assigned to 711. Printed in Kemble, vol. i., p. 72.

[4] "Lench Alnoth juxta Chadelbure." Harl. 3763, f. 60 b.

Hæc autem fuit causa commutationis supradictarum villarum de Fladeburi, Stradford et Tuiford. Æthelardus Wictiorum subregulus, cognatus Ostrithæ reginæ et regis Offæ, ea mortua sine liberis, quia Chelredus non erat filius ejus, et rege Ethelredo facto monacho, dicens regem non posse hæreditatem uxoris suæ alicui conferre, occupavit Stredford, quia ibi fortior erat, donec beatus Ecgwinus redderet ei Fladeburi quia erat hæres reginæ Ostrithæ. Quo defuncto sine liberis, Oswardus frater ejus occupavit injuste viginti mansas in Tuiford, ut hæres Offæ regis de terris ejus in regno Merciorum, donec beatus Ecguuinus reddidit ei Stredford, dicens, fratrem suum illam juste tenuisse, et injuste pro propria hæreditate de Fladeburi ei contulisse. Sed episcopi Wigorniæ, fortiores nobis, ut suo prædecessori datas postea eas acquisiverunt, et ecclesia nostra cui datæ erant illis injuste caret. Post decessum vero beati Ecgwini quas possessiones huic ecclesiæ alii contulerint et nomina conferentium, ut et eorum in orationibus nostris perpetua habeatur memoria, hic subnectendum bonum et utile putavimus. Anno igitur ab incarnatione Domini septingentesimo vicesimo primo, prædictus Ethelbaldus rex dedit ecclesiæ beatæ Mariæ in Eovesham unam portionem quam accolæ Sele nuncupant,[1] cum statu trium mansium in loco ubi salsæ aquæ ebulliunt, quæ debet reddere annuatim trescentas sexaginta mittas salis. Dedit etiam capellas sancti Albani et sanctæ Margaretæ in Wigornia, cum pluribus domibus circumjacentibus. Anno ab incarnatione Domini septingentesimo quinquagesimo septimo Thingfuth rex Merciorum dedit ecclesiæ beatæ Mariæ et sancti Eggwini in Eovesham, Eunlade, Deillesforde, Chesteltune, Cornewelle, Salford,

A.D. 716. Æthelard claims Fladbury as heir to Q. Ostryth.

Osward claims Stratford as heir to Offa.

721. Grants of Ethelbald of Mercia.

A.D. 757. [777.] Of [Thingferth] Offa.

[1] "Unam portionem mansionis in "wico emptorio salis, quem nos Salt-"wich vocamus." Charter in Cotton Vesp. B. xxiv, f. 23 b. Printed in Kemble (marked as spurious), vol. I. p. 81., with the date of 716-7.

A.D. 774. [840.] And of Bertulf, of Mercia. Derneford, Schiptone.[1] Anno ab incarnatione Domini septingentesimo septuagesimo quarto Bertulfus rex Merciorum dedit ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis et beati Ecgwini, Pebewrtham, Quentonam, Sloptra.[2] Anno

A.D. 973. [962.] Of Huue, earl of Warwick. ab incarnatione Domini nongentesimo septuagesimo tertio Huue þe Huuede, comes Warewikiæ, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ et beati Ecgwini, consentiente rege Eadgaro,

A.D. 986. Of king Ethelred. Witlakesford et Greftone Minorem.[3] Anno ab incarnatione Domini nongentesimo octogesimo sexto Ethelredus rex Angliæ, frater beati Ædwardi, dedit ecclesiæ beatæ Mariæ in Eovesham et ecclesiæ beati Eadwardi in Stowia unam mansam sitam juxta Malgaresburie. Quod jus antiquitus quidam raptor, Wlfric Ripa vocamine, a præfato monasterio inique abstulit, sed præfatus rex Ethelredus hoc eidem monasterio postea reddidit.[4]

A.D. 1018. (1020.) Of Canute. Anno ab incarnatione Domini millesimo octavo decimo[5] Kanutus rex Angliæ dedit ecclesiæ beatæ Mariæ et

---

[1] These grants are assigned in Harl. MS. 3763, f. 57 b., to the year 780, and are said to have been made by "Offa, filius Tinfrith, rex Mer-"ciorum." This is confirmed by the charter itself, which is copied (in a hand of the 12th cent.) at f. 61 of the same MS., with the date of 777, under which date it is printed by Kemble, but marked as spurious, vol. I., p. 157.

[2] "Anno ab Incarn. Domini 840, "Bertulfus rex Merciorum dedit ". . . Pebewrtham, Quentonam, "Mapellesborghe." Harl. MS. 3763, f. 57 b. The charter itself is copied at f. 61 b. of the same MS., and printed in Kemble, vol. II. p. 6, where it is marked as spurious. Beortulf reigned in Mercia from 838 to 851 : *Flor. Worc.*

[3] In the above-mentioned MS., at f. 57, this grant of Huue þe Huuede is assigned to the year 986, but a third date is given at f. 62 in the charter itself, viz. 962, under which it is printed in Kemble, vol. II., p. 382. The granter there describes himself as "Vuathe Hwede, "vicecomes Warwichie."

[4] The charter of King Ethelred, by which this manse was restored in the year 1016, is given in Harl. MS. 3763, f. 62 b., in which any future spoiler is warned, "ne ipsi "talis multatio accidat qualem audi-"vimus illi Wlfrico Ripa accidisse. "Hoc est, quod corpori ejus sepulto "in Glastonia non licuit quiescere "antequam in stagnum, Fearninga-"mere vocabulo, projiceretur." The charter is marked as spurious in Kemble, vol. III., p. 364.

[5] In Cotton Vesp. B. xxiv., f. 18, and in Harl. 3763, f. 63, where the deed is given at length, the date assigned is 1020, under which it is printed in Kemble, vol. VI., p. 178.

beati Ecgwini Baddebi et Newham. Idem Kanutus dedit quinque terras in Gloucestre et duas in Winchelcumbe et unam in Norhamtone. A.D. 1020. Anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo quinto Eadwardus rex Angliæ dedit ecclesiæ beatæ Mariæ et beati Ecgwini Suuellam Minorem et Graftone Majorem, et concessit quod *porth* et mercatio essent apud Eovesham. A.D. 1055. Of Edward Conf. Alio vero tempore Warinus Bussel dedit ecclesiæ de Evesham ecclesiam de Penwrtham et tertiam partem decimarum de dominico de Lailonde et de Meoles et Farintone cum pertinentiis suis. Various subsequent benefactors. Ricardus Bussel dedit ecclesiæ Eoveshamensi sex bovatas terræ in Longeton et totam ecclesiam de Lailonde et quartam partem piscariæ de Penwrtham et unum rete liberum et capellam de Meoles. Albertus frater ejus dedit duas bovatas terræ in Lailonde et assartum de Blakesha. Ricardus vero episcopus Conventrensis per cartam suam hæc omnia cum prioratu nobis confirmavit. Comes autem Rogerus Pictavensis [dedit nobis [1]] Hocwike ; hanc tenemus de rege. Nigellus constabularius [2] Cestriæ medietatem de Thelewelle, et unam piscariam et unam hidam in Goldhore. Milo Crispin dedit dimidiam hidam in Hildendone. Brien filius comitis dedit ecclesiam de Hildendone. Alnod sacerdos dedit ecclesiam beati Michaelis in Cornhulle, London. Rodbertus de Stafford dedit Wrottesleiam et Liventonam. Willielmus Fossard [3] dedit ecclesiam de Huntintun. Hugo filius Rogeri dedit nobis Suleston et unam carrucatam terræ de hæreditate Margaretæ uxoris suæ ad petitionem ejusdem, et Paganus de Muers dedit eidem loco insulam quæ dicitur Serpham. Willielmus de Harewecurt dedit nobis quinque solidos in molendino de Westun. Robertus de Kikeswic dedit nobis decimas de Pikerleye. Isti fuerunt hujus ecclesiæ principales et primi bene-

[1] In margin.

[2] "Johannes constabularius." Harl. MS. 3763, f. 58.

[3] "Ricardus Fossard." *Ibid.*

factores, quibus pro misericordia sua magna benefaciat Deus et retribuat eis secundum retributionem quam retribuerunt nobis, respondens ipsis secundum benefacta eorum, ut centuplum accipiant in regno cœlorum. Sed quia tum per varias temporum incommoditates et bellorum incursus, tum per malignorum hominum impugnationes et invasiones, tum per prælatorum et subditorum hujus ecclesiæ insufficientiam, malitiam, et negligentiam, a pluribus malevolis Dei et ecclesiæ hujus inimicis diversis temporibus hæc bona multimodis direpta et subtracta dinoscuntur, et iterum, per gratiam Dei, per sufficientiores, diligentiores, et magis quæ Dei erant quam carnis et sanguinis diligentes, malignorum prælatorum et subditorum bonos successores, pro magna parte revocata et redintegrata consistunt, tam malefactores quam benefactores, tam dispersores quam redintegratores ut utrique dignam remunerationem et mercedem, justitiam et misericordiam consequantur, stylo, licet insufficienti, commendabimus. Hoc etiam in subsequenti opere diligens lector attendat, quod si aliquando alium a prædictis aliqua ex prædictis huic ecclesiæ contulisse scriptum invenerit, magis revocasse quam de novo contulisse intelligat; quamvis acquirenti, conservanti, et dispersa revocanti, eadem merces a Domino debeatur. Igitur omnes possessiones a sanctissimo patre nostro beato Egwino acquisitas integerrime sine diminutione et cum summa libertate decem et octo abbates post ejus depositionem possederunt, quorum nomina sunt hæc: Primus ab eo Æthelwold; abbas secundus, Aldbore; abbas tertius, Aldbath; quartus, Aldfefert; quintus, Tildbrith; sextus, Cutulf; septimus, Aldmund; octavus, Credanus sanctus;[1] nonus, Thincferth; decimus, Aldbald; undecimus, Ecbrith; duodeci-

Names of 18 abbots who succeeded Ecgwin.

[1] In the time of Offa, who, at his request, confirms a charter of Ceolred, Vesp. B. xxiv., f. 23 b. Other charters signed by him are dated 777, and between 778–781; Kemble, Cod. Dipl., vol I., pp. 159, 177.

mus, Elferd; tertius decimus, Wlfard;[1] quartus decimus, Kinelm; quintus decimus, Kinath; sextus decimus, Ebba; septimus decimus, alter Kinath; octavus decimus, Edduuinus abbas.[2] Isti omnes pariter per ordinem hanc abbatiam integram atque indivisam cum terris et possessionibus et magna libertate veluti pater Eggwinus dereliquit quamplurimis annis tenuerunt.

De prima destructione Eveshamensis ecclesiæ, et dispersione monachorum et substitutione canonicorum, per Alchelmum et Wlricum laicos et Osulfum episcopum.

Deinde vero defuncto abbate Eaduuino, et rege Ædmundo, non illo sancto, regnante, quidam nefandissimus princeps hujus patriæ, Alchelmus nomine, a rege eodem juvenili ætate minus sapiente hanc abbatiam obtinuit, et quasi lupus rapax, primus raptor hujus ecclesiæ, gregem Christi dispersit, servos Dei monachos inde fugavit, terras et possessiones sibimet accepit, quosdam canonicos in loco monachorum (quibusdam terris sibi relictis) constituit, et quamdiu vixit contra Deum et omnes sanctos Ejus iniquissime tenuit. Post ejus denique mortem diversi homines sub diversis regibus laicali potentia locum istum possederunt, veluti erat quidam sanctæ ecclesiæ raptor iniquissimus nomine Wlfricus, et episcopus quidam nomine Osulfus, et ita de una potestate in aliam potestatem contrariam res hujus monasterii miserrime distrahebantur, quoadusque rex pacificus Ædgarus in regno confortatus, sapientium consilio et maxime sancti Dunstani archiepiscopi, synodum totius Angliæ fecit congregari, in qua

Alchelm obtains the abbey, expels the monks, and introduces canons. A.D. 941–946.

Wulfric and Osulf, bishop of Ramsbury, possess the abbey.

[1] His signature is attached to a Mercian charter of 851, marked as spurious by Kemble, Cod. Dipl., vol. II., p. 44. The signature of an abbot of Evesham named Wilfy occurs in another spurious deed of 868, printed *ibid.*, p. 92.

[2] The signature of an "Eadwine, abbas," is attached to charters of 931 and 934. *Ibid.*, pp. 174, 197.

Monks restored in accordance with the decree of the council held in A.D. 969.[1]

præfatus archiepiscopus Dunstanus et sanctus Osuualdus archiepiscopus ac beatus Ætheluuoldus Wintoniensis ecclesiæ antistes, omnesque alii episcopi et abbates et principes hujus patriæ affuerunt, ibique decreverunt ut omnes ecclesiæ quæ destructæ fuerant a monastica religione restaurarentur.

De reformatione ejusdem ecclesiæ et revocatione monachorum et amotione canonicorum per beatos Dunstanum et Ethelwoldum et per Oswardum abbatem.

Osward appointed abbot.

Qua de re sanctus Atheluuoldus jussu regis et beati Dunstani et aliorum magnatum communi decreto ad plures ecclesias transiens, abbates et monachos constituens, tandem ad istum locum venit et Osuuardum abbatem hic constituit, commendans ei terras et possessiones quas Alchelmus Christi adversarius post mortem Eadwini abbatis abstulit.

De secunda dispersione[2] *monachorum et substitutione canonicorum per Alferum et Godwinum laicos et Algesium episcopum.*

The monks again expelled by Alfhere, ealdorman of Mercia, A.D. 976.

Deinde vero, defuncto rege pio Eadgaro, et filio ejus Eaduuardo, qui postea martyr effectus est, juvenili nimium ætate et sensu simplici regnante, et ideo parum fortiter regno suo dominante, dux quidam sceleratissimus, Alferus nomine, potentissimus hujus patriæ dominator, monachos iterum de multis ecclesiis expulit. Hic namque ad istum locum pergens monachos iterum hinc expellens, canonicos paucos constituens, hanc villam Eovesham et Uffenham et reliquas hic in circuitu sibi in dominio assumpsit, fratri suo, Alfuuardo nomine,

[1] Wilkins, Concilia, I. 247. The extracts "ex Chronico Monasterii "Eveshamensis" in Cott. MS. Vesp. B. xv., f. 17, fix 960 as the year of Osward's appointment. His signature is attached to a charter of 966, marked as spurious by Kemble, Cod. Diplom. vol. III., p. 1.

[2] *dispersione*] dispersitione, MS.

Ambresleie dedit, et octo hidas apud Bivintone quibusdam militibus suis tradidit, presbyteris vero quicquid sibi placuit de terris ecclesiæ concessit. His temporibus quidam potens homo Vfa nomine, vicecomes videlicet supra Wareuuicscire reddidit huic loco cum corpore suo defuncto villam Withlagesford, quinque hidas. Sed presbyteri qui tunc temporis præfuerunt nimis incauti postea filio suo, Wlfgeato nuncupato, ipsam terram eo tenore dederunt ut post mortem ejus ecclesia iterum cum tota substantia quæ ibi tunc reperta fuisset eam reciperet. Sed hæc donatio ad ecclesiæ damnum longo tempore duravit, scilicet usque quo abbas Ageluuius, tempore sancti Eaduuardi regis, a Wigodo regis barone digno pretio eam comparavit. Quandam etiam villam nomine Mapeldreboreh, quinque hidas habentem, ipsi presbyteri cuidam viro nobili, Agelmaro nomine, similiter suo die concesserunt, sed ita injuste concessa usque in hodiernum diem ea caret ecclesia. Has et alias de his terris quas habebant potentibus hominibus iccirco dederunt ut adjutores plures haberent, ne monachi eos iterum ex hoc loco expellerent. Sed, Dei gratia, in vanum laboraverunt. Igitur dux Alferus, de quo superius præfati sumus, in ægritudine constitutus, de vita sua desperatus est. Quaproper vocavit ad se quendam monachum, Freodegarum nomine, qui cum eo conversabatur, et dedit ei abbatiam, Eovesham videlicet et Uffenham, et alias terras simul quadraginta hidas quas ipse habebat, Reliquas vero terras ecclesiæ presbyteris et aliis amicis suis prius dederat. Sed ipse abbas Freodegarus ad locum istum perveniens pauco tempore hic potuit commorari, quia clericos fortiores se inveniens nullo modo valuit eos hinc expellere. Qua de re quendam potentem hominem adiit, Godwinum nomine, qui tunc temporis terram habuit Tofecestre appellatam, et obtinuit ab eo ut mutuo sibi daret hanc terram pro ista abbatia. Placuit autem id præfato principi, atque ad regem Æthelredum, fratrem beati Ædwardi martyris,

A.D. 976–989.

Alfhere gives Evesham to Freodegar, a monk.

Freodegar exchanges the abbey with Godwin for Towcester

A.D. 989. accessit, donans sibi trescentas mancusas[1] auri eo tenore ut sibi abbatiam hæreditario jure perpetuo donaret. Rex igitur cupiens habere illud aurum stulte concessit sibi hunc locum. Protinus ille huc pergens presbyteros sibi subjecit, omnique abbatia injuste res et possessiones ejus diripiens sicut volebat dominari cœpit. Deinde post aliquantum tempus rex prædictus dedit hanc abbatiam cuidam episcopo, Agelsio nomine.[2] Sed is iterum post non multum tempus iram regis incurrens ab episcopatu dejectus mare transiit et nunquam reversus est. Deinde rex dedit eam cuidam alii episcopo, Æthelstano vocato.[3]

King Æthelred afterwards gives the abbey, first to bishop Agelsy, and secondly to bishop Æthelstan.

De secunda revocatione monachorum et prima subjectione Eveshamensis ecclesiæ episcopis Wigorniæ per Aldulfum episcopum et Aluricum abbatem.

Quo defuncto, Aldulfus episcopus Wigorniæ a rege eam obtinuit, et primus libertate sua fraudavit et suæ jurisdictioni subjecit. Ille autem constituit hic abbatem, Alfricum nomine,[4] post cujus etiam mortem Alfgarus abbas præfuit. Inter hos omnes quoque semper Goduuinus quadraginta habuit hidas, videlicet hanc villam Eovesham et Uffeham, Ambresleie, Burhton, Lencwike, ita ut nec episcopi nec abbates plus possent habere quam solummodo ecclesiam et reliquas terras quas presbyteri tenuerunt.

Aldulf, bishop of Worcester, obtains the abbey, *c.* 996.

De redemptione terrarum a Godwino per Brihtmarum abbatem.

Defuncto iterum isto abbate Alfgaro, Britthmarus quidam abbas præfuit huic loco. Qui vir venerabilis

Abbot Brihtmar redeems

[1] *mancusas*] manculas, Vesp. B. xv.

[2] Qu. Æthelsige, bishop of Sherborne from 979 to 993 ?

[3] Probably Ælfstan, bishop of London, who died in 995 or 996. A bishop of Rochester of the same name died in 995.

[4] Ælfric witnesses a charter granted by king Æthelred in 997. Kemble's Cod. Diplom. vol. III., p. 303.

Goduuinum coram multis principibus hujus patriæ frequenter placitavit, eo quod injuste terras ecclesiæ possideret. Qua de re dijudicatum est ei, ut tantum aurum quantum regi dederat sibi redderet, et ipse terras ecclesiæ jure reciperet. Quod et ipse libenter fecit, et quadraginta hidas ecclesiæ restituit. Huic vero abbati quidam nomine Ageluuinus abbas successit, et suo tempore abbatiam istam ut decessor ejus reliquerat[1] integram conservavit.

A.D. *c.* 1010–1014. the abbey lands from Godwin.

De secunda invasione possessionum hujus abbatiæ per Godwinum.

Quo etiam ex hac luce instabili migrante, sæpedictus Goduuinus sanctæ ecclesiæ adversarius per potentiam suam abbatiam istam iterum invasit, terras et possessiones diripuit, suoque dominio contra Deum miserabiliter mancipavit. Et hoc sine jussione regis fecerat, eo quod ipse eodem tempore mare transiens adiit comitem Normanniæ Rodbertum, cujus filiam habebat uxorem, fugiens namque quasi imbellis verecundose persecutionem Sueinonis regis fortissimi Danorum, qui tunc temporis maximam partem hujus patriæ cum maximo exercitu invaserat.

Godwin again takes possession of the abbey lands, A.D. 1013.

De plena revocatione possessionum hujus ecclesiæ et particulari reformatione libertatis ejusdem, et plena expulsione Godwini per Eilwardum abbatem, et aliis operibus ejus.

Sed eodem pagano duce secundo adventus sui anno divinitus extincto, rex Æthelredus patriam reversus quendam monachum Ramesiensem, Alfuuardum nomine, constituit abbatem in hoc loco, Qui vir venerabilis

A.D. 1014. But is finally expelled by abbot Ælfward.

[1] *reliquerat*] reliquirat, MS.

A.D. 1014–1016. huc adveniens, fretus auxilio Dei atque regis, pervasorem juris hujus sanctæ ecclesiæ, Goduuinum videlicet, cum magna fortitudine hinc expulit, et terras abbatiæ hujus sicuti melius fuerant antiquitus, Dei gratia annuente, viriliter omnes acquisivit. Goduuinus vero qui eas injuste habuit, eodem anno Dei nutu in bello contra regem Danorum, Cnutonem Sueinonis filium, facto occisus est. Ita denique post mortem abbatis Eaduuini a tempore regis Ædmundi, non illius qui vere sanctus appellatur sed alterius, usque ad finem fere regni regis sæpedicti Æthelredi, quod laboriosissime triginta annis tenuit, diversi huic loco præfuere prælati, laici videlicet, presbyteri, episcopi, et abbates, et ideo nimirum res et ornamenta hujus sanctæ ecclesiæ quæ pater noster Ecguuinus vel alii qui post eum pacifice eidem præfuerunt direpta atque in diversis locis distracta dinoscuntur. Et multa digna memoria hic facta profundæ oblivioni traduntur, de quibus aliquid magis pie arbitrari elegimus quam aliquid præsumptuose diffinire; quamvis ob totius loci sanctificationem, locum sanctum dividendo et loca a locis distinguendo, strictius et discretius loca in quibus facta sunt specificari non curemus, quum tamen ea infra ambitum hujus cœnobii facta nequaquam dubitemus. Sed hoc est mirabile in oculis nostris quod in tot et tantis tribulationibus et tam variis et subitis personarum hic injuste dominantium mutationibus, privilegia Constantini papæ [1] quæ reverendus pater noster beatus Ecgwinus acquisivit, vel ab episcopis Wigorniæ quum huic ecclesiæ dominabantur, vel a clericis quando huic loco præfuerunt, maxime quum talium contra incursus concepta et scripta sint, omnino non fuerint demolita. Sed hoc per Dei misericordiam et interventum Ejusdem gloriosæ Genitricis Mariæ factum esse credimus, quæ, sicut locum quem elegit penitus periclitari

Godwin is killed at the battle of Assandun. A.D. 1016.

[1] Wherever the word "papa" occurs in the text, there has either been substituted for it (as in the present instance), the word "episcopus," or it has been simply erased.

passa non est, sic et ejus jura et juris confirmationes ad ejusdem ecclesiæ reformationem illæsa conservare dignata est. Vir vero prudens Æluuardus abbas, qui etiam sub Cnutone rege Londoniensis ecclesiæ episcopus effectus est, non tamen hujus loci gubernationem deserens, laboriose, veluti præfati sumus, omnes terras ante habitas revocavit, et Bradewellam pro sex marcis auri redemit a consanguineo suo rege Cnutone. Qui rex reliquias beati Wistani et nigram casulam meliorem cum aliis ornamentis ad eam pertinentibus huic ecclesiæ contulit. Iste etiam rex dedit huic ecclesiæ Baddebi et Neueham. Idem vero Æiluuardus episcopus et abbas sanctissimas corporis reliquias fere omnes beati Odulfi confessoris a mercatoribus eas Londonias portantibus mercatus est digno pretio, id est, centum marcis, atque ad istum locum quem maxime dilexerat transmisit, laudabiliter reservandas hic perpetuo. Libros etiam plurimos tam divinos quam grammaticos de Londonia transmisit. Iste etiam abbas, postquam Aldulfus episcopus Wigorniæ hanc abbatiam sibi et successoribus suis subjecerat, primus abbatum in libertatem proclamavit, et in tantum obtinuit quod venerabilem virum Avitium hujus ecclesiæ priorem decanum Christianitatis totius vallis constituit, quam nunquam libertatem ecclesia ista postea amisit. Qui prior et decanus fuit a rege Cnutone et ab aliis principibus hujus patriæ plurimis valde dilectus et honoratus pro sua sanctitate. Iste prior quasi ex paterna hereditate duas villas Baddebi et Neueham huic sanctæ ecclesiæ reddidit. Hoc idem fecit postea beatus Wlsius quum parentes sui easdem villas iterum injuste occupassent; de una enim erant parentela. Ejus etiam hortatu Leoffricus comes et Godgiva comitissa, eo quod pater erat confessionum suarum, prudentissime mundum in plurimis spernentes, eleemosynis et orationibus diligenter instantes, Coventreiam abbatiam pluresque alias ecclesias pro amore Dei gloriose ædificantes, terris et possessionibus et plurimis ditabant ornamentis hones-

A.D. 1016-1035.

Ælfward appointed bishop of London (*c.* A.D. 1034) but retains his abbacy.

Canute gives the relics of S. Wistan to the abbey.

Ælfward purchases the relics of S. Odulf.

Appoints the prior Avitius to be the dean of Christianity for the valley of Evesham.

A.D. 1016-1035. Leofric and Godiva of Coventry build the church of the Holy Trinity at Evesham: [Bengeworth?]

tissimis. Hanc etiam abbatiam valde diligentes honorabant, facientes hic honorabilem ecclesiam in honore Sanctæ Trinitatis, in qua fecerunt constitui crucem non modicam et imaginem sanctæ Dei Genitricis Mariæ sanctique Johannis Evangelistæ argento et auro honorabiliter fabricatas; nec non etiam villam quandam, Shuocham nomine, et viridem casulam et minorem nigram capam et multa alia ornamenta preciosa huic loco contulerunt. Supra namque retulimus hoc quod in privilegiis patris nostri Ecgwini reperimus, videlicet, quod ipse centum viginti hidas huic loco ex utraque parte fluminis hujus quod dicitur Avene acquisivit, hanc villam videlicet Eovesham et Lencwike ex parte ista, Hamtune quoque et Beningwrthe ex alia; sed hæ duæ Hamptone et Beningwrthe cum aliis terris plurimis ablatæ et a diversis hominibus, sicut superius dictum est, sunt possessæ a tempore Ædmundi regis usque ad tempora Cnutonis regis sub hoc Ailuuardo episcopo et hujus loci abbate. Ipse igitur rex Cnuto in primo anno regni sui quendam ducem super omnes potentiorem hujus terræ pro causis quas noverat fecit occidi, Edricum nomine, cum quo etiam et aliis plurimis suis militibus quidam potens homo Normannus vocabulo, frater videlicet hujus Leofrici comitis, perimitur ejus jussione. Quapropter rex, quoniam Leofricum plurimum dilexerat, ut emendaret erga eum [propter][1] mortem fratris sui, fecit eum comitem et principem super omnes terras, ab ista Wigorniensi provincia usque ad Scotiam, insuper et terras fratris sui, quæ plurimæ erant, sibi concessit. Inter has namque villam supradictam Hamptune quinque hidas Leofricus accepit, quam frater suus Normannus donante rege Æthelredo plurimis annis possedit. Quum autem aliquot annis ipse comes eam possideret, et frequenter huc veniendo amicitiam atque notitiam præfati prioris Avitii

Death of Eadric and Norman, A.D. 1017.

Leofric appointed by Canute ealdorman of the midland and northern counties.

[1] Inserted in a later hand.

et aliorum fratrum, ecclesiam illam quam prædiximus ædificando multaque beneficia[1] peragendo, ex toto haberet, tandem cognoscens quod pater noster Ecgwinus primitus eam huic ecclesiæ obtineret, rogatu omnium fratrum pro alia terra quam prius dederat, Suocham nomine, ita omnino liberam huic ecclesiæ perpetualiter concessit, quemadmodum ipse, rege donante, longo tempore possedit, et veluti in carta sua quæ in fine hujus operis habetur perscripta apertissime demonstratur. Venerabilis igitur prior iste Avicius anno ab Incarnatione Domini millesimo tricesimo octavo ex hac luce discessit, et in eadem ecclesia sanctæ Trinitatis coram eadem religiosa comitissa Godgiva venerabiliter sepultus extitit, cujus et memoriam habuit quam diu vixit. Postea vero gloriosus Ailuuardus Londoniensis ecclesiæ, ut prædiximus, antistes, hujus ecclesiæ pastor piissimus, in ægritudine constitutus, jussit suis ut huc eum deducerent, cupiens, si Deus disponeret, in hoc loco quem plurimum ante dilexerat, membra[2] sua fragilia perpetualiter requiescere. Sed quidam fratres atque laici quos ipse antea divitiis et honoribus plurimum exaltans huic loco præfecerat, diabolico instinctu ad maximum damnum hujus sanctæ ecclesiæ contra eum rebelles effecti, per legatos sibi mandaverunt quod si huc veniret omnes monachi discederent. Quo audito, vir ille venerabilis plus quam dici valet contristatus, et pro his nefandissimis traditoribus suis nimium huic loco iratus, toto animo ad Ramesiensem ecclesiam conversus, ubi prius fuerat monachus fecit se deduci, et omnia ornamenta quæ secum portabat, videlicet casulas, capas, pallia plurima multaque alia ornamenta quæ huic loco offerre cogitabat, versa vice præfatæ ecclesiæ Ramesiæ omnia condonabat. Et ita millesimo quadragesimo quarto anno ab Incarnatione Domini vitam temporalem finiens, ibi sepultus requiescit.

A.D. 1035–1044.

He restores Hampton to the abbey.

Death of prior Avitius, A.D. 1038.

Bishop Ælfward is refused admission, when mortally sick, into the abbey.

He is carried to Ramsey, and dying there, 27 July, A.D. 1044, is there buried.

[Cotton. Vesp. B. xv. f. 17 b.]

[1] *beneficia*] benificia, MS. | [2] *membra*] menbra, MS.

A.D. 1044–1054.

De Abbate Mannio et sanctis operibus ejus.

Manny consecrated abbot, 10 Aug., A.D. 1044.

Eodem anno, facto concilio[1] apud Londonias, Mannius hujus ecclesiæ monachus abbas a rege Æduuardo, secundo videlicet anno regni ejus, eligitur, atque ad istum locum quarto idus Augusti consecratur. Hic vir venerabilis valde et sacris litteris aliisque plurimis artibus fuerat imbutus, videlicet cantoris, scriptoris, pictoris, aurique fabrilis operis scientia pollens, super omnes alios fere hujus patriæ magister optimus habebatur. Apud Cantuariam vero atque ecclesiam Coventreiam sicuti in multis aliis locis plurima opera tunc temporis valde laudabilia operatus est. In isto denique loco ecclesiam majori opere quam antea fuit construere cœpit, et usque ad bonum finem consummando consecrari fecit. Villa quæ appellatur Chirichlench suo tempore reddita est huic ecclesiæ. Similiter et Witheleia primitus a patre nostro Ecgwino acquisita, et tempore Ædmundi regis veluti plures aliæ usque ad sua tempora ablata, iterum, Dei gratia, sibi est reddita. Feretrum etiam sancti Egwini ex argento, auro, et lapidibus pretiosis composuit, in quo erant tres lapides magnam partem ecclesiæ de nocte illuminantes, in quo opere quoddam miraculum contigit divinitus, ut credimus, peractum. Nam quidam inter aurifices post abbatem magister aliorum, Godricus nomine, quum sculperet quandam imaginem quæ deberet poni in illo scrinio, contigit ut manum sinistram cum artificiali[2] subula mediam perfoderet; at ille, statim sanguinem extergens nihilque doloris sentiens, sed quodam ligamine vulnus manus suæ ligans, crastina die surgens de lecto, reperit ipsam plagam ex omni parte curatam. Quam rem mox ostendit abbati, qui simul cum fratribus gratias et laudes referunt Deo omnipotenti sanctoque Ecgwino suo patri. Idem artifex Godricus postea, tem-

The abbey church rebuilt, and consecrated 10 Oct., 1054. (Sax. Chron.)

Miraculous healing of Godric, a goldsmith employed upon the shrine of S. Egwin.

[1] *concilio*] consilio, MS.

[2] *artificiali*] artificali, MS.

pore Walteri abbatis, monachus factus, plurimis annis vivens in bona conversatione sancto fine quievit in pace. Fecit etiam idem abbas Mannius feretra beati Odulfi et sancti Credani; missalem librum atque Psalterium magnum propria manu descripsit ac laudabiliter depinxit, nec non et plura alia opera huic ecclesiæ laudabiliter operatus est. Ante septem fere annos ex hac luce suæ transmigrationis, justissima Dei clementia, patientiam ejus volens probare sicut et sancti Job, permisit eum incurrere gravissimam atque insanabilem corporis infirmitatem quam Greci *paralysin* appellant, ita ut, dissolutis omnibus membris[1], ultra non valeret aliquid disponere de ista abbatia.

A.D. 1054-1059.

Manny incapacitated by paralysis.

De ampliatione hujus cœnobii per Ælwinum abbatem et magnificis ejus actibus.

Qua de re prudenti usus consilio quendam de suis monachum elegit ad id officium honestis moribus valde probatum, tam generis nobilitate quam divina lege ac sæculari prudentia plurimum valentem, nomine Agelwinum, qui multo antea tempore episcopatum Wigornensis ecclesiæ sub Aldredo archiepiscopo laudabiliter rexerat,[2] et nunc sub eo jure præpositi totius abbatiæ hujus curam agebat. Misit quoque eum cum quibusdam fratribus et honorabilibus sæcularibus personis ad regem Æduuardum gravibus morbis demonstrans se esse oppressum, orans et multum supplicans ut huic viro abbatiam istam

Agelwy consecrated abbot at Gloucester, 23 April, 1059.

[1] *membris*] menbris, MS.

[2] Ealdred, bishop of Worcester, was elected to the archbishopric of York 25 Dec. 1060, but retained also his former see until 1062. If, therefore, the text means that Agelwy acted as Ealdred's commissary while the latter, as archbishop, held Worcester *in commendam*, it could only have been *after* his appointment to the abbacy, not "multo "antea tempore." The date usually assigned to Agelwy's appointment is that of A.D. 1058, but the passage below which mentions that he held his office for seven years during the reign of Edw. Conf., carries it on one year later.

A.D. 1059-1066. ex toto traderet et abbatem pro eo faceret. Quod rex prudens cognoscens ejusque piæ petitioni annuens, fecit eum apud Glocestre (ubi tunc curiam suam tenebat) coram multis principibus hujus patriæ ab Aldredo archiepiscopo honorabiliter in Paschali solemnitate die festivitatis sancti Georgii martyris consecrari, et ab illo tempore tam sibi quam cunctis baronibus suis carus, et inter primos necessarios consiliarius habebatur. Reversus namque domum cum multis optimatibus ex parte regis grandi honore atque amore suscipitur tam a fratribus quam ab omnibus hujus sanctæ ecclesiæ populis. Quam diu vero abbas suus Mannius supervixit maximam ei curam gerebat, constituens duos de melioribus personis cum quibusdam servientibus qui die noctuque ei humiliter deservirent. Ipse autem frequenter eum visitans, quæ volebat humili devotione obediendo perficiebat, nec unquam quamdiu supererat in loco abbatis causa humilitatis stare volebat. Transiit quoque vir ille Mannius eadem nocte et hora, ut fertur, qua rex gloriosus Æduuardus, festivitate videlicet sanctæ Epiphaniæ Domini, quorum animas, ut credimus, angeli suscipientes deduxerunt in gaudium Domini sui. Vivente autem isto Dei cultore rege Æduuardo septem annis abbas Ageluuius huic loco præerat, pluresque terras tam ab eo quam ab aliis bonis hominibus obtinebat quarum nomina inferius demonstrabimus. Defuncto nempe rege isto et Haraldo regnum accipiente, quicquid volebat ab eo impetravit. Deinde rege Willelmo ipsum Haraldum Dei judicio expugnante, totaque Anglia secundum velle suum ex toto dominante, tam episcopi quam abbates multique nobiles hujus patriæ latitabant, ejus persecutionem atque ferocitatem fugientes. Iste tamen abbas Ageluuius confidens in Domino ad eum accessit, Deique gratia donante super omnes fere hujus Anglicæ gentis barones maximam amicitiam apud eum obtinuit, quam usque ad ultimum diem sui obitus idem rex erga eum fideliter servavit. Plures itaque abbatiæ aliæque

Death of abbot Manny, 6 Jan., 1066.

ecclesiæ terras et possessiones illo tempore Normannis invadentibus perdiderunt, sed ipse Dei nutu non solum nullas perdidit sed majoribus opibus et honoribus abbatiam istam multipliciter adauxit. Et quoniam rex sapiens cognoverat eum virum prudentem, pæne omnes hujus gentis homines sæculari sapientia præcellentem, commisit ei curam istarum partium terræ, videlicet, Wirecestrescire, Glouecestrescire, Oxeneford-scire, et Wareuuikescire, Herefordschire, Stafordscire, Scrobschire, ita ut omnium hujus patriæ consilia atque judicia fere in eo penderent. Et non solum in istis partibus, sed etiam per totam Angliam ubicumque veniebat, tam Franci quam Angli pro justissima lege tenebant quicquid ipse legibus sæcularibus dicebat. Quotienscunque ad placita vel ad sciras pergebat, undique concursus populorum eum frequentabat, quisque pro sua necessitate consilia atque auxilia contra adversarios humiliter postulabat: unde comites et vicecomites cunctique regis barones optimum consiliarium naturali scientia præditum eum cognoscentes, quasi dominum illum venerabantur. Et ubicunque veniebat vel ad curiam regis seu alicubi ad placita semper nobilitas hominum sequebatur eum, atque humili obsequio ei famulabatur. Iisdem namque temporibus erat vir religiosus simplex et rectus Wigornensis ecclesiæ antistes, Wlstanus nomine. Hic cognoscens abbatem Ageluuium virum prudentem tam apud regem quam apud omnes principes ejus sæculari prudentia et fortitudine plurimum valere, sæpissime ad se convocans et ipse ad illum veniens ejus consilio atque auxilio utebatur in multis utilitatibus ecclesiæ suæ. Qua de re vir ille venerabilis ejus fretus judicio ac fortitudine quamplurimas terras antea perditas acquisivit. Contigit autem eo tempore Willielmi regis ut Thomas archiepiscopus Eboraci prudens homo episcopatum Wigornensis ecclesiæ vellet subjicere suæ ecclesiæ. Ad hanc rem defendendam duas marcas auri abbas sibi accomodavit et unam dedit, et ita, Deo opitulante et abbate verbo et

A.D. 1066–1072

Agelwy appointed governor of the midland counties by Will. I.

A.D. 1072. The archbp. of York endeavours to subject Worcester to his see. [Wilkins. Concilia. I. 324.]

A.D. 1067–1077. opere consilium et opem ferente, libertatem ecclesiæ suæ servavit. Et quoniam episcopus erat vir bonus et pater suarum confessionum, quasdam terras sibi dedit quarum nomina ista sunt, videlicet, Bisepesdunne et Cagecote, et ipse sibi mutuo concessit villam quæ vocatur Milecote. Non solum autem huic ecclesiæ sed et omnibus ubicunque fuerat advocatus beneficiorum suorum suffragia gratanter impendere studuit. Nam quadam vice vocatus ab archiepiscopo Lanfranco, quasdam terras diu ablatas Cantuariensi ecclesiæ Christi ipse judex et testis acquisivit. Pro qua re usque in hodiernum diem anniversarius depositionis ejus dies ibi in ecclesia[1] illa observatur. Abbatia etiam de Gloecestre in primis, venerandæ memoriæ Serlone abbate ibi veniente, tunc temporis erat pauperrima, sed, eodem abbate humiliter rogante, multimoda frequenter ei sua impendit levamina. Rex etiam Willielmus tollens abbatem Wincelcumbensem, Godricum nomine, fecit constitui in captivitate apud Gloecestre moxque huic abbati Ageluuio suam abbatiam commisit, quam fere per tres annos quasi propriam in cunctis gubernando servavit. Deinde rex donavit illam cuidam abbati Galando nomine, et, eo post modicum tempus ex quo eam accepit defuncto, iterum isti abbati Ageluuio committitur, qua longo tempore postea uti propria dominabatur. Pater quoque pauperum, judex viduarum, pupillorum, orphanorum, pereginorum, omnium miserorum consolator erat piissimus, eleemosynas largifluas ubicunque pergebat fecit distribui benigniter omnibus. Nam in primis temporibus sui regni rex Willielmus fecit devastari quasdam sciras istis in partibus propter exules et latrones qui in silvis latitabant ubique, et maxima damna pluribus hominibus faciebant, videlicet Eoveruuicscire, Ceastrescire, Scrobscire, Stafordscire, Deorbiscire, unde maxima multitudo senum, juvenum, mulierum cum parvulis suis famis miseriam fugientes dolentissime

Lands exchanged with Wulstan bishop of Worcester.

Agelwy's obit observed in Canterbury Cathedral.

Custody of Winchcombe abbey given to him by Will. I., A.D. 1067–77.

He relieves the poor fugitives from the counties wasted by the Conq. A.D. 1068–1070. [Sax. Chr.; Stubbs in Twysden's X. Scriptt., col. 1708.]

[1] *ecclesia*] ecclisia, MS.

huc veniebant, quos omnes ille vir miseratus pro posse suo alebat. Plures namque diu absorpti durissima fame, dum cibum avidius sumerent moriebantur. Jacebant miseri homines per totam villam tam in domibus quam deforis, nec non et in cœmeterio isto languidi, huc antequam venirent fame consumpti, et idcirco ut cibum corporis sentiebant plurimi vita deficiebant. Qua de re facta est magna mortalitas multo tempore de talibus hominibus, ita ut quotidie fere quinque vel sex homines, aliquando plures, miserabiliter morientes a priore hujus loci sepeliebantur. Et quoniam plurimi pueruli inter eos habebantur, unicuique servienti vel ministro hujus ecclesiæ, nec non et quibusdam fratribus ad hoc posse habentibus, unum puerulum dominus abbas ut alimento corporis sustentarentur commendabat. Quorum nonnulli probi viri postea effecti, in multis officiis fratribus honeste serviebant. Erat quippe tunc temporis quidam prior hic, juvenis quidem corpore sed tamen morum probitate ætatem transiens, Alfricus nomine, qui fecit dorsellos capituli. Hunc abbas constituit, ut omnes supervenientes peregrinos et pauperes devote susciperet, atque necessaria vitæ sollicite administraret eis. Præcepit etiam celerario et omnibus præpositis abbatiæ hujus ut ei in omnibus obedirent, et quicquid ad opus egenorum constituerat, videlicet, omnem decimationem suam et insuper quicquid necessarium haberet sine dilatione abundanter ei redderent. Solebant illis temporibus multi peregrini de Aquitannia, de Hibernia, ac de aliis terris plurimis huc venire, quos omnes iste suscipiens necessaria præbebat. Et quoniam pater Benedictus in Regula jubet, ut "mensa abbatis cum peregrinis et hospitibus" fiat, semper de mensa quoque sua ipse abbas quotidie tredecim pauperes largiter reficiebat; præter istos, ad Mandatum duodecim pauperes sive esset domi seu foris specialiter usque ad diem obitus sui habebat, qui victum et vestitum in omnibus veluti unus monachus semper habebant. Quorum pedes et manus

A.D. 1070–1077.

Prior Alfric.

[Reg. Bened. cap. lvi.]

The customary and munificent almsdeeds of abbot Agelwy.

A.D. 1070–1077. aut per se aut per priorem suum, qui maxime hanc curam sub eo gerebat, quotidie lavari aqua calida humiliter volebat. Inter hos namque pauperes quidam erant leprosi, quorum manus et pedes sicuti aliorum libenter lavando osculabatur. Isti namque omni nocte ad matutinos, et in die ad utrasque missas et ad omnes horas debebant sine dilatione venire, nec alicui licebat vel domum aut alicubi remeare vel discedere sine licentia prioris qui, ut diximus, maximam curam super eos gerebat. Hiemis quoque tempore, videlicet a festivitate Omnium Sanctorum usque ad Pascha, venientes ad matutinos in ecclesia remanebant usque ad diem, orationibus vacantes, et ita primo mane aut ipse abbas aut prior faciebat ad eos sicut supra dictum est Mandatum Domini quotidie. Omnibus noctibus principalium festivitatum pro abbate et fratribus debebant tota nocte in ecclesia vigilare usque ad mane. A festivitate Omnium Sanctorum usque ad Natale Domini et iterum a Septuagesima usque Pascha, ter in hebdomada, videlicet die Dominica, quarta et sexta feria, unusquisque eorum, abbate donante, accipiebat singulos denarios. Similiter ipsis primis diebus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et omnibus summis festis per annum, denarii tam illis quam aliis pauperibus misericorditer ab eo erogabantur. Et quando aliquis eorum moriebatur protinus prior in loco suo alium constituebat. Erant nempe pauperes cæci, claudi, et ita debiles ut tamen possent ad ecclesiam venire et secundum quod dictum est vivere, nisi major infirmitas aliquem eorum impediret. Præter istos suprascriptos et præter omnes advenientes pauperes et peregrinos, quinquaginta habebat egenos qui quotidie sibi constitutum accipiebant cibum. Et non solum talibus pauperibus, sed etiam pluribus nobilibus ad eum confugientibus, paterna hæreditate omnique[1] substantia miserabiliter sublata rege Willielmo jubente, factus

[1] *omniquc*] ominique, MS.

est refugium et adjutor piissimus in maximis necessitatibus. Quotienscunque ad curiam regis vel alicubi iter ageret et aliquis pauper nudus occurreret, mox aliquem de suis hominibus exspoliabat et pauperi vestimenta ejus dabat, sed suo postea dupliciter reddebat. Omni namque anno quatuor vel quinque dies ante Natale Domini et iterum post diem Palmarum tota hebdomada ante Pascha quasi exercitus magnus pauperum et peregrinorum huc solebant venire, quibus omnibus tam per se quam per monachos vel fideles laicos eleemosynas largiter ministrando erogare, Mandatum Domini faciendo manus et pedes lavare, quibusdam vestimenta, plurimis calciamenta, multis studuit denarios benigniter erogare, omnes quoque lætos fecit hinc recedere. Cunctis etiam noctibus præcipuarum solemnitatum per annum ad honorem Dei et sanctorum Ejus, coram unoquoque altari fecit candelam ardere tota nocte usque mane; plures namque missas secundum quod tempus habebat quotidie solebat libenter audire, et ad unamquamque earum sacerdoti sacra solemnia celebranti unum vel plures denarios cum magna cordis compunctione studebat offerre. Et quoniam erat tam divitibus quam pauperibus erogator largissimus, dedit ei Divina clementia copiam rerum maximam in omnibus. Ornamenta quoque acquisivit plurima, videlicet, casulas, cappas, pallia, crucem magnam, et quoddam altare auro et argento pulcherrime operatum, necnon etiam quandam capellam valde honestam in honore sancti Nicholai construi et consecrari laudabiliter fecit. Ante suum tempus duo fratres hujus loci diabolico instinctu seducti, quasdam reliquias de feretro furati sunt sancti Ecgwini patris nostri, et tradiderunt eas cuidam matronæ nobilissimæ Aldithe nomine, sed alter eorum, Alfricus vocabulo, qui auctor erat sceleris, volens huc redire, Divino judicio cadens in isto flumine periit de terra viventium pro tanto crimine. Apparuit ergo vir Dei sanctus Ecguuinus ipsi matronæ in visione semel et

A.D. 1070-1077.

He builds the chapel of St. Nicholas.

Repetition of the story of Aldith and the relics of St. Ecgwin.

A.D. 1070-1077. iterum, et tertia nocte jubens minando ut suas reliquias quantocius huc ad ecclesiam reportaret. Sed illa, fœminea decepta cupiditate, nullo modo volens id perficere, Dei judicio mox percussa est perenni oculorum cæcitate. Qua de re plus quam dici valet timore perterrita, veniens huc ad abbatem Mannium et fratres, clamans se ream et culpabilem et impetrans ab eis indulgentiam, obtinuit ab eis ut quamdiu viveret eas possideret, fecitque statim honorabiliter fieri auro atque argento hoc minus feretrum sancti Ecgwini et reliquias intus reponi. Sed post mortem ejus filius suus, Arnisius vocabulo, paternæ hæreditatis effectus hæres, quasi imprudens vivendo luxuriose atque insipienter perdidit cuncta quæ habebat, et istud feretrum sancti Ecgwini cuidam potenti homini custodiendum commendabat. Quod ut abbas Ageluuius cognovit, protinus adveniens, recto jure illud debere esse proprium hujus sanctæ ecclesiæ adplacitavit, et ita, Dei gratia opitulante, suum velle impetravit, et ad istum locum cum magna reverentia, processione maxima contra facta tam fratrum quam populorum, reportari fecit. Hactenus de isto domino abbate Ageluuio plura locuti sumus, sed testis est Deus, testes omnes angeli et sancti Ejus sunt, quia quicquid tam de illo quam de aliis supra retulimus, veracem narrationem ad notitiam tam præsentium quam sequentium fratrum et amicorum hujus sanctæ ecclesiæ fideliter fecimus. Partim namque in antiquis cartis hujus loci reperimus, partim a fidelissimis viris audivimus, partim nos ipsi oculis nostris perspeximus. Nunc igitur in fine hujus operis volumus per ordinem terras demonstrare quas ipse a rege Æduuardo et ab aliis bonis hominibus laboriosissime maximaque pecunia redimendo acquisivit huic sanctæ ecclesiæ, et usque ad mortem absque omni quæstione in pace tenuit magna cum libertate. In Wiricestrescire, Beningwrthe, Heamtune; ultra Wiricestre, Uptun, Wittune, Leinch, Eacesleinc, Ciricleinc. Quum erat præpositus sub Mannio

This history compiled from authentic sources.

abbate, Bivintune, Dailesford, Eunilad, Brainesford, Actune. Hæc fuit terra patris sui, has duas villas dedit Ursoni pro Beningwrthe quam injuste occupavit, sicut medietatem iterum postea fecit, et omnes tres injuste detinet. In Wareuuicscire, Witlakesford, Aruue, Ecleshale, Rageleia, Eatherichestum, Brome, Graftun et alia Graftun, Hildesburguurthe, Saltford. In Gloecestrescire, Suuelle, Ceasteltun et alia Ceasteltun, Cornuuelle, Quenintun, Sciptun, Saldford, Deorneford, Stoke, Westun, Hudicote, Peppeuurthe, Dorsintun, Mulecote et alia Mulecote. De his terris quasdam obtinuit ab ecclesia Wigornensi quas prælati ejusdem ecclesiæ injuste occupaverant, scilicet Actun, et Beninguurthe, Mulecote et Westun, Eunilade et Dailesford, et plures domos in Wigornia, sed Stredford et Fladeburi non revocavit. De his terris quas, ut diximus, suo tempore acquisivit, quibusdam bonis hominibus pro magna necessitate et honore ecclesiæ dedit, et inde Deo et sibi fideliter quamdiu vixit serviebant. De aliis terris quas antecessores sui acquisiverunt nihil omnino dedit, sed in manu sua usque ad obitum ad necessitatem fratrum honorabiliter tenuit. Nec unquam alicui parenti de his vel de aliis terris aliquid concessit, sed terras parentum suorum quascumque poterat habere ecclesiæ tradidit. Omni tempore vitæ suæ non continue sed frequenter dolorem pedum gravissimum quem Græci *podragra* appellant, patiebatur. Et hac infirmitate ante finem suum diutissime fatigatus, tandem anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo septimo plenus dierum, in vera confessione sanctoque viatico Corporis et Sanguinis Domini percepto, coram fratribus et filiis eum nimio dolore plangentibus, quos paterno amore dilexerat, quartodecimo Kalendas Martii hominem exivit et quo Divinæ clementiæ placuit spiritum transmisit. Cujus animæ succurrat et misereatur summa pietas Dei: Amen. Quando enim ipse primitus abbas effectus est, non erant hic nisi

A.D. 1070-1077

Agelwy dies of gout, 16 Feb. A.D. 1077.

A.D. 1077. duodecim fratres; tunc vero quum obiit triginta sex dimisit, quibus abbatiam majorem et abundantiorem terris et possessionibus quam unquam antea fuit, omnibus bonis plenissimam, dereliquit, et quinque archas plenas argento ad novam ecclesiam construendam quam facere disposuerat, reliquit.

De operibus abbatis Walteri bonis et malis, et de amissione terrarum quas Ælwinus abbas congregaverat, et constructione hujus ecclesiæ ex pecunia ab eodem Ailwino ad hoc congregata.

Walter, a monk of Cerisy, diocese of Bayeux, Normandy, appointed abbot in May, A.D. 1077.

Tertio quoque mense post discessum patris hujus Ageluuii, misit rex huc quendam monachum de monasterio quod vocatur Cerasia, Walterum nomine, literis tam liberalibus quam grammaticis undecunque eruditissimum, qui fuit capellanus Lanfranci archiepiscopi. Hic vero abbas effectus, omnem abbatiam hanc sicuti antecessor suus habebat suscepit. Sed quia tunc temporis juvenis erat ætate, minus sæculari prudentia præditus quam oporteret, sequens consilia quorundam juvenum parentum suorum ad maximum damnum ecclesiæ, noluit homagium a pluribus bonis hominibus quos prædecessor suus habuerat suscipere, eo quod terras omnium si posset decrevit auferre. Qua de re in iram et odium contra eum conversi, ad Odonem fratrem regis, Baiocensis ecclesiæ episcopum, qui tunc temporis sub rege quasi quidam tyrannus præfuit huic patriæ, miserunt, falsa accusatione dicentes abbatem Ageluuium per fortitudinem, non recto jure, tantas terras acquisivisse. Quapropter præsul præfatus, nefandorum hominum consilio depravatus, cupiditate etiam iniquissima res ecclesiæ habendi nimium illectus, regem fratrem suum adiit, et tam pecunia[1] quam iniquis suis accusationibus terras sancti monasterii hujus sibi dari

[1] *pecunia*] peccunia, MS.

obtinuit. Protinus ergo quasi lupus rapax concilia[1] malignantium in loco qui dicitur Gildenebeorge jubet congregari, quinque videlicet sciras, ibique plus per suam iniquam potentiam quam recto jure ex triginta sex terris quas abbas Ageluuius per dignam pecuniam ecclesiæ acquisivit, viginti octo villas fecit eidem abjurari et suo iniquo dominio usurpari. Quarum nomina hic subtitulantur: Beningwrthe, Heamtun, Uptun, Wittun, Aruue, Ecleshall, Raggeleie, Saltford, Eatheristun, Brome, Graftune, Ceasteltun, et alia Ceasteltun, Cornuuelle, Quenintun, Sciptun, Saltford, Deorneford, Stoke, Hudicote, Peppeuurthe, Dorsintun, Milecote, et alia Milecote, Actun, Branesford, Winleshale, Bivintone, Budiford, Eunilade, Deilesford, Westune, Leinch quam Ursini tenent contra Rotulum Winton. De hiis vero Walterus abbas Westune Hamptune et medietatem de Beningwrthe (quam Ernegrim tenuit) revocavit, medietatem vero quam episcopus dedit Assere occupavit Urso. Sed parvo post tempore justo Dei judicio rex Willielmus contra fratrem nefandum nimium commotus, fecit eum durissimis vinculis ferreis alligari et usque ad diem obitus sui in arcta custodia teneri. Similiter fere omnes perjuros hujus ecclesiæ divina ultio citius ex hac luce miserabiliter extinxit. Iste abbas, licet tot terris privatus, numerum tamen fratrum et rigorem ordinis sollicite auxit. Ipse tamen primo fecit clericum decanum et senescallum jure hæreditario de consanguineis suis, priore senescallo amoto. Fecit etiam cryptas et ecclesiam superius usque ad navem, excepta turri quam non perfecit nisi arcus et primas fenestras, maxime de pecunia quam Ageluuius abbas ad hoc opus reliquerat, Vineam etiam ultra aquam ille primitus fieri fecit. Terra de Hildedun et Penuurtham Hocuuic et piscatio apud Theleuuelle suo tempore redditæ sunt huic ecclesiæ. Libros multos fecit. Dicitur

A.D. 1078-1085. Odo, bishop of Bayeux, deprives the abbey of twenty-eight villages.

Abbot Walter builds the crypts, and the upper church as far as the nave, and commences the tower.

[1] *concilia*] consilia, MS.

A.D. 1086–1122. tamen quod fere omnes milites hujus abbatiæ hæreditaverit.[1]

De operibus abbatis Roberti.

Abbot Robert, A.D. 1086. Huic substitutus est Robertus monachus de Gimeges cujus tempore per Randulfum cancellarium regis forum de Stowa fuit acquisitum. Iste multas terras dicitur distribuisse consanguineis suis, sicut et prædecessor ejus.

De operibus abbatis Mauricii valde bonis.

Abbot Maurice, A.D.1096.[2] Huic successit Mauricius hujus ecclesiæ monachus. Iste fecit capitulum et dormitorium et privatum locutorium cum capella sanctæ Mariæ Magdalenæ et multa ornamenta ecclesiæ acquisivit, et multa alia bona fecit.

De operibus Abbatis Reginaldi summe bonis.

Abbot Reginald A.D.1122.[3] Isti substitutus est Reginaldus, monachus Glocestriæ, nepos comitis Milonis Herefordiæ, cujus adjutorio et aliorum consanguineorum amovit domos militum de Kinewertun et de Coctun et aliorum a loco ubi modo est hortus monachorum et crufta sancti Kenelmi, quibus quasi obsessa fuit abbatia. Totam etiam abbatiam et cœmeterium muro optimo vallavit, et villam aqua circumdedisset, sicut apud Quiquewelle patet, nisi salubri consilio prædicti comitis impediretur, ne forte locus tam munitus a rege occuparetur. Magnam etiam partem murorum navis ecclesiæ sicut adhuc distingui

He encloses the abbey with a wall.

[1] His death occurred on 20 Jan. 1086. Harl. MS. 3763, fol. 168 b.; Cotton, Vesp. B. xv. fol. 18.

[2] *Ibid.*

[3] *Ibid.* The contin. of Flor. Worc. says that he was consec. by bishop Simon of Worcester, 27 Jan. 1130.

potest fecit, et refectorium, et regulare locutorium cum capella, et aulam hospitum cum camera et magnam coquinam fecit, et duo brachia, scilicet[1] sancti Ecguuini et sancti Osuualdi, et magnum Textum, et crucem hujus ecclesiæ pretiosiorem, et culmen feretri sancti Ecguuini in recompensationem feretri quod abbas Mannius fecerat, et tempore suo, instante werra et urgente fame ut dicebant, filii Belial multi monachi hujus ecclesiæ, abbate ignorante inter prandendum, auro et argento et lapidibus spoliaverunt. Duo etiam thuribula et candelabra deaurata fecit. Campanas etiam, Benedictum videlicet et socium[2] ejus, fecit, et tintinnabula, scilicet Gloucestre et socium[2] ejus, acquisivit. Magnum etiam dorsellum et duo sancti Ecguuini de choro fieri fecit. Majorem etiam nigram capam et multa alia vestimenta, libros etiam et ornamenta, huic ecclesiæ acquisivit. Iste etiam tempore papæ Innocentii secundi pro libertate ecclesiæ tuenda contra episcopum Simonem pedetentim cum eo Romam ivit, et in libertatem viriliter conclamavit et in parte obtinuit, et super eo privilegium prædicti papæ acquisivit.[3]

A.D. 1122–1149. Builds part of the nave, the refectory, &c.

Appeals to Rome against Simon, bishop of Worcester, A.D. 1139.

De sanctis et virilibus actibus abbatis Willielmi.

Huic successit Willielmus de Andeuilla monachus Christi ecclesiæ Cantuariæ, ubi jacet sepultus ad caput beati Thomæ Martyris, qui antequam illuc iret causa visitationis quando ibi a domino est visitatus, vidit in somnis, sicut fratribus retulit, quod sol sepultus erat ad pedes ejus. Quæ visio interpretationem accepit processu temporis, postquam beatus Thomas sepultus

Abbot William de Andeville, A.D. 1149.

[1] *scilicet*] silicet, MS.

[2] *socium*] sotium, MS.

[3] "Postremo de labore suo ei requiem dedit Deus viii. Kal. Sept. (25 Aug.) A.D. 1149." Harl. MS. 3763, f. 169; Vesp. B. xv. f. 18. For a letter written by him, with reference to his controversy with the bishop of Worcester, see *infra*, p. 112.

A.D. 1149–1160.

est ad pedes ejus. Iste audacter Willelmum de Bello Campo et complices suos, qui muros cœmeterii destruxerant et bona ecclesiæ tempore werræ rapiebant, in facie inermis armatos excommunicavit, quare nullus eorum secundum religionem Christianam et ritum Christianorum decessit; sed et eadem die multi ex eis ab hominibus abbatiæ occisi sunt, quorum unus miles, cognomento de Abetot, ab eis occisus apud Almeleiam est sepultus extra cœmeterium nec adhuc reconciliatus. Viriliter etiam castellum quod erat Bengewrthe ad caput pontis contra eundem Willelmum obtinuit et funditus destruxit, et cœmeterium ibidem consecrari fecit.[1]

Bengeworth castle destroyed.

De parvo Rogero, sed factis magnanimo.

Abbot Roger, A.D. 1159.[2]

Huic substitutus est Rogerus monachus sancti Augustini Cantuariæ, qui parvo tempore, viriliter tamen sicut abbas prior, vixit, et molendina juxta pontem [de Evesham[3]] fecit.

De regulari conversatione Adæ abbatis, et bonis operibus et malis tempore ejus peractis.

Abbot Adam, A.D. 1160.

Isti successsit Adam monachus Cluniacensis[4] de Caritate. Iste ferme vixit triginta annos, et felicia habuit tempora, et multa bona hic ejus tempore facta sunt, et ipse viriliter egit et benefacientes adjuvit, et multos ad benefaciendum hortatus est et coegit. Ejus enim tempore feretrum sancti Ecgwini perfectum est, et aquæductus et lavatorium multorum bonorum virorum adjutorio facta sunt. Iste fecit duas maximas campanas,[5] et emit magnam nigram casulam de nigris secundo meliorem, et capam rubeam cum avibus aureis

Does much for the completion and enrichment of the abbey.

[1] "Obiit autem ii. Non Januar. (4 Jan.) A.D. 1159." Harl. 3763; Vesp. B. xv.; and Lambeth 589 from Vitell. E. xvii. and xii.

[2] Ob. 4 Jan. 1160. *Ibid.*

[3] Interlined, in a later hand.

[4] *Cluniacensis*] Cluniasensis, MS.

[5] "Jesum scilicet et Gloriosam." Harl. 3763, f. 169.

et stolam et manipulum cum tintinnabulis[1] et alia vestimenta emit, et multa obedientiarios emere compulit, quædam redemit et quædam varie ornavit et bene disposuit, et Novum Testamentum et Vetus glossata huic ecclesiæ acquisivit. Pistrinum etiam, bracinum et granarium et vetus infirmaria, quæ nunc est thalamus abbatis, et privatum dormitorium ejus tempore facta sunt. Indaginem etiam de Uffeham domos et vivaria et thalamum qui nunc est ad infirmariam et lectricium capituli ipse fecit. Claustrum etiam, quod Mauricius et Reginaldus abbates pro parte fecerant, et navis ecclesiæ, cum adjutorio decani de Welles maxime et aliorum bonorum virorum, ejus tempore perfecta sunt. Et ipse multas fenestras vitreas apposuit, et multas apponi fecit. Duas etiam hidas terræ in Neuueham pro centum marcis emit ecclesiæ isti ab illis qui dicuntur de Watteuilla. Calicem etiam aureum in ægritudine in qua decessit fieri fecit, quem Rogerus abbas postea distraxit pro redemptione regis Ricardi. Partem etiam illam de Raggeleie quæ de feodo modo est et Kingleyam, quæ fuerunt quondam vaccaria hujus ecclesiæ, et postea caducum per exilium Wiberti Trunket, quas de consensu ejusdem post reversionem ejus et ad petitionem domini Regis dederat Rogero filio Willielmi, postea ab Henrico filio ejusdem Rogeri redemit. Sed prædictus successor eas ne exhiberet pro eis sex homines tantum in vita eorum, sine consensu conventus, retento tantum molendino, remisit.[2] Hic etiam insignia episcopalia præter annulum primo ecclesiæ isti acquisivit, et privilegium Alexandri papæ quod bene operatur ad libertatem. Verum molendinum de Samburna et Hocwike et Farintone et Wrotesleie et Livintone ad firmam posuit et virgatam terræ in Evesham Ernaldo Cambelango. In Baddebi

A.D. 1160–1191.

[1] "tintinnabulis argenteis, et "ii. albas bonas compares cum nigris "paruris et circulis aureis." Harl. 3763, f. 169.

[2] The passage "modo est ... remisit" has been substituted by the original scribe in the place of a shorter passage erased.

A.D. 1160–1191. fratri prioris manerium. In Salforde Waltero Grim quasdam terras male dedit et quasdam amisit veluti juxta Oxoniam Goldore et Hildendune quas potuit retinuisse. Hic etiam primo confirmavit officium portæ per cartam ecclesiæ Henrico cum quadam muliere quæ petiit illud jure hæreditario. Viginti etiam libras de Bertona quæ prius libere pertinebat ad cameram monachorum sibi appropriavit.[1] Ejus tamen tempore fuit Ricardus decanus de Welles qui acquisivit redditum quindecim marcarum de ecclesia de Ambresleia[2] ad opera ecclesiæ istius et optimas confirmationes earundem, et qui fecit aulam quæ nunc est abbatis. Iste etiam decanus pensionem ecclesiæ de Baddebi [duarum marcarum[3]] et quosdam alios redditus acquisivit, unde cereus ante magnum altare et corpora sanctorum perenniter ardens appositus est. Cujus etiam maxime auxilio, et ecclesia et ornamenta et omnia prædicta perfecta sunt. Igitur quamvis prædecessores istius abbatis fuerint viri religiosi et valde ordinati, iste tamen abbas dicitur præ cæteris ordinem reformasse.[4] Hæc vobis fideliter scripsimus sicut cognovimus et vidimus pro parte, pro parte vero a fidelibus relatoribus audivimus et didicimus.[5]

Richard de Spakeston, dean of Wells, (1160–1174.)

De intrusione Abbatis Rogeri, et qualiter monachos depresserit tam ecclesiæ Christi Cantuariæ quam ecclesiæ Eveshamensis.[6]

Abbot Roger Norreys, A.D. 1191. Huic successit Rogerus,[7] nullius monasterii monachus, quia quum esset quondam monachus[8] ecclesiæ Christi Cantuariæ propter proditionem missus est in carcerem a conventu, et eo quod revelasset secreta capituli

[1] The two preceding sentences have been substituted in the text for a shorter passage which has been erased, and one or two words are, in consequence of the close writing and blotting, rather uncertain.

[2] "Ombresleye." Harl. 3763, f. 169 b.

[3] Inserted in the margin, in a later hand.

[4] He died 12 Nov. 1191; Harl. 3763 and 229, and Lambeth MS. 589, p. 40, from Vitell. E. xvii.

[5] *didicimus*] didiscimus, MS.

[6] *Eveshamensis*] Eveshamsis, MS.

[7] "dictus Norreis." Harl., *ut sup.*

[8] *monachus*] monacus, MS.

domino Balduuino Cantuariensi archiepiscopo qui tunc temporis adversabatur monachis, volens erigere capellam de Hakintune. A quo carcere, juratoria data cautione de stabilitate, egressus nescio per quæ loca[1] nudus, effugit manus eorum et a Cantuariensi archiepiscopo honorifice est susceptus, qui eum lateri suo quasi socium[2] individuum junxit, et postea, invitis monachis et reclamantibus, priorem ecclesiæ ejusdem præfecit; sed non profecit, quia nunquam postea universitati reconciliatus est, quamvis exactissimam diligentiam et multas expensas ad hoc postea apposuerit, et sic inde exclusus nullius monasterii monachus remansit. Quem quum monachi nollent recipere ipse intrusit se, et omnes possessiones monachorum invadendo sibi usurpavit, et bona eorum diripuit, et monachis victum et vestitum subtraxit, et prioratum eorum per filios Belial ministros suos ne monachi exirent observavit, tantum duorum fratrum fugitivorum fultos auxilio. Duos etiam fratres ad ipsum archiepiscopum destinatos honoris gratia statim capi fecit et a se divisos custodiæ mancipari. Tandem studuit archiepiscopus eum alteri præficere ecclesiæ. De qua præfectura, quasi spiritu prophetico præventus, ita scribit Alanus abbas Theokesberiæ in libro de demolitione capellæ de Hakintona ubi etiam omnia prædicta de eo plenius scribit:— A.D. 1191.

His previous history as monk and prior of Christ Church, Canterbury.

Interim vero ob reverentiam archiepiscopi ne videretur et ipse in hac parte succubuisse, ipso rege id procurante, vix semel nominandus sed ubique damnandus Rogerus Norreis, Dei et ecclesiæ Suæ hic et ubique inimicus manifestus, in Eoveshamensem promovetur abbatem, conventu illius ecclesiæ quantum licuit reclamante, sed adversus æquitatem prævalente malitia, hic ille sicut promeruit de mercede iniquitatis agrum possedit. In hujusmodi autem introitu qualis sequetur exitus, Ipsum non latet Judicem Qui examinator est meritorum, etc.[3] Acts i. 18.

[1] "per cloacam;" Gervase of Cant.: Twysden's Decem Scriptores, col. 1519. "per cloacas;" Harl. 3763, f. 169 b. and Vesp. B. xv. fol. 18.

[2] *socium*] sotium, MS.

[3] The passage commencing at the words "tantum duorum," and including this quotation from (a hitherto unknown work by) Alan of

A.D. 1191-1195. De hoc sui ipsius ingressu ipse abbas Rogerus sæpe dicere consueverat quod dominus rex pro servitio suo dedit ei hanc abbatiam, ac si diceret, "Non per ostium sed aliunde ingressus sum in ovile ovium;" et revera a nullo capitulo fuit postulatus, sicut canones fieri præcipiunt. Iste abbas magnanimum se exhibebat et multis litteris abundare videbatur, facundus enim erat et eloquentia pollebat. Curialis etiam nimium extitit et dapsilis, et gloriosus in mensa, cibis et potibus abundantius affluens, et quibus et quando volebat copiose et honorifice hæc largiebatur, non ut Christi militem, ut beatus Sebastianus, sed ut exordinationes suas sub absconso chlamyde tegeret.[1] Erat enim vinolentus et luxuriosus super omnes monachos Anglicanos, quamvis se monachum non confiteretur, et simplicem fornicationem mortale peccatum esse non concederet, et per hoc mulieres seduceret, nisi incestui vel adulterio jungeretur, quamvis ipse nec his nec illis parceret, ut dicebatur. Et nos ex parte hæc vera esse cognoscimus, stylum tamen temperamus, Deo teste, propter ordinis reverentiam. Et quum talis esset post paucos annos postquam huc venerat, quibus satis modeste erga conventum se habebat, in tantam superbiam elatus est ut quasi pro multis litteris suis et dapsilitate sua videretur insanire, et ecclesiam, capitulum, claustrum et refectorium, fere penitus cum cura animarum et observantia ordinis abjecit. Per multos enim annos ante depositionem suam septem vel amplius capitulum non tenuit, in refectorio non comedit, in claustro cum fratribus non sedit, ecclesiam raro introivit, et tam in ecclesiam quam claustrum capitulum cappatus venire consuevit, et camisiis et lintheaminibus, ut de cæteris exordinationibus circa vestimenta taceamus, palam utebatur. Monachos etiam tanto contemptui habere cœpit,

S. John x. 1.

His immorality.

His violation of monastic rules.

Tewkesbury, is substituted in the MS. for a shorter passage which has been erased.

[1] "Sub chlamyde terreni imperii Christi militem agebat absconditum." Vita S. Sebastiani, auct. Ambrosio, inter Acta Sanctorum, vol. ii. p. 265.

quod non propriis nominibus nec monachos, sed canículos, vassallos et ribaldos nominare consueverat. Et si aliquando pro defectu ciborum murmurarent, quod sæpe non sine causa contingebat, eos prebendarios suos nominavit, et ideo quod placeret ei ipsis daret; et quasi ad proprii criminis excusationem omnes indifferenter mœchos vocavit. Verum quamvis in tanto despectu haberemur, tamen hæc fuit in nostro pectore cura minor, sed super hoc magis dolebamus quod abbas noster, ut diximus, non tantum alienavit se a nobis, sed etiam victum et vestitum nobis subtraxit, et ea in abyssum suum convertit, et cameram et sacristariam et alias obedientias[1] in manu sua quantum ei placuit tenuit. Aliquando quibusdam falsis fratribus ad firmam tradidit, retinens aliquando sibi et approprians meliorem portionem obedientiarum et aliam tradens falsis fratribus. Aliquando etiam commutavit, nobis inconsultis, bonas portiones cum pejoribus, veluti Burthonam quæ fuit de camera cum Samburna quæ est de celeraria. Ita nós spoliavit aliquando camera quod per multa tempora multi fratres ob defectum froccorum, nec chorum nec capitulum sequi poterant, alii, quod pejus erat, ob defectum cucullarum et femoralium nec divina celebrare nec in conventum intrare poterant. Per multos etiam dies in solo pane et aqua viximus, et multis in pane duro et cervisia parum differente ab aqua sine pitancia fuimus. Ipse vero deliciis affluebat cum quibusdam fratribus, et tum per quartam partem anni, tum amplius, apud Baddebi, et iterum apud Bradeuuelle vel Burctun, in quibus maneriis nobilia et quasi regia ædificia construxerat, moram faciebat, et ventri et lateri vacabat omni tempore usque ad depositionem suam. Nos vero, teste Deo, apud Eouesham cupiebamus saturari de secundo pane quem famuli ejus comedebant, et non erat qui daret nobis.

A.D. 1191-1195. Accustomed to call the monks, puppies, vassals, and ribalds.

Appropriates the abbey property.

Stints the brethren in clothes and food.

[1] *obedientias*] obedicientias, MS.

Prima querela monachorum contra abbatem archiepiscopo tunc legato et [de] assignatione reddituum ad pitanciariam.

A.D. 1195–1198. Upon complaint to archbishop Hubert, as legate, matters are mended for a time, A.D. 1195.

Tandem, inedia urgente, ad nos reversi, conquesti sumus super his domino Huberto Cantuariensi archiepiscopo tunc temporis totius Angliæ legato. Sed abbas ad callida argumenta conversus, muneribus promissis et datis et quibusdam fratribus corruptis, obedientiis nobis ad tempus restitutis, pacem sibi comparavit, et sic tunc a manu domini legati evasit, assignatis tamen pro bono pacis ex præcepto domini legati certis redditibus ad pitanciariam, quia prius vina et medones de celario et carnes de lardario abbatis statutis temporibus ad hoc accipere consuevimus, unde magnum murmur et magni defectus sæpe contingebant. Restituta etiam nobis tunc est ecclesia sancti Laurentii per dominum legatum, quam prius abbas dederat, nobis reclamantibus, cuidam clerico suo Gilberto, et sic per istas tribulationes in melius reparati sumus. Legatione autem finita post annum, abbas iterum monachos subpeditavit, et tam redditus pitanciariæ quam redditus operis et omnes redditus eorum fere sibi iterum appropriavit, et infinitam pecuniam sibi congregavit, maxime de iis quæ ad monachos pertinebant, per quam pecuniam monachos eum sæpe accusantes ab accusatione viriliter repulit et eos prout voluit sibi subjugavit. Multos enim magnates regni et maxime justiciarium per ciborum dapsilitatem et munerum largitionem, quæ temporibus necessitatis abundantissime effundebat, sibi amicos comparaverat. Monachi vere nihilominus semper insidiabantur ei et vitia ejus pro posse suo impugnabant. Ipse vero eos parvipendens et conatus eorum, ipsos persequebatur et odio habebat, et quosdam a domo postea ejecit. In quosdam vero in thalamo suo missos a conventu manus violentas injici fecit, in alios præcepit injici. Sed

But about a year after the abbot renews his oppession.

Geoffrey Fitz-Peter, chief justiciary, the abbot's friend; A.D. 1198.

tamen, Deo adjutore, semper manus ejus vivi effugimus, quamvis dicatur quod quidam ob defectum necessariorum perierunt. A.D. 1198–1200.

Secunda querela conventus archiepiscopo non tunc legato, et commutatione Samburne pro Tetlestrop, et turris constructione.

Iterum miseria et inedia compulsi hæc ferre non potentes domino Cantuariensi, ut suo speciali legato quamvis jam non generali, in transmarinis agenti, (unde abbas sæviendi assumpserat audaciam [1]) scripserunt monachi suas afflictiones et abbatis tyrannidem et exordinationes, qui postquam rediit valde commotus venit Eueshamiam, et ibi de his quæ audierat diligentem fecit inquisitionem. Sed abbas et tunc etiam ad nota subsidia confugiens, fratribus corruptis sicut prius per munera et amicos suos, obedientiis nobis restitutis, pacem sibi comparavit.[2] Recepit tamen ea vice pro bono pacis Samburne [3] iterum, et dedit nobis Thatlestrope ad cameram loco Burtune, et sic semper tribulatio profuit. Sed adhuc parvo tempore pax duravit; nam iterum, parvo post occupato archiepiscopo pro causa de Lamei[the[4]], pejus quam unquam prius nos flagellavit, et omnia nostra sibi appropriavit, et facta sunt novissima nostra pejora prioribus; et sic sæpe habuimus redditus ad nos pertinentes et sæpe eis spoliati eramus. Et quamvis tot adversa sustineremus tamen per quendam magnanimum et magni consilii

Second complaint to the archbishop, A.D. 1198.

But in the year 1199 or 1200 things grow worse than ever.

[1] *audaciam*] audatiam, MS. The archbishop sailed into Normandy 28 Sept. 1198. Gervase of Cant. in Twysden's Decem Scriptores, col. 1615.

[2] "Sed abbas ad callida argumenta "confugiens, muneribus promissis "et datis, et quibusdam fratribus "corruptis, obedientiis conventui ad "tempus restitutis, pacem sibi com- "paravit." Harl. 3763, f. 170.

[3] "Samborne quæ prius, inconsulto "conventu, commutaverat pro Bor- "tone quæ fuit de camera." *Ibid.*

[4] The three last letters are added by a later hand.

A.D. *c.* 1200. The tower built by Thomas de Northwick, a monk famous for his medical skill.

virum et bonum monachum, magistrum videlicet Thomam de Northuuic, qui per sapientiam suam et maxime physicam qua pollebat magnam gratiam totius patriæ sibi comparaverat, turrim ecclesiæ ereximus, convertentes redditus pitanciariæ quandocunque [1] eos habuimus et omnia alia quæcunque nobis subtrahere potuimus in opus illud.

Hactenus de his: veniam autem nunc ad ea quæ pro libertate ecclesiæ passi sumus in labore et ærumna, in fame et siti, in frigore et nuditate, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate Romana, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, ut minus sapiens dico, plus omnibus passus sum ego. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, Qui est benedictus in sæcula, quod non mentior.

2 Cor. xi. 31.

[1] *quandocunque*] quancunque, MS.

Particula Secunda.

Incipit particula secunda qualiter episcopus mandaverit se venturum causa visitationis, et [de] fatuo responso abbatis.

In diebus illis erat dominus Malgerius episcopus Wigorniæ, vir justus et timens Deum. Iste abbatis exordinationibus condolens et nostræ miseriæ compatiens, zelo bono ductus, indulgentiam a domino papa maxime propter correctionem status nostri, ut ipse sæpe dicebat, impetravit, videlicet ut liceret sibi ecclesias diocesana lege sibi subjectas, appellatione remota, visitare. Et scripsit abbati sub hac forma: "Noveritis quod tali "die veniemus ad vos, causa visitationis eadem die "vobiscum moram facturi." Abbas vero visis literis post cibum in die Assumptionis beatæ Mariæ, juris civilis quam canonici ignarus, nullius communicato consilio, respondit, "Bene venerit," pro parvo reputans, ut erat dapsilis, quod episcopus cum eo hospitaretur, non capiens intellectum litterarum. Recedente itaque nuntio cum tali responso, facta est contentio inter discipulos abbatis quidnam sibi vellet tale mandatum, et quia juris peritus eram vocatus sum ego qui eram in claustro, quibusdam dicentibus quod episcopus venit videre abbatem ut amicus, aliis non, sed ut abbatem deponeret quia odio eum habebat. Ego vero dicebam quia si eum causa visitationis admitteret, ex vi verbi hujus "causa visitationis" et ratione prædictæ indulgentiæ quam apud Gloucestriam, ubi visitationem

A.D.1202.[1] Malgere, bishop of Worcester, claims the right of visiting the abbey.

Aug. 15. The abbot misunderstands the bishop's letter.

Marleberge gives his opinion, and forbids the bishop's admission.

[1] This date is ascertained from the course of the narrative, and the dates of several papal documents in the year 1206.

A.D. 1202. inceperat, jam exhibuerat, quod episcopus potestatem habebat tam in capite quam in membris[1] errata usque ad depositionem et degradationem corrigere, et quod nihil libertatis amodo ecclesiæ nostræ relinqueretur si eum ut diocesana lege subjecti admitteremus; quare statim dissuasi, immo ex parte conventus prohibui, ne eum sub tali forma admitteret.

De controversia et dissensione conventus de admittendo vel non admittendo episcopo.

Discussion in the abbey.

Mane autem facto convenimus cum abbate nostro ut de admittendo episcopo vel non admittendo sufficientius tractaremus, et facta est inter nos magna dissensio et multi parietes facti sunt. Quibusdam enim fautoribus abbatis bene erat qui cum ipso in stercore suo quasi sus in volutabro computruerant; isti semper ita vivere vellent ut quotidie cum abbate suo splendide epularentur. Hi litem nolebant, scientes quia lites magnas expensas requirunt; alii autem valetudinarii, alii vero senes, alii hic nutriti quibus alia loca erant incognita, propter nimias litis expensas timentes majorem inediam, et etiam, si ita res urgeret, fratrum dispersionem, quærebant ut pax fieret in diebus suis, qui, licet in aliis non faverent abbati, in hoc tamen casu communiter cum eo steterunt. Isti omnes cum abbate dicebant quia res de qua agebatur valde ardua erat et supra vires ecclesiæ et nostras, dicentes totam abbatiam etiam si monachi nihil ex ea perciperent tantis sumptibus non sufficere, non tacentes quod episcopus valde favorabilis erat, utpote vir sanctus et in scientiis profundi pectoris, ecclesiæ Romanæ cardinalis, et a domino papa speciali quadam dispensatione propter magnas virtutes quibus pollebat in episcopum consecratus, et præ cæteris episcopis, ut dicebatur, dilectus, quod ex multis argumentis comprobabant, addentes quod multi abbates

Arguments in favour of submission to the bishop.

[1] *membris*] menbris, MS.

et monachi ante nos fuerunt qui nos scientia, mori- A.D. 1202
bus, sanctitate et sæculari prudentia præcellebant et nobis præfulgebant, et illi tam ardua non attentaverunt, et tamen pie et sancte et juste vixerunt in hoc sæculo, et divitiis et honoribus gavisi sunt. Nos vero propter exordinationes nostras Deo et hominibus minus favorabiles, immo quasi contemptibiles habebamur et pauperes. Jus etiam nostrum valde exile et infirmum dicebant, maxime eo quod a ducentis vel trecentis annis retro episcopi Wigornenses omnes fuissent sollemniter cum processione sollemni ad divinorum celebrationem et procurationem sufficientem in ecclesia nostra admissi, et abbates nostri supra memoriam hominum ab episcopis Wigorniæ benedictionem acceperunt et eis professionem fecerunt, et chrisma et oleum et ordines ab eisdem monachi susceperunt, et ideo præsumptuosum et superstitiosum videri tam longam consuetudinem et tantorum virorum sequi vestigia nolle, et tam sanctorum magnorum et prudentum prædecessorum nostrorum metas et vitæ fines velle transgredi, et etiam si quod jus ad proclamandum in libertatem haberemus, per tantum et tam longum abusum, immo contrarium usum, videatur penitus abolitum et abrogatum. Objiciebant etiam nobis quod nos juvenes quærebamus litem causa evagandi, scientes quia nos qui liti insisteremus semper bonis abundaremus sicut tanta causa exigebat, illi vero domi inedia perirent. Et illi qui hæc dicebant erant de senioribus populi, qui quasi videbantur regere ecclesiam nostram, et revera de filiis prudentioribus lucis hujus erant in generatione sua, et si aliqui illorum zelum bonum habebant tamen non secundum scientiam. Alii nec zelum habentes bonum, quærebant quæ sua erant non quæ Jesu Christi, sed favorem et pacem captantes multos fratres seduxerunt qui quum non essent ex nobis a nobis exierunt, et us- 1 St. John, que ad diem sententiæ pro nobis latæ nobiscum amplius ii. 19. non ambulaverunt, et adhuc ex corde quidam nobiscum non ambulant quamvis nobiscum de libertate partici-

A.D. 1202. pentur et gaudeant.[1] Erant ibidem tunc et alii fratres habentes zelum Dei secundum scientiam, zelantes libertatem sicut legem Phinees, scientes quod libertas res est inæstimabilis, qui propter ea quæ audiverant quasi

[1] At the foot of this page of the MS. is inserted in another, but nearly contemporaneous, hand the following letter from abbot Reginald, (whose contest with Simon, bishop of Worcester, respecting the privileges and exemptions of the abbey is noticed at p. 99,) to his famous kinsman Foliot. Its turgid and affected style is the common fault of its period, but it possesses one singular peculiarity in having a few lines written in rough rhyming verse, although arranged by the scribe in prose order:—

" Domino medullitus dilecto,
" G[ilberto, sc. Foliot] abbati
" [Gloucestriæ ; *inserted afterwards*], frater Reginaldus abbas
" Eveshamiæ, germen odoris Israel.
" Hebeteduni meæ imputo quod
" vobis parcius innotesco, licet et
" hebetudo per se citius innotescat.
" Lippus solis jubare delector, nec
" solis vitium est pravitas oculorum.
" Montem sole illustratum aspicio,
" sed æger procul solem campestria
" revisentem opperior. Quorsum
" hæc? Dum nostrum triste vivere
" deploro, gaudeo Tullium in hæc
" tempora reservatum, Tullium inquam, qui urbem providentia reservavit et peritia superbis ora
" reclusit. Vos ego Ciceronem,
" vos etiam rigidum Catonem, vos
" Augustum farriferum dixerim;
" Marcum severitate, Catonem
" æquitate, Augustum frugalitate.
" Quumque hæ virtutes trifariæ
" sint morum nitore velut argento
" vermiculatæ, gaudemus vos velut
" optato sidere nubila nostra interpolare. Huc veniant fessi, rogitent discrimini (*sic*) pressi. Omnibus ipse bonus alleviabis onus.
" Vita dabit meritum, fugiet fraus
" quæque peritum. Nec lædi poterit qui tibi fisus erit. Alterutræ
" litis compescis jurgia mitis.
" Quemvis causa gravet, pars tibi
" quæque favet. Quum igitur pretium de peritia habeatis ut recta
" dirigatis et prava corrigatis et in
" omnibus auctoritatem habeatis, me-
" minisse vos libeat avunculi vestri
" vos carne et spiritu præ omnibus
" diligentis, scilicet ne veritas causæ
" nostræ, tam antiquis et probabi-
" libus munimentis fulta, voluntario
" vel casuali judicio vacillet. Juvantes nos veritas juvabit, quia
" quicquid contra nos æmuli nostri
" emendicant superbiæ et fraudulentiæ est. Juvat nos annosa
" possessio, antiqua regum et procerum collatio, tum denique Romana conscriptio. Romæ me
" nemo interpellavit, coram legato
" nullus appellavit, qui semper in
" palam veni. Quid me retro lacessunt? Wigornia nos collibe-
" rales, nunquam servos, habuit; et
" quæ nunquam possederunt cur de
" possessore quæruntur? Libuit
" cuilibet fidem dare; fecit quod
" voluit. Nescio conscientiam. Ego,
" in libertate ecclesiæ natus, debeo
" liberam ancillam facere? Liber-
" tatem nostram sacramento, armis,
" manu, quavis ratione, tuebimur.
" Ut a nostris accepi, (S. Joh. viii.
" 33), 'nemini servivimus unquam.'

furore accensi, cum sanioris consilii fratribus, sicut A.D. 1202.
quondam Mattathias cum filiis suis et amicis, firman- 1 Macc.
tes facies suas steterunt ex adverso, opponentes se mu- ii. 16.
rum pro domo Domini, eligentes mori in curia Romana Ezek. xiii. 5.
ad quam reversio nostra et ecclesiæ nostræ est et erat,
quam subire plenam subjectionem et servitutem et
libertatis ecclesiæ suæ perpetuam subversionem. Et The replies.
dixerunt, " Quare detraxistis sermonibus veritatis? Ad Job vi. 25.
" detrahendum verba componitis et nitimini subvertere
" libertatem ecclesiæ vestræ. Non timeatis pauperta-
" tem vestram vel litis expensas, quia si maneria nos-
" tra impignorare voluerimus vel si pecuniam a Judæis
" sub usuris voluerimus vel in curia Romana a Roma-
" nis sub pœnis statutis, inveniemus qui usque ad mille
" marcas vel amplius quantum voluerimus accommo-
" dabunt nobis, sub testimonio sigilli capituli nostri,
" quia conventus quasi immortalis est. Et nos in longa
" tempora solvendam pecuniam accipiemus et non dis-
" pergemur. Episcopus autem non inveniet qui ali-
" quod manerium ejus loco pignoris accipiat, nec qui
" pecuniam ei mutuo det nisi in modica summa, quia
" si episcopus moreretur statim pignus liberaretur, et
" nisi creditor probaret demonstrative quod in neces-
" sarios usus ecclesiæ pecunia esset expensa, successor
" debitum solvere non teneretur; quare nos in expensis
" magis possumus quam episcopus. Quod dicitis episco-
" pum esse favorabilem tam apud Romanos quam alios,
" hoc non timeatis, quia causa sua ecclesiæ Romanæ
" odiosa est, veluti quæ contra eam est instituta, et
" causa nostra, quæ libertatis est, inter omnes causas
" magis favorabilis est, et maxime apud ecclesiam
" Romanam, cui volumus, sicut debemus, nullo medi-

" Vos nisi tæderet, me scribere
" multa liberet. Sed tu multa brevi
" percipis aure levi. Pectore sin-
" cero sociari te mihi quæro': nam
" quocunque voles vertere fata soles.
" Linea sit stabilis consanguinitatis
" herilis. Jamque memento mei
" conditione spei. Vale." A letter from Foliot to the archdeacon of Worcester in behalf of Evesham will be found in the preface.

A.D. 1202. " ante subjeci; quæ etiam diligit exemptiones.[1] Et
" apud dominum Cantuariensem favorabiles sumus, cui
" cura animarum nostrarum et correctio status hujus
" ecclesiæ a domino papa specialiter sunt commissa.
" Quod dicitis ante nos fuisse et majores et sanctiores
" viros, verum est, et in hoc bene patet quod nunquam
" illi pleno jure ut diœcesano subjecti erant Wigor-
" nensi episcopo. Si vero nos episcopum causa visita-
" tionis admiserimus, quod antecessores nostri nunquam
" fecerunt, nihil libertatis ecclesiæ isti remanebit. Si
" exordinati sumus, ecce tribulatio, pœna peccati et
" exordinationis nostræ; qua tribulatione correpti,
" patienter sustineamus et emendemus in melius quod
" negligenter peccavimus, et non rememorabuntur om-
" nes iniquitates nostræ nec coram Deo nec coram
" hominibus. Quod autem dicitis prædecessores nostros
" admisisse episcopos solemniter, et abbates fecisse
" eis professionem, et benedictionem et chrisma et
" oleum et ordinationes ab eis recepisse, verum est,
" et male factum est illud, et periculum imminet
" nobis. Sed, benedictus Deus! semper cum pro-
" testatione libertatis et cum reclamatione facta
" sunt ista, quare præscriptionem non timemus, et de
" jure nostro (per gratiam Dei conservantis nobis
" privilegia nostra) certissimi sumus, nisi præscriptio
" obsit, cujus interruptio facillime probatur. Et si
" in judicio possessorio succubuerimus, quæ cura? quum
" quasi certi simus quod in petitorio obtinebimus; et
" quia ambigua sunt fata causarum, miser est qui
" sponte se offert servituti dum stare potest in libertate,
" maxime quum nil pejus possit ei contingere quam
" ut servus efficiatur. Et absit a nobis quod bonis ec-
" clesiæ in deliciis abutamur, et illa quæ libera creata
" est ancilletur æternaliter, quod nec etiam amodo locus
" sit ei in libertatem proclamandi, et sic injuste pereat,
" et non sit qui condoleat, quum satis abunde habeat

[1] *exemptiones*] exexemptiones, MS.

" unde defendatur. Ergo state nobiscum si vultis, quia A.D. 1202.
" nos neque pro vita neque pro morte a libertate re-
" cedemus, nisi per sententiam domini papæ, quod nun-
" quam continget, quod dominus papa videlicet contra
" se ipsum et ecclesiam Romanam et tot privilegia
" Romanorum pontificum sententiam det. Nos vero
" parati sumus omne pondus litis in nos suscipere, et
" adire curiam Romanam, et stare ibi pro libertate,
" non ut evagemus ut vos dicitis, sed ut ibi moriamur
" si forte transierint dies nostri ; et sicut fuerit volun-
" tas in cœlo sic fiat." Hæc nos sanioris consilii fratres cum fletu dicebamus. Abbas vero, constantiam nostram videns, considerabat omnia verba hæc, conferens in corde suo ; et communicato consilio missi sumus tres monachi in crastino ad episcopum, qui libertatem et jus ecclesiæ nostræ protestaremur et quod nequaquam eum causa visitationis admitteremus, et pro jure ecclesiæ et contra omnia gravamina quæ propter hoc nobis contingere possent appellaremus ; quod et factum est. Episcopus vero se nihilominus venturum et secundum indulgentiam domini papæ, appellatione remota, jure diœcesano, corrigenda tam in capite quam in membris[1] se correcturum asserebat.

Three brethren sent to the bishop to protest against his visitation, and to threaten an appeal to Rome.

De dolo abbatis ut accepta securitate status sui episcopum admitteret et nos ei dolo traderet.

Quod quum abbati retulissemus ad callida argumenta et assueta præsidia se convertit, et per quosdam familiares suos sollicitavit episcopum si quo modo posset ad hoc inducere eum, ut accepta securitate status sui, videlicet quod in personam suam non animadverteret, eum admitteret. Hoc enim prius fecerat cuidam episcopo Wigornensi, Johanni videlicet de Constantiis, quem ad capitulum admisit et statuta ejus et decreta scripta et lecta, reclamantibus fratribus, ibidem custo-

The abbot endeavours to make terms with the bishop for himself, but fails.

[1] *membris*] menbris, MS.

A.D. 1202. dienda suscepit, sed dedit ei sexaginta marcas et renunciavit usui mitræ, tunicæ, dalmaticæ et sandaliorum omnibus diebus vitæ illius episcopi ne in personam suam animadverteret. Sed iste episcopus nihil simoniace facere voluit, sed tamen distulit diem adventus sui in alium diem.

De fuga abbatis et repulsione episcopi.

The abbot retires to Bradwell.

Veniente igitur die abbas summo mane recessit Bradeuuellam, et relictis ovibus mercenarius fugit quia non pertinebat ad eum de ovibus, quia non est ingressus per ostium in ovile ovium, sicut prius dictum est. Nos vero ut acephali magis de recessu abbatis quam de adventu episcopi consternati, timentes eum invenisse gratiam in oculis episcopi, videntes etiam quod pro anima nobis res erat, accinximus nos, et invocantes adjutorium Dei viriliter stetimus ex adverso ; et summo mane, anticipantes horam canonicam, celebravimus capitulum nostrum multis ex causis, scilicet ut cum episcopo iterum non ingrederemur prætorium, et ut longo tractatu quid facto opus esset deliberaremus.

Arrival of the bishop, Aug. 23, 1202.

Veniente itaque episcopo, de communi consilio obserata sunt ostia tam cellæ hospitum quam stabuli et coquinæ, et omnia suppellectilia episcopi et equi et phaleræ equorum posita sunt sub divo, quia non erat ejus locus in diversorio. Portæ vero et ostia ecclesiæ, qua omnes Christiani ingrediuntur, aperta erant. Et ingrediens episcopus per claustrum recepit se in ecclesiam, et facta oratione, quum sedisset juxta majus altare, vocati sunt

He summons the monks to a chapter.

abbas et conventus noster voce præconia, et, aliis sedentibus in claustro, comparuimus coram eo duodecim ad hoc electi ut judicem responsis aggrederemur. Et episcopus, demisso[1] vultu et simpliciter ut erat vir sanctus, dixit, "Deo teste, compassus miseriæ vestræ et desola-
" tioni hujus ecclesiæ, veni huc propter vos ut statum

[1] *demisso*] dimisso, MS.

" vestrum et ecclesiæ vestræ in melius reformem. A.D. 1202.
" Igitur convenite omnes in capitulo, et audite man-
" datum domini papæ, et obedite mihi ut episcopo vestro
" sicut faciunt cæteri monachi vicini vestri, et bene erit
" vobis." Et ego, in cujus ore posuerunt verba sua Marle-
quia juris peritus eram, licet minor essem omnibus berge's reply.
fratribus meis, sic respondi: " Domine episcope, de bona
" voluntate vestra gratias agimus vobis, et bonum zelum
" vestrum retribuat vobis Dominus. Verum quia ea
" quæ dicitis sine perpetua subversione libertatis [1]
" ecclesiæ nostræ et detrimento honoris nostri et periculo
" animarum nostrarum, immo perpetua damnatione
" earum, facere non possumus, eligimus magis tempora-
" liter hic flagellari et temporalium sustinere defectum
" donec a domino papa per legatum suum visitemur,
" quam, a non nostro pastore correctionem momen-
" taneam accipientes, ecclesiam nostram quæ libera est
" ancillando, in perpetuam, a qua resurgere non possimus,
" retrudere servitutem." Et intrante conventu ad
horam tertiam, dixi episcopo, " Surge velociter et recede
" hinc cito; et exi a nobis. Ecce enim conventus adest
" ad opus Dei." Et episcopus, " Num minæ?" Et ego,
" Utique; stulte enim venistis." Et episcopus exiens ab
ecclesia secessit [2] in capitulum cum abbatibus, prioribus
et multis clericis, et iterum et secundo et tertio præ-
conia voce vocati sumus. Et qualibet vice nos duodecim
coram eo comparuimus, probris et conviciis invicem
affecti et nos afficiendo, et comminantes episcopo ut
recederet, semper prædicta repetendo et appellationem
innovando.

Qualiter episcopus excommunicaverit conventum excepto abbate.

Tandem circa horam diei nonam, quum ingredi The bishop
deberemus ad sumendum cibum (erat enim vigilia sancti first sus-
pends all,

[1] *libertatis*] liberatis, MS. | [2] *secessit*] cecessit, MS.

A.D. 1202. except the abbot, for contumacy, and on the next day, Aug. 24, excommunicates them.

Bartholomæi) per priorem de Gloucestria et quosdam alios nuntiavit nobis quod nos et ecclesiam nostram a divinorum celebratione propter contumaciam suspendit, excepto abbate, et sic nec petita nec data benedictione a nobis recessit. Nos vero appellationi nostræ innitentes solemnius quam prius, si fieri potuit, divina celebravimus, et statim post cibum duos monachos[1] suos qui hic propter combustionem ecclesiæ Wigornensis[2] morabantur, mandantes quod illos tantum ut sibi subjectos suspenderat et ideo eos a nobis emisimus, illi transmisimus. In crastino vero misit hic abbatem de Alincestre et quosdam clericos, quibus quum nusquam ad nos pateret ingressus sicut præcavimus, scientes ea quæ futura erant, illi accensis candelis et fixis in porta cœmiterii solemniter auctoritate episcopi nos excommunicaverunt, excepto abbate. Et hæc non fuit in nostro pectore cura minor quod abbas noster a nobis semper separabatur, sed maxima causa timoris ne cum episcopo collusisset, nec stetit per abbatem quin ita fieret. Nos vero nihilominus semper divina solemniter celebravimus.

Qualiter abbas noluit communicare magistro Thomæ de Merlebergia monacho propter sententiam episcopi.

Marleberge is refused an interview by the abbot.

Eadem die missus sum a conventu ut nuntiarem hæc domino abbati, quamvis a suis omnia ei prius nuntiarentur, et, quicquid abbas diceret, injunctum est mihi ut ad dominum Cantuariensem procederem et sententiæ episcopi peterem infirmationem. Qui quum venissem Bradeuuelle ad abbatem, stans deforis et quærens loqui ei, responsum est mihi ex parte abbatis quod recederem, et quod abbas non loqueretur mihi quia excommunicatus eram. Ego vero recessi apud

[1] *monachos*] monacos, MS.

[2] The burning of Worcester cathedral happened on April 17, 1202. Annales Wigorn., in Wharton's Anglia Sacra, vol. i., p. 479.

Suellam, manerium de camera, et pernoctavi ibi, cogitans quia nox haberet consilium, et putans quod abbas ebrius esset, sicut quotidie esse consuevit et sæpe bis una die, vel quod tunc haberet ibi aliquam de concubinis suis, propter quas sæpe nos consueverat excludere a thalamis suis, quamvis concubinas suas nobis videntibus in thalamis suis passim consueverit habere. Summo itaque mane veni iterum Bradeuuellam, et non patebat mihi ingressus, nec in melius mutatum est consilium, sed idem responsum recepi quod prius; nondum enim spem amiserat quin episcopum adhuc aliquo modo corrumperet et nos ei dolo traderet. Sed episcopus filius veritatis iniquitati ejus non consensit. A.D. 1202.

Qualiter archiepiscopus Hubertus ad monachos contra episcopum sit conversus, et de potestate archiepiscopi in ecclesia Eveshamensi[1].

Et ego recessi, et tertia die occurri domino Cantuariensi in itinere per tria miliaria ultra Londonias, et eo cum fletu et ejulatu magno ex parte fratrum salutato, tamen satis rhetorice ex ordine narravi ei omnia quæ facta erant, et instanter petii sententiæ episcopi relaxationem, adjiciens in fine, "Pater sancte, res vestra "magis agitur quam nostra, et causa vestra est pro qua "stamus. In privilegiis enim nostris continetur, quod "cura animarum ecclesiæ nostræ a domino papa vobis "commissa est, et si quid sinistræ partis inibi comper-"tum fuerit oriri, potius auribus vestris deferatur quam "per alicujus occultam sententiam locus sanctus depra-"vetur injuste. Et vos anno præterito, si ad memo-"riam reducitis, hoc privilegio et jure nostro usi estis, "et, episcopo præsente et non contradicente, quæ erant "corrigenda in domo nostra et nobis omnibus præsenti-"bus et in cryptis nostris tam in capite, quam in mem- Aug. 27. He goes to the archbishop, and meets him three miles from London.

[1] *Eveshamensi.*] Eveshaensi, MS.

A.D. 1202. " bris correxistis, et sic in possessione juris vestri " et nostri constituti estis. Ergo, domine, defendite " partes vestras et oves vestras." Et archiepiscopus, " Bene meminimus omnium horum, et nolumus quod " omnibus palam dicatis sed dissimuletis, quia per bea- " tum Julianum nec jus nostrum nec possessionem " quamdiu vixerimus, Deo dante, amittemus." Igitur tam in divinis officiis quam in mensa junxit me lateri suo per tres dies, et quum accepissem cibum cum eo confortatus sum. Tertia vero die obviavit nobis apud Haveringedune magister Johannes de Cerneia, clericus episcopi Wigornensis, vir in jure canonico valde profundi pectoris, et narravit domino Cantuariensi modo suo ea quæ facta fuerant, petens confirmationem sententiæ episcopi instanter, et ego in multis contradicens ei petii constantissime infirmationem ejusdem. Et archiepiscopus, " Magister Johannes, quædam ita sunt ut " dicitis, quædam non. Sed bene scimus quod epi- " scopus vester non de consilio vestro ut credimus, sed " potius magistri Willelmi de Verdun talem præci- " pitavit sententiam, non deferens appellationi, in tan- " tum conventum, nobis inconsultis." Et revera de consilio Willelmi fuit, sicut prius archiepiscopo suggesseram. " Ite," inquit archiepiscopus, " et quinta " die post hanc compareatis coram nobis apud Wigor- " niam, et ibi quod justum fuerit statuemus." Et accepta benedictione recessimus. Et quum venissem domum nuntiavi fratribus quæ facta fuerant, qui, gavisi gaudio magno, cantabant et flebant.

Aug. 29. John de Cerney comes to the archbishop from the bishop of Worcester.

The archbishop appoints an enquiry at Worcester.

De arreptione itineris abbatis ad curiam Romanam et revocatione ejusdem, et pace reformata inter eum et conventum.

Abbas vero noster secesserat[1] apud Baddebi, et præparavit se ad iter ut Romam iret, jam enim plene spem

[1] *secesserat*] cecesserat, MS.

amiserat de corrumpendo episcopo. Veniente igitur die comparuimus coram archiepiscopo, episcopo cum advocatis suis et multis allegationibus petente[1] sententiæ suæ confirmationem, et similiter nobis petentibus e contrario infirmationem; et non profecimus, sed datus est nobis alius dies apud Lincolniam. Veniens autem domum, ex præcepto fratrum secutus sum abbatem nostrum ut eum ab errore viæ suæ revocarem. Jam enim iter arripuerat et habitum mutaverat, ut quibusdam fratribus nuntiaverat; non enim conventui hæc mandaverat. Ego vero procedens inveni eum apud Neweburi versus mare in habitu sæculari; et, narrans ei quæ facta fuerant, et qualiter dominus archiepiscopus Cantuariensis communicavit nobis, consolans etiam eum per verba archiepiscopi quæ dixerat mihi, et qualiter spem concepimus de infirmanda sententia episcopi, promisi etiam ei in verbo Domini quod si episcopus obtineret contra nos in possessorio judicio, quod maxime timebamus, (qui timor postea evenit nobis,) quod nos nunquam coram episcopo aliquid quod faceret ad ejus depositionem ei objiceremus, sed fideliter cum eo contra episcopum pro statu personæ suæ staremus, si reverteretur et staret nobiscum in causa ecclesiæ. Quam promissionem meam fratres mei, quum postea Romæ essem, tempore restitutionis episcopi viriliter compleverunt, stantes cum eo usque ad habitus sui dejectionem, quum episcopus circa personam suam vellet facere inquisitionem et fratres ei nihil dicere vellent, episcopo sub pœna excommunicationis præcipiente. Ille vero tali accepta securitate reversus est Eveshamiam, et facti sunt amici eadem die abbas et conventus, quia autea erant inimici ad invicem.

A.D. 1202. Sept. 3. The cause is heard at Worcester, but adjourned to Lincoln.

Reconciliation of the abbot and monks, to make common cause against the bishop. (St. Luke xxiii. 12.)

De auxilio conventus ad litis expensas.

Tunc etiam provisum est quod omnia ea quæ prius nobis invitis abstulerat, videlicet redditus pitantiariæ

How funds are raised for the suit.

[1] *petente*] petende, MS.

A.D. 1202. qui pertinebant ad potum, salvis paucis nobis caritatibus vini, et fabricæ ecclesiæ, et duo pulmenta scilicet frumenti et fabæ, et wastelli et caritates de cellario exceptis quibusdam certis diebus, et coopertoria, cederent in usus suos, ad sustentationem litis quamdiu lis duraret, et quamvis prius hospitalitas apud nos deperiisset et, resecante abbate tam hospitibus quam servientibus abbatiæ pro voluntate sua liberationes, multi fame periissent, tamen modo concessimus quod hæc omnia cederent in usus abbatis ad litem, et nos nunquam super his quamdiu de voluntate nostra subtraherentur eum accusaremus. Nos vero, sicut prius nolentes ita modo volentes, per multos annos postea nudis et puris oleribus pro pulmento usi sumus, et eleemosynarius pascebat, servientes nostros; et facta est tranquillitas in mari nostro.

Qualiter archiepiscopus nos pro non excommunicatis habuerit, sententiam episcopi nec confirmando nec infirmando.

Igitur pace inter nos sic reformata, abbas noster quasi tyro ut erat magnanimus viriliter præparavit se ad litem apud Lyncolniam ubi honorifice ab archiepiscopo susceptus est et confortatus, et ibi pondus litis versum est super me, in tantum quod propter elegantes allegationes meas abbas meus, ut ipse sæpe fatebatur, in specialem dilectionem recepit me; ipse enim jam audiverat ex ore meo. Sed aliud erat in ore suo, aliud in corde. (Hæc et alia de meipso, Deo teste, ideo vobis dico ut memoriam mei in orationibus vestris habeatis qui de hac libertate gavisuri estis, quia plus omnibus pro ea laboravi.) Sed nec tunc apud Lincolniam ad plenum profecimus, licet ibi certitudinem de non confirmanda sententia episcopi conceperimus et de adjutorio archiepiscopi, sed datus est nobis alius dies apud Londonias in crastino sancti

St. Luke xxii. 71.

Lucæ Evangelistæ. Et illuc processimus copiose muniti[1] advocatis, episcopus vero constipatus non solum advocatis, sed etiam fere omnibus episcopis hujus provinciæ, et præcipue astantibus ei Eliensi, tantæ auctoritatis viro, et Herefordensi. Tandem post multas et varias allegationes utrimque propositas, archiepiscopus taliter exorsus est: "Sententiam episcopi licet post appella- "tionem latam nec confirmabimus nec infirmabimus, "ideo præcipue quia causa pro qua lata est commissa est "judicibus delegatis a domino papa. Et tu, domine abbas, "sequere literas tuas et judices tuos." Et recessimus gaudentes, et prosecuti sumus causam nostram coram judicibus nostris. Jam pridem enim, me procurante omnibus viribus meis ut quæstio status moveretur inter nos et episcopum et crebro me prædicante quod in brevi moveretur, perquisivimus literas domini papæ videlicet quod episcopus contra privilegia Romanorum pontificum nobis injuriosus existeret, et per has literas fecimus vocari episcopum in prima die litis nostræ ante archiepiscopum apud Wigorniam.

A.D. 1202–3. The hearing of the case continued at London, 19 Oct. The archbishop leaves the appeal to be prosecuted before the papal delegates, and neither confirms nor annuls the bishop's sentence.

De primo itinere episcopi et nostro Romam pro hac causa.

Erant autem judices nostri de Malbesburia, Abbendonia et de Eignesham abbates, coram quibus quum episcopus aliquotiens comparuisset, tandem ab eis ut sibi suspectis appellavit, et in propria persona appellationem est prosecutus. Nos vero misimus contra eum quendam monachum Ermefredum nomine, virum discretum, bene literatum et optimum notarium, qui in curia Romana diem clausit extremum, et quendam cursorem collateralem abbatis qui literarum nostrarum portitor fuit, qui similiter postea rediens a curia labore

The bishop appeals from the delegates to Rome. [Decr. Grat. pars ii. causa ii. qu. vi. cap. 16.]

[1] *muniti*] minuti, MS.

A.D. 1203. consumptus obiit. Hic enim mos semper erat noster quod nos mittebamus unum quasi ex latere nostro et abbas alium quasi ex latere suo, non enim unquam credebamus nos nobis ad invicem. Judicibus vero nostris non deferentibus appellationi, datis magnis judiciis et diffusis dilationibus episcopo, causam quasi lento pede prosecuti sumus, expectantes quidnam episcopus impetraret.

De iterata depressione conventus ab abbate et dilapidatione immobilium.

The monks find no change in the abbot for the better.

Abbas autem noster quasi canis ad vomitum convertens, ut semper consueverat deprimi in adversis et elevari in prosperis, videns quia in longa tempora restitutio episcopi, siquando tamen futura erat, dilata fuit, confisus etiam de eo quod nos vix vel nunquam durante lite inter nos et episcopum contra eum actionem institueremus, quasi securus factus, non iis quæ nos ei concesseramus ad litem sustinendam contentus, cœpit in nos durius grassari quasi expectans ut adhuc
Job xl. 23. Jordanus effluere in os ejus. Et sacristariam, thalamum et omnes obedientias nostras amplius et durius quam unquam prius sibi appropriavit, et nos fame, frigore et inedia durius quam prædiximus affecit. Nec hoc ei ad cumulum damnationis suæ suffecit, sed quasi sciens quæ super eum ventura erant, antequam deponeretur, ut ipse sæpe dicebat, quod talem redderet abbatiam quod nunquam aliquis post eum ea gauderet, cœpit possessiones ecclesiæ dilapidare, consanguineos suos ditare, dans nepoti suo Rogero assarta de Ambresleia ad valentiam centum solidorum annuorum et amplius, et colludendo cum adversariis nostris, possessiones ecclesiæ pro pecunia in curia domini regis eis concedens, veluti Waltero le Poer in eadem villa de Ambresleia terram quæ fuit Hardingi, caducum ecclesiæ, ad congregandam sibi mammonam iniquitatis; et aliis multas alias, scilicet sex virgatas in Tatelestrop, et

duas in Neuham scilicet Johanni et Hugoni, et ut quasi tales, deposita villicatione, reciperent eum in domos suas. A.D. 1203. St. Luke xvi. 4.

De diligentia conventus et tribulatione eorum circa revocationem alienatorum.

Sed nos non ferentes tantam iniquitatem licet circumdedissent nos undique angustiæ, quoddam assartum quod dederat senescallo nostro ad tuitionem aliorum, quod ipse seminaverat, non veriti sumus metere, pro quo facto et regis iram contra nos excitavimus et indignationem archiepiscopi incurrimus. Quantum tunc abbas noster sublevatus et elatus fuerit supersedeo dicere quia non possem edicere. Itaque missus sum ego et tunc ut animos regis et archiepiscopi quocunque modo mitigarem et nos in facto isto excusarem. Et veniens ad curiam regis non potui loqui ei, sed minas et opprobria ibi recepi. Veniens ad archiepiscopum prius ab eo convicia et asperas increpationes sustinui. Tandem post multas excusationes ita conclusi: "Pater "sancte, nostis quia periculosa est desperatio. Obser- "vatio ordinis periit apud nos, quia nos fame et inedia "perimus. Possessiones ecclesiæ nostræ dilapidantur, "ædificia nostra diruuntur. Nihil ergo superest, nisi "ut nos a loco discedamus. Sed quia turpe est mo- "nacho furtim recedere, et inhonestum sine causæ cog- "nitione habitum relinquere, ex certa scientia hæc feci- "mus scientes quia contra jura regni fecimus, quamvis "de jure civili recte fecerimus, quia quicquid plantatur, "seritur vel inædificatur omne solo cedit, radices si "tamen egit; et solum nostrum esse constat, nec sine "consensu nostro potest alienari; ergo recte messi "sumus quod ille seminaverat in solo nostro. Quum "igitur domino regi conquesti fuerimus et ibi auxilium "non invenerimus, et quum pluries vocaverimus vos "literatorie et viva voce ut perpetuum legatum nobis "a domino papa datum, et nolletis venire, communi-

The monks incur the anger of the king and archbishop by illegally reaping land which the abbot had farmed out.

A.D. 1203. " cato consilio tale quid fecimus, et nisi modo veneritis
" pejora faciemus propter quæ oportebit vos venire et
" tam in capite quam in membris corrigenda corrigere.
Marleberge threatens the archbishop that unless he interferes on their behalf, the monks will renounce their habit. " Sin autem, ut requiratur sanguis noster de manibus
" vestris, non in occulto sed palam relinquemus habi-
" tus nostros ad pedes vestros, ut ante tribunal Domini
" nostri Jesu Christi reddatis rationem pro animabus
" nostris ; quamvis coram domino papa sitis inexcusa-
" biles nisi corrigenda apud nos correxeritis, sicut in
" privilegiis nostris continetur, ad quem nos contra
" vos et abbatem nostrum appellavimus, nisi ad nos
" veneritis, et sic poteritis amittere curam quam habe-
" tis de nobis." Et quum audisset hunc sermonem motus est archiepiscopus. Immo et magistri mei in scholis, clerici archiepiscopi, videlicet J. de Tinemue et S. de Suuelle et Honorius, exclamaverunt, dicentes quia recte locutus sum, murmurantes contra archiepiscopum propter verbum quod subjeci, " Domine pater,
" consulite famæ vestræ quia abbas noster aperto ore
" clamat quotidie se non timere quamdiu vos et justi-
" ciarius vixeritis, exprimens causam, vos diffamando,
" quod videlicet vobis tantum servierit quod securus
" sit de vobis." Et archiepiscopus, " Ut sciat mundus
" quia manus meæ mundæ sunt in hac parte, non
" erit hoc proverbium amodo in Israel. Per beatum
" Julianum nos veniemus, et ita corrigenda corrigemus
" quod secundo opus non erit." Et facto dictum compensasset, nisi morte præoccupatus fuisset.[1]

Qualiter Thomas monachus captus fuerit ab abbate et liberatus per archiepiscopum et clericos ejus.

Igitur de consilio archiepiscopi secessi[2] Wigorniam ut possessionem nostram de assarto contra abbatem et senescallum defenderem, qui illuc convenerant in manu

[1] His death, however, did not happen until two years afterwards, 13 July, 1205.

[2] *secessi*] cecessi, MS.

forti ut possessionem assarti recuperarent et factum abbatis salvarent. Ad hoc enim semper nitebatur abbas, ut de ecclesiis et possessionibus ecclesiæ sine consilio nostro pro voluntate sua posset disponere. Et quum audisset abbas quæ feceram excommunicavit me, et quum cognovisset quod essem Wigorniæ gavisus est, et observavit portas civitatis ut me comprehenderet. Sed ego non veneram ut fugerem sed ut ex adverso starem, et quum stetissem coram justiciariis, et abbas ex adverso cum senescallo objiciens mihi quod eram excommunicatus, orta est dissensio inter justiciarios utrum deberem admitti contra abbatem, et nobis recedentibus ut super hoc interlocutionem reciperemus, data est interlocutio contra me, videlicet, me non habere personam standi in judicio quia excommunicatus eram. Et tunc comprehendit me abbas meus ut mitteret me in carcerem apud Ambresleiam, et occideret me ut credebam. Idem enim fecerat monachis Cantuariensibus et cuidam homini nostro Augustino de Salford quem duris cruciatibus occidit, et ideo magis timui, cognoscens ejus tyrannidem. Et quum iter agerem cum iis qui ducebant me, ecce subito apparuerunt mihi tres prædicti viri magistri mei in via qua ambulabam, et statim circumdederunt me et liberaverunt me de manibus eorum, denunciantes eos excommunicatos. Quorum tres morte subita perierunt, videlicet, Simon frater senescalli, qui occisus est a latronibus extra Wigorniam; Matthæus Dolfinus, cognatus abbatis, qui propriæ sagittæ incumbens obiter mortuus est: David Pugio, a Willielmo de Arderne pede percussus in pectore ab equo cecidit, et membris confractis mortuus est. Quartus vero Ricardus de Kent, camerarius abbatis, rogante abbate quum essemus in curia Romana ut injuriam ei remitterem ad petitionem meam a pœnitentiario domini papæ absolutus est. Hæc ideo scripsi ut timeant subditi obedire dominis in atrocioribus contra canones sicut illi fecerunt. Ductus itaque sum a prædictis magistris meis ad dominum Cantuariensem qui et ipse venit

A.D. 1203.

Marleberge, having been excommunicated by the abbot, is seized by him at Worcester, but rescued when on his way to prison.

[Decr. Grat., *ut supra*, cap. 2.]

A.D. 1203. The archbishop comes to Worcester, and promises to visit Evesham.

Wigorniam eadem die. Qui quum collocasset me a latere ejus dum sumeremus cibum, venerunt ex parte abbatis clerici ejus, magistri Robertus de Uulfeia et Germanus, offerentes ei palefridum et cuppam argenteam cum literis abbatis in quibus petebat quod redderet me excommunicatum suum secundum regulam beati Benedicti puniendum et tractandum. Et ego: "Pater sancte, " ante sententiam appellavi, et in prosecutione appella- " tionis meæ sum, et ideo nulla est sententia abbatis. " Quum igitur vestrum sit tueri appellantes, etsi opor- " tuerit me mori vobiscum, non recedam a vobis." Et archiepiscopus nuntiis: "Ite cum exeniis vestris ad " abbatem ut servet ea usque dum mittamus pro eis, " quia nos in brevi veniemus Eueshamiam, et secundum " posse nostrum pacem inter abbatem et conventum et " monachum [1] istum, Deo donante, reformabimus." Hæc omnia dicebat, ut erat vir summæ prudentiæ, ne abbatem terreret et ut sine appellatione judicium ejus subiret. In crastino vero missi sunt ad me priores Johannes et Petrus cum clericis prædictis ex parte abbatis et conventus ut venirem domum quia paratus erat pacem pro voluntate conventus reformare, quod quum nunciassem archiepiscopo, submurmurans dixit quod ad colludendum recessi, et ego, quod non; tandem dixit, "Vade, et per beatum Julianum si ab accusatione " quam instituisti coram nobis recesseris animadverte- " mus in te durius quam in abbatem si victus esset." Et accepta benedictione recessi cum prioribus meis, et veniens domum multos falsos fratres inveni quærentes occasionem adversum me, qui dixerunt me nuntiasse domino Cantuariensi exordinationes domus nostræ. Et verum fuit, quia aliter non potui expedire negotium, quia scriptum est, "Justus in principio accusator sui est." Ego vero rem tacitus considerabam cum quibusdam fratribus fidelibus quibus verba archiepiscopi revelavi, et reformationem pacis impedivi.

Prov. xviii. 17.

[1] *monachum*] monacum, MS.

De exilio quatuor monachorum pro assarto et de compromissione in archiepiscopum et coarbitros suos, et de prima scriptura consuetudinum et reddituum conventus.

A.D. 1203. The archbishop arrives at Evesham, and the questions between the monks and abbot are referred to arbitrators.

Quarta autem die venit ad nos archiepiscopus et ingressus capitulum blande leniterque locutus est abbati, nobis vero durius, objurgans nos et increpans tam pro assarto quam pro aliis exordinationibus nostris. Tandem proposuit ea quæ ego dixeram ei, requirens an vera essent, et paucis respondentibus quia sic, abbate vero quod non, et multa contra conventum proponente, archiepiscopus lite sic contestata excommunicavit omnes qui falsa ei dicerent de statu domus, tam de capite quam de membris, vel vera celarent. Et facta singulari inquisitione tam per se quam per clericos suos et viros religiosos, tandem, communicato consilio, ita exorsus est archiepiscopus : " Quamvis " solus possem corrigere quæ corrigenda sunt, tamen " quia debemus omnia facere cum consilio, consulimus " si vultis quod abbas eligat unum bonum virum et " conventus alterum, in quos simul et in nos compro- " mittatis quod appellatione remota arbitrio nostro " stabitis, quicquid circa statum ecclesiæ hujus vel " personarum vestrarum arbitrando dictaverimus, vel " modo statim judicium recipiatis." Ego vero sciens quod abbas a sententia archiepiscopi posset appellare, consului conventui ut arbitros eligeremus. Abbas vero de facili consensit, timens sibi, et sciens quia reis et fugientibus prosunt dilationes et quod nox habet consilium ; hic enim semper mos ejus fuit quod omnia negotia in diem futurum prorogavit. Et abbas elegit Clementem abbatem de Certesia, nos vero Eustachium episcopum Eliensem, et firmata est hæc compromissio per juramentum utrarumque partium in Verbo Domini et per cartam sigillo[1] abbatis et conventus munitam.

[1] *sigillo*] sigilli, MS.

A.D. 1203–4.

Four monks, including Marleberge, are banished from the abbey for a short time, in the matter of their steward's land.

Conditionem etiam nostram quantum causa nostra permisit correxit tunc archiepiscopus et abbatem coarctavit. Et tunc primo consuetudines nostras scribi jussit, sed non confirmavit. Sed ut domino regi satisfaceret qui motus erat pro assarto, quatuor ex fratribus relegavit, quorum ego unus eram, sed post quindecim dies ut causam nostram contra episcopum agerem revocatus sum. Quamvis hoc bellum quasi intestinum cum abbate nostro haberemus, nihilominus tamen causam contra episcopum egimus et defendimus tam viriliter et diligenter, sicut rei exitus comprobavit, quod ipse archiepiscopus et alii terræ magnates admirati sunt, dicentes quod nunquam tales monachos[1] viderunt.

Qualiter causam libertatis coram judicibus communibus egerimus.

Papal commissioners appointed to examine in England the cause between the bishop and abbey, give sentence on the present facts of the case, and refer the questions of right to Rome.

Episcopus enim jam pridem redierat a curia, et literas de consensu[2] nunciorum nostrorum prædictorum impetratas apportaverat directas episcopo et priori de Coventre et archidiacono Norhamptoniæ, in quibus continebatur quod ipsi causam super exemptione ac subjectione tam monasterii quam ecclesiarum vallis audirent, et in judicio possessorio sententiarent, super proprietate vero causam diligentissime examinatam ad dominum papam definiendam transmitterent, certum partibus terminum præfigentes, quo cum ipsis instrumentis authenticis (quod valde periculosum fuit nobis) et attestationibus domino papæ se præsentarent, sententiam recepturæ. In cujus causæ actione summa cautela fuit hæc, quam nemo novit præter me solum usque ad publicationem attestationum. Quum enim dominus papa distinxisset, ut audistis, quod judices in possessorio cognoscerent et sententiarent, in petitorio vero tantum cognoscerent et non sententiarent, adver-

[1] *monachos*] monacos, MS. | [2] *consensu*] concensu, MS.

sarii nostri a Domino infatuati nobiscum sine distinctione simul et semel in utroque judicio litem contestati sunt, gaudentes propter litis contestationem et cupientes quocunque modo, ut moris est actorum, pervenire ad eam. Quare indifferenter testes et mixtim tam super proprietate quam possessione admissi sunt, et sic, Deo disponente, causa proprietatis cum causa possessionis citissime sine omni dilatione et difficultate examinata est. Hæc ideo vobis dixerim quia si adversarius noster usus fuisset consilio legis, prius egisset causam possessionis, et nactus possessionem compulisset nos ad onera probationum in causa proprietatis, et sic in longa tempora deferretur examinatio causæ proprietatis, et episcopus diutius, immo forte usque in hodiernum diem, gavisus esset possessione, sicut nos gaudemus de possessione jurisdictionis vallis, prædictæ legis usi consilio. Igitur quum ventum esset ad publicationem attestationum, tunc primo recordati sunt adversarii nostri quod stulte egerint, et quærentes quod judices publicarent tantum attestationes de possessione, illas vero de proprietate tegerent, nobis reclamantibus ne hoc fieret, immo omnibus publicatis simul utraque lis marte suo discerneretur,[1] allegantibus etiam nobis hæc fieri non posse, quia ita commixtæ erant attestationes quod nequaquam sine præjudicio et discrimine partis nostræ quin aliquæ publicandæ tegerentur et tegendæ publicarentur poterant separari;—quasi impossibilitate separandi constricti, omnes publicaverunt; et sic utraque causa simul examinata est, et adjudicata est episcopo restitutio plenæ jurisdictionis in nos et monasterium nostrum. Nobis vero possessio plenæ jurisdictionis vallis totius reservata est, et absoluti sumus ab impetitione episcopi in possessorio judicio de jurisdictione ecclesiarum vallis; et missus est episcopus in plenam

A.D. 1204–5.

The present jurisdiction of the abbey adjudged to the bishop, and that of the Valley to the abbey, 2nd Sunday after Easter, 24 Apr., 1205; two years from the commencement of the suit.

[1] *discerneretur*] This word, omitted at first in the text and inserted in the margin, is doubtful.

A.D. 1205. possessionem jurisdictionis quoad monasterium et monachos, anno secundo ex quo lis inceperat, dominica qua cantatur Misericordia Domini. Et causa instructa cum attestationibus tradita est utrique parti; et nobis privilegia, episcopo vero eorum transcripta signata, tradita sunt, deferenda ad dominum papam statuto termino, in octavis videlicet sancti Martini proximo sequente, quo cum his omnibus coram domino papa compararemus sententiam recepturi.

Literæ domini papæ per quas causa ista actitata fuit et sententia in possessorio judicio pro episcopo lata.

Hic literas domini papæ per quas hæc causa actitata est, necnon et sententiam in possessorio judicio de monasterio nostro contra nos latam et gravem satisfactionem nostram, simul et in eodem judicio de ecclesiis vallis pro nobis sententiam latam, cum ipsa relatione ad dominum papam facta, huic operi interserenda dignum duxi.

Decree of the commissioners. [*Richard Kentensis, archd. of Northampt. A.D. 1200. Hardy's Le Neve, vol. ii. p. 55.] The commission of Innocent III., 22 May, 1203.

Omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, G[alfridus de Muschamp] Dei gratia episcopus et J[orbertus] prior Coventrensis et R. archidiaconus de Norhamtonia,* æternam in Domino salutem. Literas domini papæ Innocentii tertii in hæc verba suscepimus:—

'Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili 'fratri episcopo et dilectis filiis priori Coventrensi et archi- 'diacono de Norhamptonia Lincolniensis diœceseos, salutem 'et apostolicam benedictionem. Constitutis in præsentia 'nostra venerabili fratre nostro Wigornensi episcopo et 'dilectis filiis E[rmefredo] et R. nuntiis abbatis et mona- 'chorum Eveshamensium, quum super subjectione ac exemp- 'tione ipsius monasterii vellent adinvicem litigare, dilec- 'tum filium, B[enedictus] tunc sanctæ Susannæ presbyterum 'cardinalem eis concessimus auditorem. In cujus præ- 'sentia proposuit episcopus memoratus quod quum abbas 'et monachi de Evesham hactenus ecclesiæ Wigornensi diœ- 'cesana extiterint lege subjecti, et prædicti loci abbates ab 'episcopo Wigornensi benedictionis munus suscipere, sibi- 'que per libellum professionis canonicam obedientiam exhi-

'bere, ad synodum Wigorniæ vocati accedere, consueverunt, A.D. 1204.
'et ipsos episcopos ad eorum monasterium accedentes cum
'processione recipere, ac in multis aliis ipsis quasi devoti filii
'obedire, et omnia spiritualia ab ecclesia Wigorniæ percipere,
'nunc in spiritu contumaci debitam eidem episcopo reveren-
'tiam et obedientiam subtrahere moliuntur. Quum enim nu-
'per idem episcopus una cum dilectis filiis abbate Winchel-
'cumbiæ, priore Gloecestriæ, clericis pluribus et jurisperitis,
'certo die præfixo et ab eis recepto ad eorum monasterium causa
'visitationis accederet, ipsum recipere noluerunt, sed contu-
'maciter resistentes eidem, neque jure uti communi nec speciale
'privilegium per quod essent exempti ostendere voluerunt,
'sed nec etiam indulgentiam eidem episcopo a nobis conces-
'sam, cujus auctoritate de intrinseca et extrinseca religiosarum
'domorum administratione quæ ipsi diœcesana sunt lege sub-
'jectæ, appellatione remota, potest cognoscere, curaverunt au-
'dire, multotiens requisiti. Episcopus vero, communicato præ-
'dictorum virorum et jurisperitorum consilio, tam manifestam
'ipsorum contumaciam et inobedientiam canonica pœna per-
'cellens, ipsos et eorum monasterium et capellas pertinentes
'ad ipsos a divinorum celebratione suspendit. Sed ipsi,
'contumaciæ contumaciam adjungentes, illam sententiam con-
'tempserunt et officium exequi minime formidarunt, Wigor-
'nensem ecclesiam ac episcopum memoratum jurisdictione
'atque obedientia in eos hactenus habita et obtenta pacifice,
'prætermisso juris ordine, spoliantes. Præterea in ecclesiis
'et capellis vallis Eveshamiæ quum vacant, personas et vica-
'rios instituere, causas matrimoniales et sacrilegii tractare,
'licet nullum super his privilegium habeant vel ostendant,
'præsumunt et injungere pœnitentias publicas et solemnes.
'Nuntii vero præfati abbatis et monachorum ex adverso pro-
'ponere curaverunt, quod, quum monasterium de Evesham ad
'Romanam ecclesiam nullo pertineat mediante, sicut in privi-
'legio felicis memoriæ Constantini papæ tertii et aliorum
'prædecessorum nostrorum noscitur contineri, prædictus epi-
'scopus, contra libertatem ab apostolica sede obtentam et jam
'per quingentos annos in pace possessam, præsumit contra
'justitiam molestare, illud cum omnibus ad idem in diocesi
'sua pertinentibus, post appellationem ad nos legitime inter-
'positam et coram officialibus venerabilis fratris nostri Can-
'tuariensis archiepiscopi et ipso episcopo sæpius innovatam,
'ecclesiastico interdicto et excommunicationi supponens. Pen-
'siones insuper prohibuit eis reddi et multa alia gravamina
'eis non cessat pro suæ voluntatis arbitrio irrogare. Volentes
'igitur tam episcopi prædicti quam memorati monasterii jura
'integre conservari, discretioni vestræ per apostolica scripta

A.D. 1204. ‘ mandamus, quatenus episcopo, si de spoliatione constiterit, ‘ sicut justum fuerit appellatione postposita restituto, revo- ‘ cantes in irritum si quid post appellationem ad nos legitime ‘ interpositam temere fuerit attentatum, et facientes prædicti ‘ interdicti sententiam si rationabiliter lata est usque ad satis- ‘ factionem debitam inviolabiliter observari, audiatis quæ ad- ‘ invicem duxerint proponenda, et omnia redigentes in scriptis, ‘ eadem sigillis vestris inclusa et originalia etiam, si qua ‘ habent, nobis mittere procuretis, præfigentes partibus termi- ‘ num competentem quo cum ipsis sententiam, auctore Domino, ‘ recepturæ nostro se conspectui repræsentent. Testes autem ‘ qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxe- ‘ rint, per censuram ecclesiasticam cessante appellatione coga- ‘ tis veritati testimonium perhibere, nullis literis obstantibus, ‘ si quæ apparuerint harum mentione non habita a sede apo- ‘ stolica impetratæ. Quod si non omnes his exequendis interesse ‘ potueritis, tum, frater episcope, cum altero eorum ea nihilo- ‘ minus exequaris. Datum Ferentini xi. Kal. Junii, pontifi- ‘ catus nostri anno vi.’

Hujus igitur auctoritate mandati quum partes in præsentia nostra die ad hoc præfixo consisterent, dictus episcopus intentionem suam juxta narrationem in literis summi pontificis comprehensam concipiens, R[ogerum] abbatem et monachos de Evesham obedientiam et subjectionem quam ipsi prædecessoribus suis episcopis exhibere consueverant, ipsi præter juris ordinem subtraxisse asseruit, sibique tanquam injuste spoliato restitutionem fieri, et sententiam suspensionis, quam in monasterium et abbatem et monachos Eveshamiæ ob contumaciam eorum tulerat, confirmari postulavit. Pars vero abbatis et monachorum intentionem episcopi expressius inficians, ea quæ domino papæ ex parte eorum suggesta erant et quæ in literis ipsius domini papæ comprehensa sunt, se probaturam proposuit. Itaque super prædictis admissis ex utraque parte sufficienter ad probationem testibus diligenterque examinatis, tandem tempore suo attestationes publicavimus. Quumque ex attestationibus, et disputatione super eis copiose habita, aliisque documentis indubitatum redderetur, R[ogerum] abbatem a Willielmo bonæ memoriæ Wigornensi episcopo benedictionis munus recepisse, et tam ipsi quam Wigornensi ecclesiæ professionem in libello solemniter fecisse, procurationem conventui Wigornensis ecclesiæ die impensæ benedictionis, ut abbatum lege diœcesana subditorum et benedictorum moris est, ministrasse, installationemque ab eodem episcopo per personas ad hoc ab eo delegatas ei factam esse; item, quum liquido innotesceret felicis recordationis episcopum Johannem visitationis officium apud Evesham explentem et quædam statuta

in capitulo promulgantem, ab abbate et monachis fuisse benigne admissum, necnon abbatem prædictum synodo quam idem episcopus apud Wigorniam celebravit tanquam quemlibet ex subjectis abbatibus interfuisse, adeo quod et primum in synodo locum post episcopum sibi vindicaret; præterea, quum luce clarius constaret præscriptos abbatem et monachos oleum, chrisma et ordines ab antiquis retro temporibus ab episcopis Wigorniæ percepisse, et omnes in primo adventu suo apud Evesham cum processione, procuratione et debita reverentia, de antiqua consuetudine, ab abbate et monachis fuisse receptos, et eos in memoratis abbate et monachis et monasterio quædam alia quæ juris ordinarii sunt plerumque exercuisse; —Nos, virorum prudentum consilio freti, supradictum episcopum, tanquam indebite jurisdictione[1] sua spoliatum, restituendum decrevimus, et ei ecclesiæque suæ possessionem jurisdictionis in sæpedictis abbate et monachis et eorum monasterio tanquam sibi lege diœcesana subditis, salva secundum tenorem mandati apostolici proprietatis causa, sententialiter adjudicamus. Insuper etiam sententiam suspensionis quam idem episcopus in monasterium de Evesham et monachos ob eorum contumaciam tulerat usque ad condignam satisfactionem confirmavimus. Quæ quidem satisfactio secundum dispositionem nostram exhibita est, sicut idem episcopus postea coram nobis in jure confessus est. Ut igitur sententia nostra firmitatis vigorem obtineat in posterum, eam præsenti scripto et sigillorum nostrorum appositione roboravimus. A.D. 1204.

Forma satisfactionis contumaciæ conventus.

Est autem forma satisfactionis hujusmodi:—

G[alfridus] Dei gratia episcopus et J[orbertus] prior Coventriæ et R[icardus] archidiaconus Norhamtoniæ R[ogero] Dei gratia abbati et conventui Eveshamiæ, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos auctoritate nobis a domino papa commissa[2] observato juris ordine confirmasse sententiam suspensionis quam dominus Wigornensis episcopus in vos et monasterium vestrum propter inobedientiam vestram promulgavit, quæ juxta tenorem mandati domini papæ usque ad condignam satisfactionem est observanda. Licet autem in vos pro delicti vestri qualitate durius forsan esset animadvertendum, mitius tamen vobiscum agere volentes, modum satisfactionis sub hac forma The submission to the bishop enjoined upon the monks.

[1] *jurisdictione*] jurisdictionis, MS. | [2] *commissa*, comissa, MS.

A.D. 1204. temperavimus; videlicet ut monasterium vestrum et tota congregatio vestra ab illa hora qua dominus Wigornensis satisfactionem de delicto vestro recepturus ad monasterium vestrum accesserit ab omni cesset officio divino et campanarum pulsatione per triduum continuum. Quo expleto, assumantur de congregatione vestra tresdecim monachi qui divina celebrent in ecclesia vestra per tres septimanas continuas ad majus altare duntaxat, aliis omnibus præter prædictos tresdecim toto illo tempore ab omni divino officio cessantibus. Completis vero illis tribus septimanis, prædicti tresdecim per tres alias septimanas ab omni divino officio cessabunt, cæteris omnibus qui prius cessaverant ad officium divinum restitutis. Decrevimus etiam ut in adventu domini Wigornensis ei ad januam majorem abbatiæ vestræ nudis pedibus omnes occurratis, ibique coram eo prostrati de commisso vestro veniam humiliter postuletis, præsentibus et astantibus cum eo quot et quibus voluerit viris religiosis presbyteris et clericis et servientibus. Deinde capitulum vestrum una cum eodem[1] ingressi cum viris religiosis quotquot episcopus secum ducere voluerit, singuli singulas ab eodem recipiatis disciplinas. Hunc autem satisfactionis modum procuratori vestro sententialiter injunximus et universitati vestræ benigne suscipiendum et humiliter observandum mandamus. Valete.

Sententia pro ecclesia Eveshamensi lata in possessorio judicio de jurisdictione Vallis.

Forma autem sententiæ pro nobis latæ est hujusmodi:—

Sentence in favour of the jurisdiction of the abbey over the Valley.

Omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, *illi qui prius*, salutem. Literas domini papæ Innocentii tertii in hæc verba suscepimus; Innocentius et cætera, *ut prius*. Harum igitur auctoritate quum partibus præsentibus causa prænominata in nostra ventilaretur præsentia, dominus episcopus inter cætera proposuit quod episcopi Wigornenses et eorum officiales causas matrimoniales et sacrilegii de parochianis[2] monachorum in valle consistentibus, tractare et definire solebant, quibus cognitionibus monachi præter juris ordinem ipsum spoliaverunt, ideoque restitutionem sibi fieri postulavit. Admissis igitur super his, prout ordo juris exigebat, testibus, quum epis-

---

[1] *eodem*] eodem capitulo, MS.; the latter word being clearly inserted by mistake and being marked beneath with two dots, the ordinary marks of erasure.

[2] *parochianis*] parrochianis, MS.

copus prænotata quæ intendebat non probasset, in illo possessorio monachos ab impetitione episcopi, salva proprietatis causa, auctoritate judiciali absolvimus. A.D. 1204.

Relatio judicum ad dominum papam.

Est autem forma relationis hujusmodi :—

The commissioners' report to the pope.

Sanctissimo domino et patri in Christo carissimo I[nnocentio] Dei gratia sanctæ Romanæ sedis summo pontifici, G[alfridus] divina permissione dictus episcopus et J[orbertus] prior Coventreiæ et R[icardus] archidiaconus Norhamptoniæ salutem, et promptum in omnibus cum humillima subjectione et debita reverentia famulatum. Receptis sanctitatis vestræ literis in causa quæ inter dominum Wigornensem et abbatem et monachos de Evesham super statu eorundem monachorum et monasterii sui vertebatur, eam quæ ex eisdem literis consequebatur negotii prosecutionem cum summa diligentia pro modulo discretionis nostræ adhibuimus. Ea siquidem quorum tam cognitio quam decisio[1] nobis fuit commissa licet non sine multo labore et tædio plene expedivimus. Illa vero quorum inquisitio nobis fuit demandata, definitio vero excellentiæ vestræ reservata, utpote de statu vallis et de exemptione monasterii de Evesham negotium, in præsentia nostra diu et diligenter ventilari fecimus, et juxta tenorem commissionis vestræ tandem causam ipsam instructam paternitati vestræ transmittimus, terminum partibus quo coram vobis sententiam recepturæ compareant, scilicet diem octavarum beati Martini, præfigentes. Nequid etiam necessariæ instructionis desit, transcriptum vestræ commissionis cum attestationibus et partium disputationibus sub sigillis nostris, privilegia quoque originalia ipsorum monachorum, sanctitati vestræ transmittimus, in rite actis a nobis dominationi vestræ debitum exsolventes, in secus gestis vel per incuriam omissis insufficientiam qua laboravimus humiliter recognoscentes. Hoc autem ad instantiam partium adjicimus quod neutra pars allegationibus in præsentia vestra, si placuerit, proponendis renunciavit. Item et illud exprimendum duximus, quod privilegia ipsa monachis de Evesham, transcripta vero domino Wigornensi, vobis præsentanda de utriusque partis consensu tradidimus. Præsit diu et semper prosit universali ecclesiæ sanctitas vestra.

---

[1] *decisio*] descisio, MS.

De iterata controversia et dissensione conventus de subjiciendo se jurisdictioni episcopi vel non subjiciendo.

A.D. 1204. The bishop endeavours to conciliate the monks.

Episcopus vero quamvis non posset impedire quominus relatio fieret et causa super proprietate finem sortiretur legitimum, tamen cogitabat monachos seducere, ne, videlicet, instarent quod in petitorio judicio cito sententiaretur, et eos benigne tractavit, et omnes consuetudines domus eis habere fecit, et statum illorum in melius reformavit, et quoscunque habere potuit ad sumendum cibum secum apud Fladeburie deduxit, et multos seduxit. In tantum quod multi dicerent quod bonum erat subjici episcopo per quem tam cito talem et tantam status sui consecuti erant reformationem et correctionem ; eligentes cum populo quondam Israelitico permanere in servitute sicut illi concupiverunt sedere in Ægypto super ollas carneas magis quam tot et tantis laboribus et inediis et forte in vanum toleratis ad loci sancti et sui ipsius libertatem elaborare. Non illi attendebant miseri quia ecclesiam liberam immo ingenuam natam ancillare et in servitutem retrudere est locum sanctum profanare, quia profani inhabitatores hæc sustinerent dum mortaliter peccando gauderent et epularentur de bonis ecclesiæ, quibus ipsa defendi deberet ne in servitutem detruderetur. Nescientes etiam onera episcopalia, quod, videlicet, non tantum semel in anno, sed quotiens opus fuerit secundum canones visitabit episcopus monasteria sibi subjecta, et procuratio visitationem semper comitatur, et non tantum episcopi sed etiam archidiaconi officiales et ministri eorum in magnum gravamen monasteriorum admittuntur, et equi eorum ad perhendinandum donec per moram ibi meliorentur; et etiam redditus monasteriorum clericis episcoporum et archidiaconorum con-

The author enlarges on the evils of episcopal visitation.

ferri solent, et alia dona[1] importabilia quæ nos omnia A.D. 1204.
aliquando sustinuimus, et vicini nostri gravius: nec intelligentes quod episcopi ab abbatibus ut monachos deprimerent facillime solent corrumpi, quod nos aliquando experti sumus. Non intellexerunt etiam quantæ expensæ sint necessariæ ad sequendum conventicula et vocationes episcoporum, nec scire volebant quod mortaliter peccarent si scientes et volentes ecclesiæ suæ adulterum superinducerent quum habeat sponsum, dominum videlicet Cantuariensem, ecclesiæ nostræ tutorem et nobis perpetuum legatum, cui cura animarum nostrarum a domino papa est commissa, et siquid sinistræ partis apud nos compertum fuerit oriri potius ejus auribus deferatur quam per alicujus occultam sententiam locus sanctus depravetur injuste, ut per ejus corrigatur cautelam et industriam; et qui talem habebant absque onere correctorem[2] qui corrumpi non potest, quasi relinquentes Jesum petierunt Barraban. Et omnibus diebus vitæ meæ quandocunque ab abbate deprimebamur magis volebant quidam falsi fratres a non suo judice episcopo Wigornensi habere correctionem cum prædictis oneribus quam a patre suo Cantuariensi archiepiscopo sine omni onere, quum idem archiepiscopus nostram habeat unicam ecclesiam in Anglia sibi commendatam et ideo specialissimam post Cantuariensem sibi intitulatam. Quare nequaquam omittere poterit quin ad vocationem nostram ad nos veniat, et corrigenda ita corrigat quod ob defectum ejus ad dominum papam recurrere nos non oporteat.

Sed nec hoc eos terruit, quod ego maxime verebar, ne si episcopus in nos et monasterium nostrum plenam haberet jurisdictionem ad hoc omnimodis operam daret (sicut magister Willielmus de Verdun summus consiliarius ejus sæpe dicebat) quod episcopus abbas noster efficeretur, sicut fuit beatus Ecgwinus prædecessor ejus, sicut fecerunt episcopi Saresburiensis et Bathoniensis

[1] *Sic: lege* onera.

[2] *correctorem*] correctionem, MS.

A.D. 1204. contra Malbesburiam et Glastoniam, et maximos redditus earundem abbatiarum sibi appropriaverunt. Nec propter periculum amissionis jurisdictionis vallis moti sunt, nescientes quia impossibile est monasterium subjectum esse episcopo et vallem exemptam, quæ tantundem valet quantum residuum abbatiæ. Sola enim correctio per censuram ecclesiasticam quam habemus in malefactores nostros, quam alii monachi non habent, inæstimabilis est, quam nos habere non possemus nisi curam animarum et libertatem vallis obtineremus. Prudentiores vero hæc videbant, et ideo episcopo non consentiebant.

Incipit Particula Tertia.

De itinere abbatis et Thomæ monachi, et causis itineris eorundem, ad curiam Romanam.

A.D. 1204. The abbot and Marleberge prepare for their journey to Rome.

Veruntamen tempore restitutionis episcopi dominus abbas et ego absentes fuimus. Publicatis enim attestationibus, quasi certificati eramus de restitutione episcopi quoad jurisdictionem in monasterio nostro, abbas vero timens ne episcopo restituto eum coram ipso accusaremus, quamvis hoc eum timere non oporteret propter prædictam promissionem nostram, sicut ex post facto claruit, et nos tunc ei sæpius hoc expressimus, tamen præparavit se ut curiam Romanam adiret, per hoc et communem ecclesiæ utilitatem veram causam itineris sui occultans. Timuit enim maxime compromissionem quam feceramus in dominum archiepiscopum et coarbitros suos, coram quibus parati eramus, immo instanter petivimus, eum accusare usque ad depositionem, quam compromissionem effugere volens et contra eam aliquid impetrare, cupiens ut se a manibus nostris liberaret, nequaquam se ab itinere desisturum prædixit. Conventus vero ejus malitiam non ignorans nequaquam se et causam ecclesiæ suæ ei committebat, sed abbatem ad hoc induxit, licet vix, quod me, quia juris peritus eram et merita causæ nostræ noveram, de communi assensu procuratorem totius causæ coram domino papa constituerunt. Sed nec abbas se mihi committebat, sed socium[1] itineris quendam clericum suum Thomam de Warrewike mihi dedit, ipse vero lento pede subsequebatur. Et antequam iter arriperemus, dominus abbas et ego et prædictus clericus juravimus adinvicem quod in causis ecclesiæ tam realibus quam personalibus quilibet nostrum alteri in hoc itinere fideliter se ha-

[1] *socium*] sotium, MS.

A.D. 1204. beret, quod nequaquam illi mihi observaverunt, sicut ex post facto plenius vobis patebit. Fratres vero Deo et beatæ Mariæ et beato Ecgwino et aliis patronis hujus ecclesiæ et mihi causam suam et ecclesiæ suæ cum summa devotione et fletu committebant. Ego vero de misericordia Dei et beatæ Mariæ et prædictorum patronorum nostrorum meritis et fratrum orationibus confisus iter mihi injunctum devotissime obediendo suscepi, cum lachrymis et ejulatu, adjungens quod nisi in causa proprietatis obtinerem irrediturus irem, et nunquam nisi in regno cœlorum eorum facies viderem. Proposueram enim si victus fuissem me apud aliquem locum religiosum in urbe tantum damnum ecclesiæ nostræ per me illatum deflendo diem clausurum extremum. Tota enim fere patria, de victoria nostra desperans, per presumptionem meam et superbiam tantam causam et tam arduam supra vires nostras nos fuisse aggressos asserebat.

De primo adventu Thomæ monachi et socii ejus ad curiam, et quid tunc ibi egerint.

Marleberge leaves Evesham, 29 Sept. 1204, and arrives at Rome, 7 Nov. The pope at first promises to recall the whole case to Rome; and Marleberge presents him with a silver cup.

Accepta itaque benedictione, valedicens fratribus, in die sancti Michaelis cum prædicto clerico et duobus servientibus in duobus equis iter arripui, et quadragesimo die recessus nostri per gratiam Dei ego et clericus cum equo nostro, quia ipse jam tres mutaverat, urbem sumus ingressi. Et quum ad hoc laboraremus ut literas ad hoc revocatorias obtineremus quod judicium possessorium in Anglia suspenderetur, et super eodem, quia illud maxime timebamus, cum judicio petitorio ad dominum papam fieret relatio, quadam die, quum ad hoc multas induxissem rationes, dominus papa super eo revocatorias[1] mihi benigne concessit. Ego autem super hoc lætus effectus obtuli domino papæ cuppam argenteam sex marcarum; et quum quadam die sollicitarem illum

[1] *revocatorias*] revocarias, MS.

super literis illis, dixit, "Audivimus quod abbas vester "detentus sit in itinere; vade et inquire ubi et a quo, "et liberabimus eum, et tunc habebis literas tuas." Et quum adhuc instarem proterve, dicens quia literæ episcopi non faciebant mentionem de nostris prioribus et ideo debui habere revocatorias,[1] dominus papa iratus respondit mihi, "Ex certa scientia dedimus tales lite- "ras episcopo, et ideo nolimus eas revocare;" et adjecit, "Est modo responsum tibi." Et ego, "Utique, "domine, responsum est, sed de potestate." Et dominus papa, "Et non est de jure responsum?" Et ego, "Domine, nescio." Et dominus papa commotus præcepit ut tacerem et recederem. A.D. 1204–5. The pope afterwards offended at Marleberge's importunity.

De recessu eorundem a curia ut liberarent abbatem captum in Francia, et de dolo abbatis contra Thomam monachum, et adventu abbatis ad curiam Romanam.

Et recessimus in octabis sancti Hilarii, et quum venissemus Placentiam audivimus quod abbas noster captus fuerat apud Cabilonem. Taceo causam captionis suæ quia de ea certus non sum, quum ibi tunc præsens non fuerim. Timeo etenim verenda patris mei detegere, ubi nulla utilitas sequitur ex revelatione, nec grave animarum vel ecclesiæ dispendium provenit ex taciturnitate. Tunc mansimus ibi per tres dies ut pleniores de abbate audiremus rumores, quia civitas illa in bivio posita est. Tertia die audivimus quod liberatus erat, licet cum magna rerum suarum et pecuniæ jactura, et quod jam Lumbardiam fuerat ingressus. Tunc communicato consilio ego et socius[2] meus divisi sumus abinvicem, utrique nostrum ab altero fide data quod quicumque nostrum prius obviaret abbati alteri nuntiaret. Et ego recessi Papiam, ille vero recessit Vercellum, et obviavit abbati nec renuntiavit mihi. Abbas vero, ut A.D. 1205. Marleberge retires to Piacenza, 20 Jan., and afterwards to Pavia. The abbot is imprisoned at Chalons for a short time, but arrives at Rome in March.

[1] *revocatorias*] revocarias, MS. | [2] *socius*] sotius, MS.

A.D. 1205. a me declinaret, per Mediolanum deviando iter faciens,[1] per aliquot dies ibidem moram fecit, et post Diem Cinerum Romam recessit.

De secundo adventu Thomæ monachi ad curiam, et de insidiis abbatis ut eum occideret, et de literis quas abbas contra eum et conventum impetravit.

Marleberge returns to Rome in March.

Quod quum mihi vigilanti, quia res pro anima mihi erat, innotesceret, magis timui, et quamvis periculum mihi immineret et angustiæ mihi essent undique, tamen indui mente virum et, accinctis renibus, accepto baculo in manibus, confisus in Domino lento pede secutus sum eum. Et quinto die post eum ingressus sum civitatem, occulte tamen, vestibus divaricatis, et tamen in ipso ingressu portæ civitatis a quibusdam ex familia abbatis cognitus sum. Ego vero, quia valde contremuit eum anima mea, dedi quandam summam pecuniæ cuidam advocato curiæ quem prius noveram, qui si abbas me comprehenderet dedit mihi fidem quod me liberaret. Et sic securior factus accessi ad abbatem, et inveni eum jacentem in lecto, minuerat enim sibi, et eo salutato non respondit mihi verbum, et dixerunt mihi famuli ejus ut recederem ne molestus essem domino suo; et recessi. In crastino vero iterum assumpto mecum advocato meo cum quibusdam testibus, et relictis eis eminus extra domum ut viderent me ingredientem et quærerent me si non egrederer, accessi ad abbatem, petita tamen tunc licentia, et eo salutato non respondit, et adjeci, "Domine, si ita divisi fueri-
" mus quum sim procurator causæ nostræ et expensas
" magnas fecero, et vos, sicut decet, majores, male erit
" ecclesiæ nostræ; quare melius est si placet vobis quod
" moram faciam[2] vobiscum sicut unus de servientibus
" vestris." Ipse vero tumidas exarsit in iras, et dixit,
" Quum odio me habeas et inimicus meus sis et pro-

Interview with the abbot.

[1] *faciens*] fatiens, MS. | [2] *faciam*] fatiam, MS.

" ditor pessimus, admitterem ego te in domum meam A.D. 1205.
" ut me occideres?" et contumelias et probra et opprobria multa dixit mihi. Et ego blande et leniter dixi, "Domine, non sum proditor, nec hic timere me " debetis quum juraverim vobis ante recessum meum " ab Anglia me vobis fidelem fore in itinere isto." Ille vero post multas altercationes, quasi veneno effuso mitigatus, dixit, "Si fidelis es, sta nobiscum; si infidelis, recede." Et ego dixi, "Quia fidelis sum, maneo He remains in the abbot's lodgings.
" vobiscum." Et mansi ibi per quindecim dies manducans et bibens, sed abbas non erat mihi loquens. Veruntamen prima die pervenit ad me edictum abbatis ne egrederer ostium tabernaculi, nec curiam ingrederer nisi cum eo. Hoc ideo fecit ne audientiis interessem et aliquibus literis ejus contradicerem. Perquisivit enim interim indulgentiam quod liceret ei appellatione remota corrigere irregulares excessus monachorum suorum, et aliam quod liceret ei expellere a domo sua appellatione remota duos pacis perturbatores, unum medicum et alium juris peritum, bonæ memoriæ magistrum Thomam de Northwich et me volens ab hac domo ejicere.

Qualiter Thomas monachus reconciliatus sit abbati in curia, et quid postea ibi egerint et impetraverint.

Erat autem ibi tunc quidam capellanus abbatis Henricus de Coleham monachus, cujus memoria in benedictione sit, pro eo quod animam meam ibi salvaverit. Qui quum audiret abbatem insidiantem vitæ Marleberge is warned that the abbot lays plots for his life.
meæ, quadam nocte quum simul jaceremus (sicut semper consuevimus in itinere illo), non enim de die ausus fuit loqui mihi, flens et ejulans dixit mihi, "Doleo " super te, frater mi; quære diffugium si potes, quia " abbas quærit animam tuam;" contra multas insidias abbatis me præmuniens, et contra modos insidiarum me reddens cautiorem. Tunc tradidi ei quadraginta

A.D. 1205. solidos sterlingorum, ne ab abbate eis spoliarer si forte manus in me injiceret. In crastino post meridiem allocutus est me abbas sub hac forma, "Pessime prodi-
" tor, nondum completa est malitia tua? Quousque
" durabis in impietate tua? Ecce nihil possumus im-
" petrare in curia ista te impediente. Per reginam
" angelorum vindicabor in te." Et ego paratus fui cum cultello quem accinxeram lateri meo si manus mihi injecisset defenderę me. Et præmunitus et præmeditatus securius respondi, "Domine pater, utinam
" amovissetis omnes proditores a latere vestro, qui suam
" imperitiam et insufficientiam ad negotia complenda
" per proditionem quam mihi imponunt excusant; et
" utinam nossetis fidelitatem meam et diligentiam
" in negotiis agendis." Et ille quasi mitigatus respondit, "Si fidelis es et sapiens, ut dicis, dic quid
" facto opus sit in curia ista." Et quum petiissem super hoc deliberationem, suscepit me in ampliorem gratiam; et tunc in brevi impetravimus confirmationem omnium privilegiorum in præjudicium aliorum conceptorum quibus usi eramus, et etiam usum illorum quæ in præjudicium aliorum non sunt concepta. Unde abbas ibi mitra et aliis insigniis[1] episcopalibus coram domino papa pluries usus est. Impetravimus etiam optimam indulgentiam appellandi a quolibet gravamine, in qua plura specialia continentur. Sed contra episcopum, quia jam significaverat episcopus domino papæ quod pro eo lata fuit sententia in judicio possessorio, pendente relatione super proprietate, nihil potuimus impetrare, nec contra compromissionem pro qua venerat, quia juramento firmata fuit. Acceptis etiam mutuo quadringentis marcis, visitavimus dominum papam in valentia centum librarum sterlingorum, et cardinales et curiam in valentia centum marcarum, qui hæc noluerunt accipere donec multis ex eis constaret quod causam non haberemus in curia.

[1] *insigniis*] insignis, MS.

De recessu abbatis a curia, et mora Th[omæ] monachi apud Bononiam.

Quum itaque intemperies aeris instaret et moram fecissemus per sex ebdomadas, in crastino octabarum Paschæ cum licentia et benedictione domini papæ recessimus ab urbe. Ex consilio etiam domini papæ et domini Hugulini cardinalis, postmodum episcopi Hostiensis, quem prius elegeram (quia juris peritus erat) ecclesiæ nostræ et causæ nostræ tutorem et protectorem, relictus sum ego Boloniæ cum benedictione abbatis donec relatio veniret, et ut ibi plenius de causa nostra instruerer, et moram ibi faciens per dimidium annum revera multum ibi profeci, audiens quotidie leges et canones.

A.D. 1205. Marleberge leaves Rome, 18 April 1205, and remains at Bologna for about six months.

De crudelitate et proditione abbatis circa magistrum Adam Sortes monachum et miseria et laboribus ejusdem Adæ in itinere.

Abbas vero versus Angliam properavit, et quum veniret Vercellum occurrit ei magister Adam Sortes monachus[1] noster, in literatura apprime eruditus, qui antequam esset monachus[1] rexerat scholas artium liberalium per multos annos, qui missus fuerat a conventu ad prosequendam appellationem quam fecerant contra sententiam judicum in Anglia quam tulerant in possessorio judicio super jurisdictione monasterii pro episcopo. Abbas autem quum cognovisset causam adventus sui, sciens quod dominus papa in nulla parte revocaret jurisdictionem judicum, dixit ei ut reverteretur cum eo. Ille vero, ut erat simplex et justus, sciens quia omnia speranda sunt a patre monasterii, volens regulariter vivere, tres marcas argenti tradidit

The abbot compels one of the brethren to follow him on foot throughout his homeward journey.

[1] *monachus*] monacus, MS.

A.D. 1205. abbati suo quas secum habuit. Et quum esset pedes, defecerat enim ei equus ejus, prima die præcepit abbas ut equus ei conduceretur, sed non ad finem diætæ, et complevit pedes quod non potuit eques. Simili modo actum est cum eo in crastino, et non apposuit amplius abbas conducere ei equum, et quum non haberet viaticum usque ad unum denarium necesse habuit sequi abbatem propter victus necessaria, et sequebatur pedes abbatem per abrupta montium. Quidam vero de familia abbatis miserti illius, tum per unum miliare tum per duo vel tria fecerunt eum ascendere equos suos, ut misera ejus membra refocillaret et compages membrorum quocunque solamine consolidaret; quod quum abbas comperiiset vel expresse prohibendo vel submurmurando fecit quominus famuli ejus hanc gratiam ei amplius non impenderent. Tunc valde coarctatus amplius eum pedetentim sequi non potuit; sed quia res pro anima ei erat, eum lento pede sequens semper ad finem diætæ pervenit, licet tarde, et semper cum abbate pernoctavit, ita quod abbas super eo admiraretur, non tamen misereretur. Sed ad complendam malitiam suam in eo, sæpe duplomate vel fere utebatur, ut sic eum sequentem vel labore frangeret, vel non potentem sequi post tergum relinquens fame et inedia perimeret. Invidebat enim ei propter scientiam suam, et odio habebat eum propter veritatem suam. Inter hæc omnia, quum idem frater esset magister in Israel et sacerdos Dei altissimi et ut scurra vagus haberetur in domo abbatis, abbas ei sæpe conviciabatur et probris et contumeliis eum afficiebat. Tandem quum videret nec laboribus eum posse frangi nec opprobriis vinci, et venissent Masconam, abbas dixit ei expresse, "Recede a me, "societatem enim tuam nolo, et recto itinere vade in "Angliam, quia ego per aliam viam circuibo loca "sanctorum," et dedit ei unam marcam ad viaticum; et tamen adhuc secutus est eum, et tertia die nesciebat quo diverteret abbas.

De adventu abbatis in Angliam, et qualiter episcopus eum excommunicaverit, et qualiter conventus fideliter secundum quod prius promiserant cum eo steterint.

A.D. 1205. The abbot on his return to England is excommunicated by the bishop, who meanwhile had, *pendente lite*, obtained present jurisdiction over the abbey.

Tandem venit in Angliam et abbas similiter, sed non tam cito. Quo quum veniret, et episcopus jam pridem in absentia sua adeptus esset possessionem jurisdictionis monasterii, scripsit ei episcopus ut eum reciperet cum fratribus. Abbas vero, clausis januis, episcopum exclusit et eum admittere renuit, appellans auctoritate novæ indulgentiæ nostræ. Sed episcopus non deferens appellationi eum excommunicavit, et quum nullus in partibus istis ausus esset ei communicare secessit [1] Lennam, et ibi morabatur per multum tempus. Interim episcopus accessit ad abbatiam et admissus est a fratribus, et voluit facere singularem inquisitionem de persona abbatis, et quum fratres non immemores promissionis suæ hoc renuerent et episcopus eos propter hoc vellet excommunicare, monachi projecerunt cucullas suas ad pedes episcopi, et dixerunt quod recederent a domo ista donec causa principalis finem sortiretur legitimum. Episcopus vero pietate motus inquisitionem distulit, et sic abbas tunc per conventum evasit manus episcopi.

De tertio adventu Thomæ monachi et adversariorum ejus ad curiam et relatione judicum, et qualiter primo coram domino papa comparuerunt.

Marleberge returns to Rome in October.

Ego vero, interim de causa nostra bene instructus Bononiæ, post festum sancti Michaelis recessi Romam, et in prædictis octabis sancti Martini venit ad me relatio per prædictum clericum abbatis, sed et adversarii

[1] *secessit*] cecessit, MS.

A.D. 1205. nostri venerunt, magister videlicet Robertus de Clipstonia et R. persona de Rippel et magister Ernaldus de Bathonia, qui plusquam per quartam partem anni steterat in curia prius pro episcopo contra nos, ne aliquid ibi contra eum impetraremus. Et quum esset episcopus in possessione jurisdictionis monasterii nostri, et debuissent adversarii nostri si prudenter egissent, ut moris est possidentium, subterfugere sententiam, miro modo a Domino infatuati statim obtulerunt se liti, et relationem cum transcriptis privilegiorum nostrorum sigillis judicum signatis domino papæ obtulerunt. Ego vero ultra quam credi possit de eorum stultitia præ gaudio admirans gratias egi Deo, cogitans quod manus Ejus nobiscum operaretur; et vocatus nomine procuratoris Eveshamensis, sicut quamdiu steti ibi semper a domino papa et omni curia nominatus sum, comparui, et præcepit dominus papa quod in tertium diem parati essemus ad litigandum. Ego vero cogitans si Dominus ita providisset, sicut per gratiam Dei postea factum est, quod causa super jurisdictione monasterii qua destituti eramus procederet, illa vero super jurisdictione vallis cujus possessione gaudebamus semper vel in longa tempora differetur, dixi, "Pater sancte, "nondum plene pervenerunt ad me privilegia nostra "quibus causam libertatis et exemptionis ecclesiarum "vallis defendam, nisi tantum ea quæ ad consequen-"dam libertatem et exemptionem monasterii nostri "pertinent." Et revera tantum unum Constantini, et aliud Innocentii secundi, et indulgentiæ Clementis et Celestini ad me venerant cum attestationibus et transcriptis omnium privilegiorum. Aliud vero Constantini et illud Alexandri attulit mihi post sententiam latam magister Adam Sortes. Et dominus papa dixit, "Suf-"ficit: volumus enim ut tantum causam super liber-"tate monasterii agatis, super libertate autem vallis "postea agetis." Et gavisus sum de divisione causarum, et quum multum cogitarem quænam esset stultitia

The question of the right of the abbey to exemption appointed for hearing.

adversariorum nostrorum quod tam instanter sententiam in causa proprietatis super jurisdictione monasterii quærerent, in cujus possessione erant constituti, cito comperi quod timebant ne morerentur si in civitate morarentur, magis quærentes vitam propriam salvam facere quam causam domini sui lucrifacere. Sed ego habens preciosiorem causam meam quam animam meam, quia, ut sæpe dixi vobis, pro anima mihi res erat, non quæ mea erant quærebam sed quæ Jesu Christi et ecclesiæ meæ, nec moram nec mortem timui, cupiens si opus esset animam meam pro causa libertatis ecclesiæ meæ ponere. Hoc ideo vobis scripsi ut sciatis omnes homines esse quasi mercenarios in negotiis ecclesiæ nostræ præter solos monachos, et ut nunquam negotia ecclesiæ nostræ alicui sine monacho committatis.

A.D. 1205.

Unhealthiness of Rome.

De secunda apparitione coram domino papa et allegationibus magistri Roberti.

Igitur die a domino papa nobis constituta coram eo comparuimus, et dixit dominus papa, "Tantum de causa "principali et de capite dicatis, non de membris.[1]" Et magister Robertus de Clipstone procurator episcopi, quum esset reus a re, quia in possessione jurisdictionis monasterii erat constitutus, immo et a reatu, sicut per sententiam contra eum postea latam est declaratum, actor effectus est. Ego vero gratias agens Deo cogitabam quia digitus Domini esset qui mecum operabatur. Et ut vir facundissimus et in utroque jure, civili videlicet et canonico, apprime eruditus, quoddam proœmium multis et magnis sententiis involutum et profundis mysteriis implicatum præmisit, nesciens modum curiæ, quia dominus papa veluti seriis occupatus talia fasti-

The pleadings opened before the pope, about the beginning of Dec.

[1] *membris*] menbris, MS.

A.D. 1205. diret. Et quum in longum protraheret sermonem, dominus papa tædio affectus aliquantum torvo oculo illum respiciens, dixit, "Nolumus tantum procœmium; "ad ea quæ res desiderat accede." Et ipse propter sermonis sui interruptionem, ut mihi videbatur, perturbatus, ad judicium possessorium se convertit, et omnem intentionem suam super eo fundavit, et elegantissime allegans profundis et optimis rationibus nitebatur ostendere sententiam in judicio possessorio in Anglia pro episcopo rite fuisse latam et esse legitimam, quare ejusdem a domino papa petiit instanter confirmationem. Et quum dominus papa adhuc ei diceret ut breviloquio uteretur, tandem completis allegationibus super prædicta sententia lata pro episcopo in judicio possessorio, intacta causa proprietatis, subticuit.

De responsione Thomæ monachi allegationibus[1] *magistri Roberti.*

Tum ego dixi, "Pater sancte, quum ad recipiendam "sententiam in causa proprietatis super subjectione et "exemptione monasterii nostri ad pedes sanctitatis "vestræ venerimus, num placet vobis quod his quæ "super possessione ab adversario nostro dicta sunt "respondeam quum per gratiam Dei et vestram quasi "momentanea sit illa possessio episcopi?" Et dominus papa, "Non loquamini," inquit, "amodo de illa posses-"sione, sed tantum de subjectione et exemptione "monasterii, et tantum procuratores loquantur ut per "eos de facto certificemur, quia uterque vestrum juris "peritus est, et quum opus fuerit advocati respondeant "nobis de jure." Stetimus enim vallati advocatis nostris; conduxeramus enim nobis optimos advocatos, ego quatuor et adversarius quatuor, sed ego meliores. Prævaleram enim adversarium, et elegeram mihi de

[1] *allegationibus*] et allegationibus, MS.

totius mundi partibus meliores, magistrum videlicet Merandum Hispanum, quem postea tempore concilii[1] vidi episcopum, qui nulli mortali simul in utroque jure tunc temporis habebatur secundus. Hunc quum regeret scholas Bononiæ dominus Wintoniensis Romam adduxerat, et stetit ibi pro domino rege et episcopis Angliæ contra monachos Cantuarienses super jure eligendi Cantuariensem archiepiscopum. Et alium, quendam videlicet militem Papiensem, Bertrandum nomine, dominum legum, qui nulli totius Lumbardiæ post dominum Assonem in jure civili habebatur secundus. Hunc monachi Cantuariæ adduxerant, et stetit pro eis in prædicta causa contra dominum regem et episcopos Angliæ. Et cum his duobus locutus fui Bononiæ antequam Romam venirent. Habui etiam magistrum Petrum Beneventanum, capellanum domini papæ, postea cardinalem et episcopum Portuensem, qui primus habebatur inter advocatos curiæ; sed et magistrum Willielmum, provincialem clericum domini cancellarii; hac usus cautela ut per istos duos aliqua secreta curiæ discerem, quod et ita factum est. Et dedi primo qualibet die consistorii quinquaginta solidos Proviniensium, secundo et tertio quadraginta, quarto viginti. Et quum conqueretur adversarius noster quod subtraxissem ei copiam advocatorum, respondit dominus papa subridendo, "Nunquam defuit alicui copia advocatorum in curia "Romana;" et præcepit ut dicerem. A.D. 1205. The advocates employed by Marleberge.

De primis allegationibus Thomæ monachi pro exemptione Eveshamensis cœnobii.

Tunc ego, jam pridem cognoscens quia curia breviloquio gaudebat, flens et ejulans dixi, "Pater sancte, "postpositis philosophorum figuris, dialecticorum[2] ænigmatibus et rhetorum coloribus, lingua præ timore Marleberge's reply.

[1] *concilii*] consilii, MS. [2] *dialecticorum*] dialeticorum, MS.

A.D. 1205. " balbutiente, sermone licet incomposito ad ea quæ
" res de qua agitur desiderat accedo. Igitur, pater
" sancte, monasterium nostrum, immo vestrum, a
" tempore fundationis suæ liberum extitit et ex-
" emptum, immo, quod majus est, quasi ingenuum
" natum quia liberum fundatum, et ad hoc pro-
" bandum habemus privilegia Romanorum pontificum.
" Dicit enim Constantinus papa quod duo reges Angliæ
" Kenredus et Offa, cum quibus beatus Ecgwinus ad
" limina apostolorum venit, in loco ostensæ visionis
" plurima de suis beneficiis in præsentia sua regia
" libertate donata et apostolica auctoritate confirmata
" contulerunt. Pater sancte, non dicitur quod con-
" tulerint plurima loco, sed plurima *in* loco, hoc est
" *de* loco, et dicitur *plurima* de suis beneficiis, non
" *omnia*. Non enim totum locum qui vocatur vallis
" Gloecestriæ contulerunt sed quædam beneficia in
" valle Gloecestriæ, nec dicitur cui contulerint illa
" beneficia[1]; unde necesse est intelligere quod domino
" papæ et ecclesiæ Romanæ contulerint ea, quum
" omnia sint principis et maxime ea quæ non de-
" terminantur in cujus bonis sint, et quum eo præsente
" et confirmante hæc donata sint. Et quod clausula illa
" ita debeat intelligi, expresse per subsequentia capitula
" in eodem privilegio contenta et in sequenti decla-
" ratur. Dicit enim idem Constantinus in eodem pri-
" vilegio Britwaldo Brittanniarum primati, 'Constitue
" 'ovile Christo divinitus ostensum, apostolica auctori-
" 'tate fultum, regia libertate donatum,' nec dicit cui.
" Et quum non consueverit summus pontifex præcipere
" quod aliquod monasterium fundetur nisi quod in solo
" sibi donato fuerit fundandum, relinquitur quod reges
" locum illum summo pontifici et ecclesiæ Romanæ
" contulerint, et illud ovile divinitus ostensum, apos-

[1] " Nota optime hic ad animandum papam contra adversarios nostros ; " *note added in the margin.*

" tolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, A.D. 1205.
" fuisse collatum summo pontifici et ecclesiæ Romanæ,
" et ideo, excepto apostolico, ut suum et in suo solo
" constitutum nulli est subjectum. Ad hoc etiam
" bene facit quod in eodem privilegio Constantinus
" statim subjungit, loquens Brituualdo, ' Tibi autem
" ' et successoribus tuis, memorato episcopo Ecguuino
" ' assentiente, curam animarum ejusdem ecclesiæ præ-
" ' cipue injungimus.' Non enim auferret summus
" ' pontifex alicui diœcesano episcopo curam animarum
" alicujus ecclesiæ sicut isti fecit (—quod ex eo patet quod
" *eo consentiente* alii, ut suo vicario, curam animarum
" tradidit ; non enim requiritur consensus alicujus nisi
" in his quæ in ejus fiunt læsionem ;—) nisi ecclesiæ
" specialiter suæ, et auctoritate sua fundatæ ; quod
" expresse in secundo privilegio Constantini continetur,
" ubi denuntiat Brituualdo ' quatenus ecclesias Dei per
" ' Brittanniam dispositas tua ipsius et sanctorum
" ' apostolorum auctoritate protegas ne quis pervasor
" ' cujuscumque ordinis a Deo et nobis constituta pri-
" ' vilegia subruat. Inter quas eam quæ nuperrime a
" ' venerabili viro Ecguuino nostra et regia auctoritate
" ' constituta est, præcipue tuæ ditioni submittimus.'
" Ecce quod auctoritate summi pontificis est ecclesia
" nostra constituta et Brittanniarum primati ut suo
" legato commissa. Quum ergo sufficienter probaverim,
" ut mihi videtur, quod monasterium nostrum a tempore
" fundationis suæ fuerit summo pontifici donatum et
" ejus auctoritate fundatum, sequitur necessario quod
" illi soli et ecclesiæ Romanæ sit subjectum, quia nefas
" esset dicere quod aliquis ordinariam potestatem in
" rebus et bonis summi ordinarii haberet ; nam et hoc in
" inferioribus ecclesiis video. Non enim aliquis diœ-
" cesanus episcopus in possessionibus metropolitani sui
" quamvis infra limites diœcesis suæ sitis ordinariam
" exercet jurisdictionem, multo fortius nec in posses-
" sionibus summi pontificis. Si vero alicui hæc ad

A.D. 1205. " plenam libertatem ecclesiæ nostræ minime sufficere
" videntur, habemus ex eisdem privilegiis et aliis ex-
" pressam exemptionem. Dicit enim Constantinus in
" primo privilegio. 'Ipsum ergo locum quem regia
" 'potestas regiæ libertati donavit, et nos auctoritate
" 'Dei et sanctorum apostolorum et nostra donamus.'
" Quum itaque reges dederint locum illum regiæ liber-
" tati, hoc est sæculari et temporali, et summus ponti-
" fex Romanæ et ecclesiasticæ libertati donavit. Quum
" enim summus pontifex indeterminatæ locum dedit
" libertati, quia beneficia imperatoris amplissime sunt
" interpretanda, omnimodæ et summæ, id est, Romanæ,
" libertati donasse intelligitur. Nam quum servi manu-
" mittuntur Romanæ libertati donantur, et sicut reges
" donarunt eum libertati quoad temporalia sic et
" summus pontifex quoad spiritualia libertati donavit.
" Quod autem privilegium hoc ita debeat intelligi
" expresse in indulgentiis Clementis et Celestini in-
" nuitur, ubi dicitur, 'Largitione nostri muneris et
" 'gratiæ eos duximus decorandos quos fidei meritum
" 'ac devotionis constantia nobis reddunt acceptos, et
" 'qui nullo mediante ad jurisdictionem beati Petri
" 'et nostram specialiter pertinere noscuntur. Hac
" 'itaque ratione inducti et devotionis et fidei vestræ
" 'intuitu provocati, tibi, fili[1] abbas, et successoribus
" 'tuis usum mitræ, annuli, chirothecarum et dalmaticæ,
" 'tunicæ et sandaliorum, nec non et sacerdotalia vesti-
" 'menta benedicendi de consueta clementia et de
" 'benignitate sedis apostolicæ duximus concedendum.'
" Ecce constat locum nostrum Romanæ libertati a
" Constantino esse donatum quum per istos constet eum
" soli Romano pontifici et ecclesiæ Romanæ esse subjec-
" tum. In secundo vero privilegio Constantini dicitur,
" 'Constituimus ergo in nomine Domini ut isdem
" 'locus sub monarchia proprii abbatis sit liber.' Quum

[1] *fili*] filii, MS.

" igitur monarchia interpretetur *unicus principatus*, A.D. 1205.
" constat quod solus abbas ibi principalem potestatem et
" jurisdictionem debet exercere, et sic episcopus excludi-
" tur; et quod hoc privilegium ita debeat intelligi ex-
" presse continetur in privilegio Innocentii papæ secundi,
" ubi dicitur, 'Statuimus insuper ac (prædecessoris
" 'nostri felicis memoriæ Constantini papæ vestigiis in-
" 'hærentes) decrevimus, ut solummodo penes te et
" 'successores tuos totius domus et ecclesiæ tuæ et
" 'aliorum locorum ad eandem ecclesiam pertinentium
" 'pastoralis cura consistat, et eorundem ordinatio in tua
" 'et successorum tantum tuorum potestate permaneat,
" 'sicut est hactenus observatum, salva per omnia sedis
" 'apostolicæ auctoritate.' Non dicitur quod aliqua
" ibi sit salva episcopi auctoritas, sed tantum abbatis
" ibi exerceatur potestas. Ecce manifeste probatur
" quod solus abbas noster ibi ordinariam habeat dis-
" positionem et jurisdictionem. Si cui vero, quod
" tamen non credo, adhuc in dubium venit quin ecclesia
" nostra ab ipsa fundatione sit libera, veniamus ad jura
" episcopalia quæ habent episcopi in monasteriis non ex-
" emptis, et videamus si contra hæc muniti simus per
" Romanorum pontificum privilegia. Igitur episcopi ab
" abbatibus non exemptis professionem et obedientiam
" quum eis benedicunt exigunt et accipiunt, nec ab aliis
" possunt benedici quam ab episcopo diœcesano. Abbas
" vero noster ab episcopo Wigornensi nec benedictionem
" accipere nec professionem nec obedientiam ei facere
" tenetur. Dicit enim Constantinus in secundo privi-
" legio, 'Defuncto autem abbate, secundum canonicam
" 'auctoritatem vel de ipso monasterio vel de parochia[1]
" 'Wictiorum abbas a fratribus ejusdem loci eligatur,
" 'qui in eadem ecclesia libere et canonice sine aliqua
" 'exactione consecratus ob reverentiam venerabilis Egg-
" 'wini annulo in celebratione missarum utatur.' Ex

[1] *parochia*] parrochia, MS.

A.D. 1205. " verbis hujus privilegii habere potestis quod a quo-
" cumque maluerit episcopo possit abbas noster benedici
" quum in propria ecclesia debeat benedici. Absurdum
" enim esset quod episcopus, si abbas ei subjiceretur,
" ab abbate nostro vocaretur ut ei in propria ecclesia
" benediceret, quum abbas subjectus ad episcopum
" venire debeat propter benedictionem, et subjectus a
" superiore debeat vocari, et non e converso. Et quum
" absque omni exactione debeat benedici, patet quod nec
" professio nec obedientia ab eo debet exigi. Quod
" autem hoc privilegium ita debeat intelligi expresse
" continetur in privilegio Innocentii secundi, dicit
" enim, 'Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel
" 'tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet sur-
" 'reptionis astutia seu violentia proponatur nisi quem
" 'fratres ejusdem loci communi assensu vel fratrum
" 'pars consilii sanioris elegerit, qui in eadem ecclesia
" 'absque omni exactione a quocumque maluerit bene-
" 'dicatur episcopo, dum tamen catholicus sit et gratiam
" 'sedis apostolicæ habeat et communionem.' Ecce
" manifeste ostensum est abbatem nostrum ab episcopo
" Wigornensi non benedictionem debere suscipere nec
" professionem nec obedientiam ei debere facere. Habent
" etiam episcopi diœcesani monasteria sibi subjecta
" tueri et visitare et in eis errata corrigere, quorum
" nullum habet episcopus Wigornensis in monasterio
" nostro. Scribit enim Constantinus Brittanniarum
" primati in primo privilegio, dicens, 'Tibi autem, et
" 'successoribus tuis, memorato Egwino episcopo as-
" 'sentiente, curam animarum ejusdem ecclesiæ præ-
" 'cipue injungimus, ut si, quod absit, aliquo diaboli
" 'impulsu quisquam pervasor aut tyrannus sanctum
" 'locum minuere aut impugnare præsumpserit, tibi a
" 'Deo concessæ potestatis sententia et anathematis
" 'percussus verbere, complere non audeat.' Ecce ex-
" presse patet quod, cum cura animarum nostrarum, tu-
" tela totius ecclesiæ nostræ Cantuariensi archiepiscopo

" sit commissa. Et quod cum tuitione etiam errata A.D. 1205.
" nostra habeat corrigere, ut tam tuitio quam correctio
" ei committatur, expresse subjungitur in eodem pri-
" vilegio, ubi dicitur, 'Si quid vero sinistræ partis in-
" 'ibi compertum fuerit oriri, auribus summi pontificis
" 'patriæ potius deferatur quam per alicujus occultam
" 'sententiam sanctus locus injuste depravetur.' Quum
" igitur onera tuitionis et correctionis sequantur ho-
" nores et commoda visitationis et procurationis,
" merito illi cui onera non imponuntur honores et
" emolumenta subtrahuntur. Ex hoc igitur privilegio
" patet nullum ab ecclesia nostra prædictorum deberi
" Wigornensi episcopo, quum a domino papa Cantua-
" riensi archiepiscopo ut suo legato vel vicario hæc
" sint commissa, et de consensu Egwini episcopi Wigor-
" nensis, cujus consensus non requireretur[1] nisi in ejus
" præjudicium aliquid statueretur, quamvis dominus
" papa qui vocatus est in plenitudinem potestatis
" hæc omnia auctoritate sibi a Deo commissa ex pro-
" pria potestate facere possit, nullius requisito con-
" sensu vel favore. Et tamen sine ratione talia facere
" non consuevit. Et quum possint episcopi infra diœ-
" cesim suam in qua maluerint ecclesia non privile-
" giata synodum, capitula, ordinationes et missas pub-
" licas celebrare, hæc Wigornensi episcopo in ecclesiis
" nostris facere ab Innocentio prohibetur ubi dicitur,
" 'Sanximus etiam ut in abbatia vestra aut in capel-
" 'lis vestris aliquis episcopus synodum vel capitula
" 'aut ordinationes aut missas publicas, nisi invitatus
" 'ab abbate illius loci vel a fratribus, celebrare non
" 'præsumat.' Quum etiam non liceat non exemptis
" sacramenta ecclesiastica nisi a suo episcopo diœcesano
" accipere, ut nihil nobis desit ad plenitudinem liber-
" tatis conceditur nobis ab Alexandro papa tertio ut

[1] *requireretur*] requiretur, MS.

A.D. 1205. " ea a quo maluerimus accipiamus episcopo, ubi dicitur,
" ' Chrisma vero, oleum sanctum, dedicationes ecclesiarum,
" ' consecrationes altarium, ordinationes clericorum qui
" ' ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocumque
" ' malueritis suscipiatis episcopo.' Ecce, pater sancte,
" ut mihi videtur, sufficienter ostendi monasterium
" nostrum esse liberum et ab omni jurisdictione epi-
" scopali prorsus exemptum, et contra omnia jura epi-
" scopalia per prædictorum privilegiorum dicta capitula
" plene esse munitum. Si vero alia sunt jura episco-
" palia contra quæ per privilegia Romanorum pontifi-
" cum non simus muniti, petimus ut vos vestigia præ-
" decessorum vestrorum sequentes de consueta clemen-
" tia et benignitate sedis apostolicæ suppleatis, ne
" ecclesia nostra, immo vestra, a sui fundatione libera
" pro modico episcopo serviat. Sin autem, necesse est
" ut pro his episcopo satisfaciamus." Et hæc cum magno fletu et ejulatu dixi. Et dominus papa conversus ad cardinales, subridendo, vulgariter loquens, dixit, "Iste omnia aufert episcopo, et postea dicit, " habeat episcopus residuum," et convertens se ad adversarium nostrum dixit, "Responde his."

R. Clipstone summoned to reply.

De responsione magistri Roberti allegationibus Thomæ monachi, et qualiter privilegia false fuerunt a magistro R[oberto] accusata, sed a domino papa ut vera approbata.

He impugns the genuineness of the Evesham documents.

Et ille, " Pater sancte, bene dixisset adversarius noster " si privilegia, in quibus omnem vim et potestatem " allegationum suarum fecit et fundamentum totius " causæ suæ posuit, vera essent, quum sint falsa. Nam " carta et stylus, filum et bulla, privilegiorum Con-
" stantini penitus in terra nostra ignota sunt. Portitor
" vero indulgentiarum Clementis et Celestini fuit
" publicus falsarius, Nicholaus de Wareuuich, et ideo
" eas falsas credimus, et hoc idem de aliis dicimus."

Et dominus papa præcepit ut exhiberem ea, et exhibui. A.D. 1205
Et dominus papa propriis manibus tractavit ea, et traxit per bullam et cartam si forte posset bullam a filo amovere, et diligentissime intuens ea tradidit cardinalibus intuenda, et quum per gyrum venissent iterum ad dominum papam, ostendens privilegium Constantini dixit, "Hujusmodi privilegia quæ vobis ignota "sunt, nobis sunt notissima, nec possent falsari;" et ostendens indulgentias dixit, "Istæ veræ sunt," et restituit mihi omnia. Sed qualiter mihi et ecclesiæ et causæ nostræ timuerim quum per gyrum viderent privilegia cardinales et quum dominus papa ita dure ea tractavit, supersedeo dicere quia non possem vobis edicere. Quamvis nihil mihi conscius essem, tamen scivi quod ille qui habebatur pro falsario, forte quia publicus cursor fuit curiæ, indulgentiarum portitor fuit, et circa privilegia Constantini omnia mihi ignota erant. Sed quum approbata fuerunt, inæstimabili gaudio repletus sum. Et hæc fuit secunda interlocutio pro nobis data. Prima enim fuit quum primo fui Romæ pro revocanda jurisdictione judicum, ne in judicio possessorio sententiarent, quam interlocutionem propriam ipsa papa postea revocavit. Et quum jam esset hora prandendi præcepit dominus papa quod recederemus, et quod adversarius noster aliter responderet quum alias vocati essemus. Et post triduum iterum vocati fuimus, et respondit tunc adversarius noster:—

But they are attested by the Pope.

Three days' adjournment.

De secundo consistorio et de objectione præscriptionis contra privilegia.

"Pater sancte, si privilegia vera sunt et videantur Clipstone argument
"operari pro eis, ad libertatem tamen nihil prosunt
"illis, quia eis usi non sunt, immo episcopi Wigor-
"nenses e contrario in monachos et monasterium eorum
"jure communi tanto tempore usi sunt, quod contra

A.D. 1205. " eos et privilegia eorum jus episcopale præscripsisse " videntur, sicut per depositiones testium sanctitati " vestræ plenissime patebit." Et incipiens a capite allegationum mearum probavit per dicta testium omni exceptione majorum quod episcopi contra omnia capitula privilegiorum nostrorum jure communi in monasterio nostro usi erant, sicut in aliis diœcesana lege sibi subjectis. Probavit enim per testes quod episcopi abbatibus nostris benedixerant, et quod abbates professionem eis fecerant, et quod episcopi in ecclesia nostra solemniter cum processione admissi fuerant, et quod missas publicas et solemnes in ecclesia nostra celebraverant, et quod decreta eorum et statuta ibi admissa fuerant, et quod ab eis chrisma et oleum et ordinationes receperimus, et quod abbas noster ad synodum episcopi venerat. Tunc conversus ad me dominus papa dixit, " Procurator, responde." Prohibuerat enim ne advocati loquerentur de facto, nisi de jure tantum et quum opus esset, quia dixit procuratores nosse factum et jura. Ego sciens quod hæc omnia ventura erant super me, bene præmeditatus respondi:—

De responsione Thomæ monachi, contra objectionem præscriptionis.[1]

The argument of prescription refuted by Marleberge.

" Pater sancte, nequaquam ita est ut dicit adversa- " rius noster. In nullo enim privilegiis nostris abusi " sumus, immo legitime et plenissime eis usi sumus, " ita etiam quod præscriptione contra omnia jura epi- " scopalia optime muniti sumus. Et si aliquando epi- " scopi contra privilegia nostra nitebantur venire, per

[1] *præscriptionis*] prescriptoris, MS.

" optimas contradictiones et juris nostri et privilegiorum A.D. 1205.
" nostrorum protestationes eorum malitiæ obviavimus,
" ita quod contra ecclesiam nostram nunquam aliqua
" currere potuit præscriptio, sicut ex ipsis attestatio-
" nibus sanctitas vestra liquido perpendet. Quod enim
" dicit, episcopos Wigornenses abbatibus nostris bene-
" dixisse et abbates eis professionem fecisse, verum est ;
" sed capitulo Eveshamensi contradicente hæc facta
" sunt et abbatibus protestantibus quod salvis privi-
" legiis suis hæc fecerunt, sicut per tales testes proba-
" tur. Quod autem dicit episcopos Wigorniæ cum
" solemni processione fuisse a nobis admissos, verum
" est ; sed cum protestatione privilegiorum et carita-
" tive et pro ecclesiis quæ non probantur exemptæ
" hæc fecimus, sicut illi testes probant. Ad missas
" etiam solemnes eos admisimus sed vocatos, sicut in
" privilegio Innocentii papæ continetur, et sicut tales
" testes probant. Quod autem dicit statuta episcopo-
" rum fuisse a nobis admissa, falsum est. Immo sta-
" tuta Henrici episcopi ab abbate nostro penitus fuerunt
" apud Fladeburiam refutata et rejecta post traditi-
" onem. Et decreta etiam episcopi Johannis postquam
" lecta fuerunt in capitulo omnino a saniori parte
" capituli contradicta et refutata fuerunt, sicut plenis-
" sime per hos et illos testes probatur. Quod vero
" sacramenta ecclesiastica ab eis recepimus, hoc nobis
" non nocet, quiâ secundum privilegium Alexandri papæ
" hoc nobis licet a quo maluerimus episcopo facere, et
" cum protestatione talis libertatis et auctoritate pri-
" vilegii illius hoc fecimus, et caritative petivimus et
" accepimus, sicut per tales testes probatur. Quod au-
" tem abbas noster ad synodum venit, non nocet, quia
" pro membris quæ non probantur exempta hoc fecit,
" et hoc ibi publice protestatus est, sicut illi testes
" probant."

A.D. 1205. *De disputatione advocatorum circa usum et abusum privilegiorum et præscriptionem et interruptionem, per tres*[1] *audientias.*

Two further days of hearing occupied by the arguments of counsel upon points of law.

Tunc dominus papa conversus ad advocatos dixit, "Ecce instructi sumus de facto per procuratores. Nunc "autem instruatis nos de jure circa usum et abusum "privilegiorum et circa præscriptionem et inter- "ruptionem, et cum deliberatione, quum vocati fueritis." Et recessimus. Et post aliquot dies vocati sumus. Tunc advocati nostri tam illa die quam iterum post aliquot dies, per duas videlicet audientias, quam egregie et subtiliter fere omnes utriusque juris, canonici videlicet et civilis, apices et difficultates in allegationibus circa usum et abusum privilegiorum et præscriptionem et interruptionem exhauserint, supersedeo dicere quia non possem vobis edicere. In secundo vero consistorio dixit dominus papa, "Sufficit usque huc dixisse de his. "Nunc autem, procuratores, redite ad privilegia, et per "ea de jure ecclesiarum vestrarum sufficientius nos "instruite quando vocati fueritis." Et exivimus. Post aliquot dies vocati comparuimus, et dixit magister Robertus:—

De quinto consistorio et de allegationibus magistri Rodberti super interpretatione privilegiorum.

Argument, at the fifth hearing, Dec. 22, upon the interpretation of the Evesham privileges.

"Pater sancte, prima die proposuit adversarius "noster quædam capitula privilegiorum suorum, per "quæ nitebatur ostendere monasterium suum esse "liberum et exemptum. Sed ego video quædam capitula "in eisdem privilegiis prædictis sibi repugnantia. "Unde mihi videtur quod, quum privilegia sibi adin- "vicem sint contraria, nullius[2] sunt momenti, vel saltem

[1] *Sic: lege* duas.

[2] *nullius*] quod nullius, MS.

" ad plenam libertatem insufficientia, quum per ipsa A.D. 1205.
" privilegia quædam jura episcopalia in monasterio illo
" episcopo nostro reserventur. Dicit enim Constan-
" tinus quod abbas ejusdem loci primum locum post
" Wictiorum præsulem sua auctoritate jugiter obtineat.
" Sed quum locum illum nec in generali concilio[1] nec
" provinciali possit obtinere, quia hoc alii episcopi
" inferiores nostro non permitterent, restat ut ad
" synodum episcopalem veniat, et ibi locum illum
" obtineat, et sic episcopo subjiciatur. In privilegio
" vero Alexandri continetur quod Wigornenses episcopi
" aliquid injuste ab eis non exigant, sed his tantum
" contenti sint quæ antecessores eorum antecessoribus
" suis constat rationabiliter exhibuisse. Ergo constat
" antecessores eorum aliquid antecessoribus episcoporum
" rationabiliter impendisse. Ergo episcopi aliquid petere
" possunt, et ipsi hoc eis exhibere tenentur. Ergo
" episcopo in aliquo subjiciuntur; ergo non sunt plene
" exempti, vel potius, quum nullus possit esse in parte
" liber et in parte servus, nullo modo sunt exempti."

De subtilissima responsione Thomæ monachi et advocatorum ejus circa interpretationem privilegiorum.

Et quum perorasset, respondi ego dicens, " Mirum
" mihi videtur qualiter adversarius noster ponere os in
" cœlum ausus sit, dicens privilegia Romani pontificis
" nullus esse momenti quum etiam instar sit sacrilegii
" de sententia ejus disputare. Quum enim dicta testium
" secundum leges ita sint interpretanda ut sibi adin-
" vicem non sint contraria ne testes perjurii arguantur,
" multo fortius privilegia summi pontificis benigne sunt
" interpretanda, ut sicut nunquam possunt esse inania,
" ita nec sibi unquam sint contraria." Et post hoc

[1] *concilio*] consilio, MS.

A.D. 1205. responderunt advocati nostri quod absque præjudicio libertatis ecclesiæ nostræ poterat abbas ad synodum episcopi venire et ibi locum primum obtinere, sed non pro capite sed pro membris quæ non probantur exempta, et statuta episcoporum quæ illa membra contingunt recipere et servare absque libertatis nostræ læsione. Sic enim necesse est et nos aliorum episcoporum in quorum episcopatibus beneficia ecclesiastica habemus, si vocati fuerimus, synodos adire, et quoad illa beneficia eorum statuta servare, non tamen ipsi in monasterio nostro vel in nobis aliquam possunt exercere jurisdictionem. Simili modo dixerunt illud Alexandri intelligendum, videlicet quod aliquid tenebamur exhibere episcopis pro membris quæ nondum probantur exempta, sicut et aliis episcopis pro beneficiis quæ habemus in eorum episcopatibus. Et subticuerunt advocati. Dominus vero papa conversus ad me dixit, "Procuratur, visne aliter re- "spondere his, ut si forte capitula ista non possint "intelligi de membris, quod illis de capite intellectis "monasterium vestrum conservetur illæsum liberum "et exemptum?" Ego vero, qui ab initio causæ hæc duo capitula fere usque ad mortem timueram, videns quod timor quem timueram jam evenit mihi, quia jacula quæ providentur minus feriunt, bene præmeditatus, dixi, "Pater sancte, ego hæc de capite "bene expono, et ne libertatem nostram in aliquo "lædant eis multipliciter respondeo." Et dominus papa dixit, "Non credimus." Et dixi, "Deo propitio, "faciam." Et respondi, "Bene concedo quod abbas "noster in synodo episcopali primum locum post epi- "scopum obtineat, sed non ratione abbatiæ vel mem- "brorum[1] sed ut nuncius vester et minister. Sic enim "dicit Constantinus, ut 'locum primum post Wicciorum "'præsulem auctoritate *nostra* jugiter obtineat;' non "dicit quod auctoritate propria, ut abbas vel ut per- "sona alicujus ecclesiæ, sed ut missus vester. Si quæ-

[1] *membrorum*] menbrorum, MS.

" ritis ad quid missus, dico ad hoc, ut videat ne episco- A.D. 1205.
" pus aliquid contra privilegia Romani pontificis statuat,
" et ne ecclesiam domini papæ, videlicet Eveshamen-
" sem, in aliquo lædat. Et hoc dico ad similitudi-
" nem illius quod idem papa Constantinus Britwaldo
" Brittanniarum primati in eodem privilegio præcipit,
" ' dicens, 'Tuæ fraternitatis denunciamus quatenus
" ' ecclesias Dei per Brittanniam dispositas tua ipsius
" ' et sanctorum apostolorum auctoritate protegas,
" ' ne quis pervasor cujuscumque ordinis a Deo
" ' et nobis constituta privilegia subruat; inter quas
" ' eam quæ nuperrime a venerabili viro Eguuino
" ' nostra et regia auctoritate constituta est tuæ ditioni
" ' præcipue submittimus, ut tibi et posteris tuis
" ' potestate divinitus concessa ab omni eam adversa-
" ' riorum impugnatione liberam in perpetuum reddas.'
" Quum igitur gratia vestri et in privilegio nostro
" domino Cantuariensi præcipitur ut privilegia nostra
" et ecclesiam nostram protegat et defendat, quis
" dixerit hoc abbati nostro pro propria ecclesia[1] et in
" proprio privilegio non esse injunctum? maxime quum
" absurdum esset archiepiscopum, qui nos tueri tene-
" tur, propter hoc ad synodum episcopi venire. Re-
" linquitur ergo abbati faciendum, quod facere non
" potest archiepiscopus, ut videlicet abbas intersit
" synodo episcopi ad tuitionem privilegiorum nostro-
" rum, et hoc auctoritate domini papæ, non aliqua sua
" propria necessitate. Quod autem dicit Alexander
" quod Wigornenses episcopi his contenti sint quæ
" antecessores nostros antecessoribus suis constat ratio-
" nabiliter exhibuisse, quum non constet antecessores
" nostros antecessoribus suis aliquid rationabiliter ex-
" hibuisse et jam productionibus testium sit renuntia-
" tum, et non probaverunt aliquid fuisse eis rationabi-
" liter a prædecessoribus nostris exhibitum, constat nos

[1] *ecclesia*] et in propria ecclesia, *added in the text, but marked beneath with the signs of erasure.*

A.D. 1205. " nihil debere eis exhibuere. Non enim hoc nomen " *quæ* hic aliquid implicat nec implicite ponitur, sed " magis quasi sub conditione dicitur, ut is sit sensus, " quod Wigornenses episcopi his contenti sint *quæ*, " id est, *si quæ*, antecessores nostros antecessoribus suis " constat rationabiliter exhibuisse. Si enim domino " papæ constitisset quod antecessores nostri anteces- " soribus episcopi aliquid impendissent, illud expres- " sisset. Sed quia de nullo exhibito vel exhibendo ei " constitit, ideo sub conditione dixit, et probandum " quod esset exhibendum episcopo reliquit. Ergo quum " nihil probavit exhibitum, nihil est exhibendum." Et ad hanc interpretationem confirmandam quasdam leges quas a domino Assone, tunc temporis legum dominorum domino Bononiæ, non sine pretio didiceram, induxi. Quum igitur conclusissem, et placuisset ei simulque assidentibus, ut mihi videbatur, dixit mihi dominus papæ, " Visne amplius allegare?" Et ego, " Pater sancte, sufficit mihi: peto sententiam, nisi ad- " versarius noster aliud dixerit." Et respiciens ad adversarium nostrum, dixit, " Renuncias tu allegationi- " bus?" Et ille, " Renuncio." Et dominus papa, " Discedite, et scribite nobis summatim allegationes " vestras, et detis nobis hac die, et confidite in Do- " mino, et per gratiam Dei in brevi habebitis senten- " tiam." Et recedentes uterque nostrum seorsum suas scripsit allegationes, nos vero brevius quam hic sint scriptæ et subtilius et melius, et tradidimus eas domino papæ in vespera.

De jejunio orationibus et eleemosynis Thomæ monachi postquam in causa fuit conclusum et allegationibus renuntiatum.

Tunc bene sciens ego quod jam ad humanas rationes nullus erat recursus, ad divina præsidia, sanctorum videlicet suffragia, eleemosynas, orationes et jejunia sum conversus. Erat autem feria quinta, dies scilicet Jovis.

ante Nativitatem Domini, quæ instante die Dominica erat celebranda, et circuivi loca sanctorum commendans eis me et causam ecclesiæ meæ, et cuilibet egeno tam petenti quam non petenti de bonis ecclesiæ conferens, in continua oratione jejunus permansi usque ad sabbatum postquam lata fuit pro nobis sententia. Sabbato vero summo mane accessi ad curiam, et cujuslibet cardinalis ingredientis pedes tenens magis lachrymis quam verbis motum animi mei indicavi, ut scilicet servorum suorum et ecclesiæ suæ misererentur. Supplicavi et tam miserabiliter quod non solum cardinales sed etiam adversarii mei et omnes qui me viderunt mei miserebantur. Tandem perseverante me in oratione, circa horam diei nonam exivit de thalamo dominus papa cum cardinalibus. Et quum sedisset, vocati sumus procuratores Eveshamiæ et Wigorniæ, et confortatus sum eo quod præponerent me adversario meo in casu illo, quamvis fere semper ita consueverant apparitores, multotiens enim benefeceram eis ut liberiorem haberem ingressum; idem enim ibi sunt apparitores et ostiarii. Et quum staremus sicut consuevimus ex adverso ad invicem, dixit dominus papa, "State simul " in medio. Jam enim non est lis inter vos[1] quia paci- " ficata omnia sunt." Et non intellexi primum quid loqueretur, sed postquam Spiritus Sanctus datus est nobis per sententiam domini papæ omnia nuda et aperta erant oculis meis. Et quum conjungeremur, dixit dominus papa:— A.D. 1205.

De sententia domini papæ et adventu magistri Adæ monachi ad curiam.

" Causam quæ vertebatur inter venerabilem fratrem " nostrum Wigornensem episcopum et dilectos filios " nostros abbatem et conventum Eveshamiæ super sub- " jectione et exemptione cœnobii Eveshamensis dili- Sentence pronounced in favour of the monastery, 24 Dec. 1205.

[1] *vos*] nos, MS.

A.D. 1205. " gentissime examinavimus, et inspectis privilegiis et " attestationibus et perspicaciter intellectis, eam sen- " tentialiter determinavimus et in scriptum redigi " fecimus, et præter consuetudinem nostram per scrip- " turam eam recitari volumus." Et surgens magister Philippus primus notariorum, postea Trojanus episcopus, dixit, " Abbati et fratribus Eveshamensis cœ- " nobii," etc. Et quum audissem quod scriberet nobis, revixit spiritus meus. Novi enim modum scribendi domini papæ per moram quam feceram in curia, quod multum profuit causæ nostræ, quia non scriberet nisi victori. Unde quum episcopus habeat eandem sententiam quam et nos, procurator ejus non potuit impetrare ut in sententia episcopi scriberet episcopo, sed nobis sicut et in nostra. Et quum legisset sententiam latam pro nobis, ivimus ad pedes domini papæ tam victus quam victor, ut mos est, gratias agentes, et quum inclinarem me ad osculandum pedes domini papæ tum præ gaudio tum præ jejunio defecit spiritus meus et factus sum fere exanimatus, ita quod non potui surgere, et præcepit dòminus papa ut sublevarer. Et quum jam quasi a gravi somno evigilassem, dixit dominus papa ut acciperem notam et diligenter inspicerem si forte quid esset corrigendum et nunciarem ei, et, accepta benedictione, cum nota recessi gaudens. Et quum venissem ad ostium, inveni magistrum Adam Sortem stantem, qui venerat tunc ab Anglia cum quibusdam instrumentis, et suscepto eo in osculo pacis, quum simul cibum sumpsissemus, confortati sumus, gratias agentes Deo pro omnibus beneficiis Suis, Qui fecit nobiscum secundum magnam misericordiam Suam, Qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

Marleberge faints for joy and through long fasting.

Transcripta privilegiorum quorum auctoritate sententia lata fuit pro exemptione Eveshamensis ecclesiæ. A.D. 1206.

In hoc loco tam ipsa privilegia quorum auctoritate sententia pro nobis lata est quam ipsam sententiam per quam quasi ab Ægyptiaca servitute liberati sumus, huic scripto interserenda bonum et utile putavi.

Primum privilegium Constantini papæ.

Bull of pope Constantine, A.D. 709.

Constantinus episcopus servus servorum Dei Brithwaldo[1] Brittanniarum primati salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilem virum Ecgwinum episcopum, quem bis tua fraternitas ad apostolicam sedem misit, etiam nunc secundo manipulis justitiæ refertum tibi remittimus, monentes quatenus sic suos effectus adjuvando prosequaris, sicuti illum a Deo incepisse et in via Dei cucurrisse cognovisti. Porro de visione illa, immo aperta ostensione, qua se beata virgo Maria ei manifestavit æque ita certum esse teneamus quemadmodum de viri bonitate non dubitamus. Denique vigilantiam tuam admonemus quatenus illis in partibus in quibus manifestatio habita fuisse refertur, concilium[2] totius Angliæ cogas, episcopos sacrique ordinis religiosas personas illuc convenire facias, optimatesque regni cum proceribus suis adesse præcipias. Quibus in nomine Domini congregatis denunciamus quod duo reges Angliæ Kenredus et Offa cum quibus jam dictus episcopus ad limina apostolorum venit in loco ostensæ visionis plurima de suis beneficiis in præsentia nostra regia libertate donata et apostolica auctoritate confirmata contulerunt, quatenus ibidem congregatio monachorum secundum regulam memorandi patris Benedicti, quæ minus in illis partibus adhuc habetur, possit instaurari et indesinenter Christo famulari. Ipsas autem donationes et beneficia præfati reges in ipsorum privilegio nominatim determinaverunt et a nobis corroborari fecerunt. Igitur, frater dilecte, quoquomodo Christus annuncietur lucrum Christi inquire,[3] opus Christi exerce, promulgatisque in concilio undique[4] sententiis tum a Deo ostensæ

[1] *ecclesiarum* struck out in MS.; *ecclesiæ* inserted in Cotton Vesp. B. xxiv., fol. 74.

[2] *concilium*] consilium, MS.; concilitium, Vesp.

[3] *inquire*] require, Vesp.

[4] *undique*] om. Ibid.

A.D. 1206. [709.] visionis, tum apostolicæ auctoritatis, tum regiæ libertatis et donationis, tum tui ipsius clerique et populi assensus et favoris, constitue ovile Christo, divinitus ostensum, apostolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, cleri et populi benedictione sancitum. Tibi autem et successoribus tuis, memorato episcopo Ecgwino assentiente, curam animarum ejusdem ecclesiæ præcipue injungimus ut si, quod absit, aliquo diaboli impulsu quisquam pervasor aut tyrannus sacrum locum minuere aut impugnare præsumpserit, tibi a Deo concessæ potestatis sententia et anathematis percussus verbere, complere non audeat; si quid vero sinistræ partis inibi compertum fuerit oriri, auribus summi pontificis patriæ potius deferatur quam per alicujus occultam sententiam sanctus locus depravetur injuste. Ipsum ergo locum quem regia potestas regiæ libertati donavit et nos auctoritate Dei et sanctorum apostolorum et nostra donamus, ut nullus cujuscumque ordinis homo hoc quod constituimus depravare aut minuere præsumat. Qui hoc destruxerit aut male contaminaverit, sit ille maledictus. Qui vero conservaverit [1] et adauxerit, benedictionibus repleatur. Scripta est hæc epistola anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo nono in ecclesia Salvatoris Lateranensi, præcipiente et confirmante Constantino apostolicæ sedis antistite, astantibus et confirmantibus regibus Angliæ Kenredo et Offa, rogante venerabili viro Ecgwino episcopo coram archiepiscopis et episcopis et principalibus [2] et nobilibus diversarum provinciarum, cunctis clamantibus et dicentibus, Quicquid in hac constitutione vestra sanctitas exercet, laudamus, concedimus et confirmamus. ✠Ego Constantinus Romanæ sedis episcopus per signum sanctæ crucis has donationes et libertatem confirmavi. ✠ Ego Ecgwinus [3] humilis episcopus confirmavi. ✠ Ego rex Kenredus corroboravi. ✠Ego rex Offa consensi.

Secundum privilegium Constantini.

Second Bull of Constantine. A.D. 713.

Constantinus episcopus servus servorum Dei Britwaldo Brittanniarum [4] primati salutem et apostolicam benedictionem. Divina dispensatione ad hoc promoti ut apostolica auctoritate paci ecclesiarum insistamus, tuæ fraternitati denunciamus qua-

[1] *conservaverit*] servaverit, Vesp. B. xxiv.

[2] *coram archiepiscopis*] coram pluribus archiepiscopis. Ibid.

[3] *Ecgwinus*] Egwinus. Ibid.

[4] *Brittanniarum*] Brithanniarum. Ibid.

tenus ecclesias Dei per Brittaniam dispositas tua ipsius et sanctorum apostolorum auctoritate protegas, ne quis pervasor cujuscunque ordinis a Deo et nobis constituta privilegia subruat. Inter quas[1] eam quæ nuperrime a venerabili viro Ecgwino[2] nostra et regia auctoritate constituta est tuæ ditioni præcipue[3] submittimus, ut tibi et posteris tuis potestate divinitus concessa ab omni eam adversariorum impugnatione liberam in perpetuum reddas. Justum enim nobis videtur ut quoniam isdem venerabilis Ecgwinus[4] exemplum Domini [secutus][5] se humiliando inibi effectus est abbas, iccirco hæc ecclesia, secundum quod per legatum suum Ethelwoldum[6] expetiit, ampliorem dignitatem a nostra sede sui merito obtineat. Constituimus ergo in nomine Domini ut isdem locus sub monarchia proprii abbatis sit liber ab omni tyrannica exactione, et nullus cujuscunque ordinis homo aliquod gravamen ibi inferre audeat. Defuncto autem abbate, secundum canonicam auctoritatem vel de ipso monasterio vel de parochia Wictiorum abbas a fratribus ejusdem loci eligatur, qui in eadem ecclesia libere et canonice sine aliqua exactione consecratus, ob reverentiam venerabilis Egwini annulo in celebratione missarum solummodo utatur, primumque locum post Wictiorum præsulem nostra auctoritate jugiter obtineat. Si quis igitur hoc privilegium infringere voluerit, sive in loco monachorum clericos immittere tentaverit, coram Deo et angelis Ejus in perpetuum sit anathema. Si quis vero hanc nostram auctoritatem servaverit, conservet eum Deus in æternum. Scripta est hæc epistola anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo tertiodecimo, præsidente apostolicæ sedi papa Constantino et ✠ hoc signum sanctæ crucis propria manu faciente. A.D. 1206. [713.]

Privilegium Innocentii secundi.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Reginaldo[7] abbati Eveshamensis monasterii ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non est[8] differenda petitio. Hoc nimirum intuitu, dilecte in Domino fili Reginalde abbas, tuis justis postulationi- A.D. 1138. 16 April.

[1] *etiam*, added in Vesp. B. xxiv.
[2] *Ecgwino*] Egwino. Ibid.
[3] *præcipue*] om. Ibid.
[4] *Ecgwinus*] Egwinus. Ibid.
[5] *secutus*] Ibid.
[6] *Ethelwoldum*] Ethelwaldum. Ibid.
[7] *Reginaldo*] Reinaldo. Ibid. fol. 74 b.
[8] *est*] om. Ibid.

A.D. 1206. [1138.] bus impertimur assensum, et monasterium Eveshamiæ cui, Deo auctore, præsides, quod a tempore fundationis suæ sedes apostolica specialibus decrevit privilegiis honorandum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, idem locus inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Sepulturam quoque ejusdem loci liberam esse omnino decrevimus, ut eorum qui se ibi sepeliri deliberaverint devotioni et extremæ voluntati nullus obsistat. Sancimus etiam ne in vestra abbatia aut in capellis vestris aliquis episcopus [synodum][1] vel capitula aut ordinationes aut missas publicas nisi invitatus ab abbate illius loci vel a fratribus celebrare præsumat. Oblationes etiam quæ in eadem abbatia vel in cæteris ecclesiis vestris ad manum pontificis vel cujuslibet ibi missam celebrantis offeruntur vestris usibus cedant, nec eisdem personis eas sibi retinere aut clericis vel laicis distribuere liceat. Decimas insuper quas hucusque canonice obtinuistis in refectiones pauperum vel in ædificia et ornamenta ecclesiarum, distribuendi juxta consuetudinem apud vos hactenus habitam liberam vobis concedimus facultatem. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, nisi forte certis ex causis excommunicati sint, absque alicujus contradictione ad conversionem suscipere, et ea quæ de jure suo legitime secum attulerint usibus monasterii cedant. Prohibemus sane ne altaria, cœmiteria, decimæ, et quæcunque alia ejusdem monasterii juris existunt, a quolibet auferantur vel minuantur, nec pro communi terræ interdicto vestrum monasterium a divinis vacet officiis, sed clausis januis, exclusis excommunicatis vel interdictis, divina liceat vobis officia submissa voce celebrare, et debita sepulturæ tam vobis quam famulis vestris impendere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres ejusdem[2] loci communi assensu vel fratrum pars consilii[3] sanioris elegerint. Qui in eadem ecclesia absque omni exactione, a quocunque malucrit benedicatur episcopo, dum tamen[4] catholicus sit et gratiam sedis apostolicæ[5] habeat et

[1] *synodum*] Vesp. B. xxiv., fol. 74 b.
[2] *ejusdem*] ejus. Ibid.
[3] *consilii*] concilii, MS.
[4] *tamen*] dummodo, Vesp. B. xxiv.
[5] *sedis apostolicæ*] Romanæ sedis. Ibid.

communionem. Sane dignitates et libertates omnes sancto Ecgwino[1] episcopo ipsius[2] loci fundatori ac postmodum abbati ab apostolica sede concessas et scripto confirmatas, consuetudines etiam quas peculiares ejus merito hucusque tenuistis in parochiis, in processionibus, in ordinationibus, inconvulsas vobis manere sancimus. In chrismate ab episcopo accipiendo et per ecclesias vestras gratis distribuendo, sicut hucusque consuevistis teneatis. Statuimus insuper, ac, prædecessoris nostri felicis memoriæ Constantini papæ vestigiis inhærentes, decrevimus[3] ut solummodo penes te et successores tuos totius domus et ecclesiæ tuæ et aliorum locorum ad eandem ecclesiam pertinentium pastoralis cura consistat, et eorundem ordinatio, sicut hactenus est observatum, in tua et successorum tantum tuorum potestate permaneat, salva per omnia sedis auctoritate apostolicæ. Si quis sane in posterum hanc nostram constitutionem sciens contra eam temere venire tentaverit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, et a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantes autem hæc, omnipotentis Dei et beati Petri ac Pauli apostolorum Ejus gratiam consequantur. Amen, Amen, Amen.[4] Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus subscribo.[5] Ego Lucas presbyter cardinalis tituli sanctorum Johannis et Pauli subscribo. Datum Laterani per manum Almerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii, sexto decimo kalend. Maii, indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo tricesimo octavo, pontificatus domini Innocentii papæ secundi anno decimo. A.D. 1206. [1138.]

Privilegium Alexandri tertii.

A.D. 1163. June 5.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Adæ abbati monasterii Eveshamensis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quocirca, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium in quo divino mancipati

[1] *Ecgwino*] Egwino, Vesp. B. xxiv.
[2] *ipsius*] ejusdem. Ibid.
[3] *decrevimus*] decernimus. Ibid.
[4] Amen. ✠ Ibid.
[5] ✠ Ibid.

A.D. 1206. [1163.] estis obsequio, et prædecessoris nostri felicis memoriæ Innocentii papæ vestigiis inhærentes sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, idem monasterium inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Decimas fructuum vestrorum a quadraginta annis ab ecclesia vestra canonice et inconcusse possessas, in refectiones pauperum vel in ædificia et ornamenta ecclesiarum, distribuendi, juxta rationabilem consuetudinem apud vos hactenus habitam, liberam vobis concedimus facultatem. Liceat vobis insuper clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes, absque alicujus contradictione ad conversionem suscipere, et ea quæ de jure suo legitime secum attulerint usibus monasterii cedant. Prohibemus sane ne altaria, cœmeteria, decimæ et quæcunque alia ejusdem monasterii juris existunt, a quolibet auferantur vel minuantur. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen canonica justitia ecclesiarum illarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Quum autem commune interdictum [terræ][1] fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu vel fratrum pars consilii[2] sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Sane dignitates et libertates omnes sancto Ecgwino[3] episcopo ejusdem[4] loci fundatori ac postmodum abbati ab apostolica sede concessas et scripto confirmatas, consuetudines etiam quas peculiares ejus merito rationabiles hucusque tenuistis, in parochiis, in processionibus, in ordinationibus, inconvulsas vobis manere sancimus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque malueritis suscipietis episcopo, sicut est hactenus observatum,[5] dummodo

[1] *terræ*] Vesp. B. xxiv.
[2] *consilii*] concilii, MS.
[3] *Ecgwino*] Egwino. Vesp. B.
[4] *ejusdem*] ipsius. Ibid.
[5] *sicut . . observatum*] om. Ibid.

episcopus catholicus sit et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habeat, et ea gratis et absque pravitate vobis velit exhibere. Statuimus etiam ut Wigornenses episcopi a vobis aliquid injuste non exigant, sed his tantum contenti sint quæ antecessores vestros antecessoribus suis constat rationabiliter exhibuisse. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. A.D. 1206. [1163.]

Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et a sanguine Dei et Domini nostri Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus [et][1] hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.[2] ✠ Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus subscribo.[3] ✠ Ego Hubaldus Hostiensis episcopus subscribo. ✠ Ego G.[4] Albanensis episcopus subscribo. ✠ Ego Henricus presbyter cardinalis[5] subscribo. ✠ Ego Johannes presbyter cardinalis[6] subscribo. ✠ Ego presbyter W. cardinalis[7] subscribo. ✠ Ego Jacinctus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmidin subscribo. ✠ Ego Odo diaconus cardinalis sancti Nicholai in Carcere Tullii subscribo. ✠ Ego Johannes diaconus [cardinalis][8] sanctæ Mariæ in Porticu subscribo. Datum Turonis per manum Hermanni sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi et notarii, nonas Junii, indictione undecima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo sexagesimo tertio, pontificatus vero domini Alexandri papæ tertii anno quarto. Amen, amen, amen.[9]

---

[1] *et*] Vesp. B. xxiv.

[2] *Amen . . . amen*] Amen. Ibid.

[3] *subscribo*] subscripsi, *throughout.* Ibid.

[4] *G.*] Walterus ; (placed as sixth signature.) Ibid.

[5] titulo sanctorum Nerei et Achillei. Ibid.

[6] titulo sanctæ Anastasiæ. Ibid.

[7] Willielmus presbyter titulo sancti Petri ad Vincula. Ibid.

[8] *cardinalis*] Ibid.

[9] *Amen . . . amen.*] om. ibid.

Indulgentia Clementis Papæ.

A.D. 1206. Indulgence of pope Clement III. 10 July, 1189.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Adæ[1] abbati et fratribus sancti Ecgwini[2] Eveshamensis monasterii salutem et apostolicam benedictionem. Largitione nostri muneris et gratiæ eos duximus decorandos quos fidei meritum ac devotionis constantia nobis reddunt acceptos, et qui, nullo mediante, ad jurisdictionem beati Petri et nostram specialiter pertinere noscuntur. Hac itaque ratione inducti et devotionis et fidei vestræ intuitu provocati, tibi, fili abbas, sicut ex gratia et liberalitate sedis apostolicæ tu et successores tui usum chirothecarum et annuli habetis, ita quoque usum mitræ, dalmaticæ, tunicæ, et sandaliorum[3] de consueta clementia et benignitate ejusdem[4] sedis apostolicæ duximus concedendum, indulgentes ut his omnibus in solemnibus diebus infra monasterium tuum et obedientias ejus, in processionibus quoque ipsius monasterii, in conciliis Romani pontificis et legati ejus, atque in synodis episcoporum incunctanter utaris.[5] Datum Laterani, sexto Idus Julii, pontificatus nostri anno secundo. Amen, amen, amen.[6]

Indulgentia Celestini Papæ.

Indulgence of pope Celestine III. 13 Jan. 1192.

Celestinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rogero abbati et fratribus sancti Ecgwini[7] Eveshamensis monasterii salutem et apostolicam benedictionem. Largitione nostri muneris et gratiæ eos duximus decorandos quos fidei meritum ac devotionis constantia nobis reddunt acceptos, et qui, nullo mediante, ad jurisdictionem beati Petri et nostram specialiter pertinere noscuntur. Hac itaque ratione inducti et devotionis et fidei vestræ intuitu provocati, tibi, fili abbas, et successoribus tuis, sicut ex gratia et liberalitate sedis apostolicæ tu et successores tui usum mitræ et annuli habetis, ita

---

[1] *Adæ*] Rogero, Vesp. B. xxiv. f. 75. It is clear from the date of this document that the abbot addressed was Adam, the predecessor of Roger Norreys, according to the reading of the text. The Indulgence is printed in the Monasticon (vol. ii. p. 19.) from the Cotton MS. with the name of Roger.

[2] *Ecgwini*] Egwini. Ibid.

[3] Necnon et vestimenta sacerdotalia benedicendi. Ibid. Inserted from the following Indulgence in which these words form the distinguishing clause.

[4] *ejusdem*] om. ibid.

[5] *utaris*] utamini. Ibid.

[6] *Amen . . . amen*] om. ibid.

[7] *Ecgwini*] Egwini. Ibid. f. 75 b.

quoque usum chirothecarum, dalmaticæ, tunicæ, et sandaliorum, nec non et vestimenta sacerdotalia benedicendi, de consueta clementia et de benignitate sedis apostolicæ duximus concedendum; indulgentes ut his omnibus in solemnibus diebus infra monasterium vestrum[1] et obedientias ejus, in processionibus quoque ipsius monasterii, in conciliis Romani pontificis et legati ejus, atque in synodis episcoporum incunctanter utamini; statuentis ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum Ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idus Januarii, pontificatus nostri anno primo. Amen, amen, amen.[2] A.D. 1206. [1192.]

Sententia Innocentii Papæ tertii super exemptione Eveshamensis cœnobii.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et fratribus Eveshamensis cœnobii salutem et apostolicam benedictionem. Ex ore sedentis in throno procedit gladius bisacutus. Quoniam ex ore Romani pontificis qui præsidet apostolicæ sedi rectissima debet exire sententia, quæ contra justitiam nulli parcat sed reddat quod suum est unicuique. Quum igitur inter vos et venerabilem fratrem nostrum Wigornensem episcopum super monasterii vestri subjectione ac libertate controversia verteretur et nos eam examinandam commisissemus judicibus delegatis, ipsi eandem causam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remiserunt, certum partibus terminum præfigentes quo cum instrumentis et attestationibus nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in præsentia nostra per procuratores idoneos constitutis, audientiam præbuimus liberam et benignam. Et quidem monasterii vestri proposuit procurator quod idem monasterium ab ipsa sui fundatione liberum exstitit et exemptum, ad hoc probandum privilegia prædecessorum nostrorum inducens, duo videlicet Constantini, unum Innocentii, et alterum Alexandri, nec non indulgentias Clementis et Celes- The judicial decree of Innocent III., 18 Jan. 1206.[3]

[1] *vestrum*] om. Vesp. B. xxiv. f. 75b.

[2] *Amen . . . amen*] om. ibid.

[3] This is the date of the day on which the decree was finally signed and sealed ("quum sententiam haberemus bullatam," says our author, *infra*, p. 184); the day on which sentence was first pronounced was, as we have seen at p. 169, 24 Dec.

A.D. 1206. tini, quorum usum continuum a longis retro temporibus per depositiones testium ostendere nitebatur. In primo siquidem privilegio Constantini continebatur expressum quod sanctæ recordationis Ecgwinus[1] Wigornensis episcopus ad apostolicam sedem accedens, visionem quandam qua se beata Virgo Maria manifestavit eidem præfato prædecessori nostro reverenter exposuit, et tunc temporis duo reges Anglorum Kenredus et Offa cum quibus jam dictus episcopus apostolorum limina visitavit, in loco visionis ostensæ de bonis suis plurima beneficia in præsentia ejusdem prædecessoris nostri regia libertate donarunt, quæ ipse auctoritate apostolica confirmavit, quatenus in eodem loco monachorum congregatio secundum beati Benedicti regulam, quæ minus in illis partibus tunc vigebat, ad Divini Nominis constitueretur honorem. Unde præfatus pontifex Brithwaldo Brittanniarum primati per apostolica scripta mandavit ut coadunato concilio[2] constitueret ovile divinitus præostensum, apostolica auctoritate munitum, regia libertate donatum, sibi et successoribus suis, (memorato Ecgwino[3] episcopo assentiente,) curam animarum ejusdem ecclesiæ præcipue injungendo, ut ab omni pervasorum impulsu et tyrannorum incursu potestate sibi tradita defensaret; si quid vero sinistræ partis inibi comperiretur oriri, ejusdem primatis auribus potius deferretur quam per alicujus occultam sententiam locus sanctus depravaretur injuste. Ipsum ergo locum quem antedicti reges libertati donarunt, idem prædecessor noster apostolicæ sedis auctoritate donavit, ut nullus cujuscumque ordinis homo quod ipse constituerat depravare aut diminuere attentaret. In secundo vero privilegio ejusdem Constantini papæ perspeximus contineri quod ipse præfato primati per apostolica scripta mandavit, ut ecclesias Dei per Brittanniam constitutas protegeret et foveret. Inter quas eam quæ nuperrime tunc a venerabili viro Ecgwino[3] episcopo apostolica et regia auctoritate fuerat constituta ditioni ejus præcipue submittebat, ut eam ab omni adversariorum impugnatione liberam inperpetuum reddere procuraret, constituens ut idem locus sub monarchia proprii abbatis ab omni tyrannica exactione sit liber, et nullus cujuscumque ordinis homo aliquod ibi inferre gravamen præsumat. Abbas autem secundum auctoritatem canonicam vel de ipso[4] monasterio vel de parochia Wictiórum a fratribus eligatur, qui libere ac canonice sine aliqua exactione in eadem

[1] *Ecgwinus*] Egwinus. Vesp. B. xxiv. f. 76.

[2] *concilio*] consilio, MS.

[3] *Ecgwino*] Egwin. Vesp.

[4] *ipso*] om. ibid.

ecclesia benedictus, ob reverentiam venerabilis Ecgwini,[1] qui episcopali sede dimissa in eodem monasterio factus est abbas, annulo in celebratione solummodo missarum utatur, primumque locum semper obtineat post præsulem Wictiorum. Ex horum[2] privilegiorum capitulis monasterii vestri procurator nitebatur ostendere quod ipsum monasterium a prima sui fundatione ab omni episcopali jurisdictione fuit prorsus exemptum, tum quia dicitur apostolica tantum et regia auctoritate constructum (unde i. non nisi ad apostolicam sedem in spiritualibus et regiam coronam in temporalibus intelligitur pertinere, quum summus pontifex non consueverit aliquod monasterium ut sua construatur auctoritate mandare, nisi quod in fundo sibi donato fuerit construendum); tum quia locum ipsum quem reges donasse dicuntur regiæ libertati et ipse donavit, ut, sicut illi ii. donaverunt eum libertati quantum ad temporalia, sic et iste quantum ad spiritualia intelligatur libertati donasse, quum ad illos utique temporalia, ad istum spiritualia pertinerent; tum iii. etiam quia curam animarum ejusdem ecclesiæ præcipue injunxit Brittanniarum primati, quam et ditioni ejus præcipue dicitur submisisse, ut siquid ibi oriretur sinistri, per ipsius corrigeretur industriam et cautelam (unde videtur correctionem ipsius loci ei solummodo commisisse, sicque ad alium minime pertinere); tum quia præfatum locum sub monarchia iv. proprii abbatis manere decrevit, unde quum *monarchia* interpretetur *unicus principatus*, videtur quod abbas ipsius loci solus in eodem loco principalem obtinet potestatem. Quod autem privilegiorum ipsorum verba intelligi debeant tali modo, sequentia privilegia manifestius declarare videntur. Nam in privilegio felicis memoriæ Innocentii continetur ne aliquis episcopus in ipsa abbatia vel in capellis ipsius synodum vel capitulum, ordinationes aut missas publicas, nisi invitatus ab abbate et fratribus ipsius loci celebrare præsumat. Et quum abbas in eodem monasterio fuerit electus, absque omni exactione a quocumque maluerit episcopo in ipsa benedicatur ecclesia, dummodo catholicus fuerit et gratiam habeat apostolicæ sedis. Idem etiam Innocentius, Constantini vestigiis inhærendo, decrevit, ut solummodo penes abbatem ipsius loci totius domus et ecclesiæ aliorumque locorum ad eandem ecclesiam pertinentium pastoralis cura consistat, et eorundem ordinatio tantum in ipsius potestate[3] permaneat, sicut est hactenus observatum. In privilegio vero Alexandri papæ perspicitur

A.D. 1206.

Arguments for exemption from the original foundation.

[1] *Ecgwini*] Egwini. Ibid.
[2] *horum*] horum ergo. Ibid.
[3] The imperfect register in Vesp. B. xxiv. ends here.

A.D. 1206. contineri, ut chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum qui ad sacros fuerint ordines promovendi, a quocunque maluerint episcopo communionem et gratiam apostolicæ sedis habente, fratres ejusdem loci suscipiant, statuto ut Wigornenses episcopi aliquid ab eis injuste non exigant, sed his tantum contenti permaneant, quæ antecessores eorum antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse. In fine vero subjungitur quod salva sit apostolicæ sedis auctoritas, nec dicitur quod diœcesani episcopi canonica sit salva justitia; quum in monasteriis non exemptis secundum approbatam ecclesiæ Romanæ consuetudinem diœcesanis episcopis canonica justitia conservetur. In indulgentiis autem bonæ memoriæ Clementis et Celestini patenter innuitur quod idem cœnobium ad jurisdictionem beati Petri nullo pertineat mediante, quum hoc in procœmio præmittentes sic inferant consequenter :—" hac itaque ratione inducti usum chirotheca-" rum et annuli, dalmaticæ, tunicæ, sandaliorum et mitræ tibi " duximus concedendum." Per id ergo quod pastoralis cura totius domus et ecclesiæ penes abbatem solummodo decernitur permanere, illud dilucidatur ab Innocentio quod fuerit a Constantino statutum, ut videlicet idem locus sub monarchia proprii abbatis liber existat. Unde quum pastoralis cura totius domus et ecclesiæ penes abbatem solummodo debeat permanere, patet profecto quod episcopus pastoralem ibi curam exercere non debet, quum et abbas illius loci absque omni exactione infra suam ecclesiam debeat benedici, unde nec professio nec obedientia debet ab illo requiri. Quia vero quædam ad pastoralem solicitudinem pertinentia per se ipsum abbas exercere non potest, ut nihil ei desit quod pertineat ad plenitudinem libertatis, conceditur illi ab Alexandro ut ecclesiastica sacramenta libere percipiat a quocumque maluerit episcopo communionem et gratiam apostolicæ sedis habente. Per id autem quod idem locus asseritur ad jurisdictionem beati Petri solummodo pertinere, sicut innuitur in indulgentiis Clementis et Celestini, videtur illud manifestius declaratum, quod Constantinus papa dicitur locum ipsum libertati donasse, tutelam ejusdem Brittanniarum primati tanquam vicario suo vel legato committens. Porro in privilegio Constantini quiddam contineri perspicitur per quod idem cœnobium videtur ad jurisdictionem episcopi pertinere, videlicet ut abbas ejusdem loci primum locum post Wictiorum præsulem semper obtineat, unde quum locum istum obtinere non possit in generali concilio, neque provinciali, quoniam absonum esset ut abbas primum post illum super alios episcopos resideret, relinquitur ergo quod locum istum in episcopali synodo intelligatur habere quare

tenetur ad synodum episcopalem accedere, ac per hoc ipsius statuta recipere ac servare. In privilegio vero Alexandri papæ quiddam aliud continetur, per quod diœcesanus episcopus in eodem cœnobio jurisdictionem suam etsi non in omnibus in quibusdam tamen retinuisse videtur, quum in illo dicatur, ut Wigornenses episcopi a fratribus ejusdem loci aliquid injuste non exigant, sed tantum his contenti permaneant quæ prædecessores eorum antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse, unde constat quod abbates episcopis aliquas de suis rationibus exhibere tenentur. Nos igitur, his et aliis diligenter auditis et perspicaciter intellectis, quum a neutra parte per testes præscriptio sit probata, de communi fratrum nostrorum consilio[1] sententialiter definimus quod Eveshamense cœnobium liberum in capite est, tanquam ab episcopali jurisdictione prorsus exemptum, soli Romano pontifici et ecclesiæ Romanæ subjectum, tutela tamen ipsius Cantuariensi archiepiscopo reservata. In membris autem, videlicet illis quæ non probantur exempta, diœcesano episcopo ipsum decernimus subjacere, propter quæ abbas ad synodum ejus debet accedere primumque locum post Wigornensem episcopum obtinere. Pro ipsis quoque membris, ut diximus, non exemptis, idem abbas tenetur Wigornensi episcopo exhibere reverentiam, obsequium, et honorem, quibus Wigornensis episcopus sibi competenter exhibitis debet manere contentus. Quia vero privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur libertate, volumus et mandamus ut quanto liberiores estis a servitiis secularibus, tanto vos arctius mancipetis divinæ per omnia servituti. Decernimus ergo ut nulli[2] hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis[3] infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum Ejus se noverit incursurum: Datum apud sanctum Petrum, quintodecimo Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno octavo. A.D. 1206.

[1] *consilio*] consensu, Harl. MS. 3763. f. 113.

[2] *nulli*] nulli omnino. Ibid.

[3] *definitionis*] definitionis, constitutionis, voluntatis et mandati. Ibid.

[Particula Quarta.]

A.D. 1206. *Incipit particula quarta, qualiter causa jurisdictionis vallis fuit actitata.*

18 Jan. Quum itaque talem sententiam apud nos quintodecimo Kalendas Februarii haberemus bullatam, propter varios hujus sæculi casus timens tanti thesauri amissionem, cupiens habere duplicem, quamvis ad hoc exactissimam adhibuissem diligentiam nec profecissem, tamen caute feci ipsam sententiam et non sine magno labore executioni a capite usque ad finem interseri, et sic propositum habui. Dum hæc agerentur bis intra Nativitatem Domini misit mihi dominus papa xenia de venatione sua. Tandem transactis aliquot diebus post Nativitatem Domini, dictum est nobis ex parte domini papæ, ut in tertium diem compareremus coram eo litigaturi de ecclesiis de valle. Et die statuto comparuimus, et proposuit adversarius noster ecclesias illas infra limites Wigornensis diœcesis esse sitas, et ideo de jure communi Wigornensi episcopo lege diœcesana esse subjectas, et ideo nos jurisdictionem ad episcopum de jure pertinentem injuste in illis exercere. Igitur quum jam rediissent ad urbem mercatores Romani qui iverant in Angliam cum abbate nostro pro quadringentis quadraginta marcis quas abbas mutuo acceperat nec recepissent eas sicut convenerat, et ego jam expendissem quinquaginta marcas quas mutuo acceperam, non inveni qui aliquid mihi mutuo daret, immo me ipsum observabant Romani ut caperent et mitterent in carcerem donec universum debitum solveretur, sicut prius fecerunt Ermesfredum monachum qui in eorum custodia mortuus est. Quum itaque hac de causa non haberem unde advocatos conducerem, invocantes auxilium de cœlo, in nos ipsos pondus litis suscepimus. Et dixi, " Pater sancte, bene dixisset adversarius noster nisi eccle- " siæ illæ per privilegia Romanorum pontificum ab omni

The question of the jurisdiction of the Valley appointed by the pope for hearing.

Marleberge likely to be arrested for debt, and obliged to plead his cause himself for want of means to fee advocates.

" jurisdictione episcopali essent exemptæ, et nisi etiam A.D. 1206.
" in eisdem omne jus episcopale præscripsissent. Quod
" autem sint exemptæ ita probo. Matrix ecclesia, vide-
" licet Eveshamensis quæ est caput, est exempta, ergo
" et capellæ vallis quæ sunt membra[1];" et ad hoc induxi leges et canones. Adversarius vero dixit, " Non sunt " capellæ sed matrices ecclesiæ, ergo non quasi membra " ratione capitis eximuntur;" et ad hoc induxit leges et canones. Tunc ego, " Immo capellæ sunt, quia " chrisma et oleum a nostra matrici ecclesia percipiunt, " et parochiani earum, immo magis ecclesiæ Evesha- " mensis, apud eam ecclesiasticam accipiunt sepulturam; " ergo capellæ sunt;" et induxi ad hoc canones. Tunc adversarius, " Pater sancte, in ecclesiis illis sunt " fontes baptismatis et non in ecclesia Eveshamensi, " ergo sunt baptismales et non capellæ;" et ad hoc induxit canones qui bene faciebant ad hoc. Tunc dominus papa intuens me dixit, " Procurator, dic verum; " sunt apud vos fontes vel apud ecclesias illas?" Et ego, " Non apud nos, sed apud ecclesias illas." Et dominus papa, " Dic aliud." Et sic hæc allegatio parum profuit mihi, sed si nos a quadraginta annis retro fontes habuissemus et non capellæ, sine dubio in causa obtinuissemus. Tum ego, " Pater sancte, in privilegio " Constantini papæ continetur, ' Ipsum ergo locum " ' quem regia potestas regiæ libertati donavit et nos " ' auctoritate Dei et sanctorum apostolorum et nostra " ' donamus.' *Locus* iste non tantum monasterium " sed etiam omnes possessiones ecclesiæ nostræ com- " plectitur, ut beneficium imperatoris amplissime et be- " nignissime interpretetur, nec verisimile est quod duo " reges Romam iverunt ut tantillum locum quantus " est situs abbatiæ nostræ summo pontifici et ecclesiæ " Romanæ conferrent et libertati donarent, quum in

[1] *membra*] menbra, MS.

A.D. 1206. " eodem privilegio contineatur quod ipsi reges in loco
" ostensæ visionis plurima de suis beneficiis in præsen-
" tia summi pontificis regia libertate donata et apostolo-
" lica auctoritate confirmata contulerunt. Ex quibus
" verbis colligi potest quod non tantillus locus, sed
" magis ita ampliatus, sit a summo pontifice libertati
" donatus. In cujus medio monasterium nostrum quasi
" cor in corpore situm est. Nam in privilegiis regum,
" sicut ex eorum inspectione manifeste patebit, tota
" vallis libertati donatur, et summus pontifex eundem
" locum dat libertati quoad spiritualia quem reges
" dederunt libertati quoad temporalia." Hæc ideo dixi, non tantum quia revera ita se res habebat, sed etiam ut causa dilationem caperet donec privilegia regum exhiberentur; quod et ita factum est. Et adjeci, " Quod autem hoc privilegium ita intelligi
" debeat in privilegio Innocentii papæ manifeste de-
" claratur, ubi dicitur, 'Statuimus insuper ac præ-
" 'decessoris nostri felicis memoriæ Constantini papæ
" 'vestigiis inhærentes decernimus, ut solummodo penes
" 'te et successores tuos totius domus et ecclesiæ tuæ et
" 'aliorum locorum ad eandem ecclesiam pertinentium,
" 'pastoralis cura consistat, et eorundem ordinatio in tua
" 'et successorum tuorum tantum potestate permaneat.'
" Ecce, manifeste ostenditur quod non tantum monasterium sed etiam membra[1] sunt exempta. Hoc idem
" etiam in eodem privilegio alibi patenter ostenditur
" ubi dicitur, 'Statuimus etiam ne in vestra abbatia
" 'aut in capellis vestris aliquis episcopus synodum aut
" 'capitula, aut ordinationes aut missas publicas nisi
" 'invitatus ab abbate illius loci vel a fratribus celebrare
" 'præsumat.' Quum itaque in ecclesiis non privilegiatis
" hæc diœcesanis episcopis exercere non possit denegari,
" constat quod capellæ illæ eodem gaudent privilegio
" quo et matrix ecclesia, cum qua hoc privilegium sunt

[1] *membra*] menbra, MS.

" adeptæ et infra limites parochiæ ejus constitutæ. A.D. 1206.
" Præterea tam ab Innocentio quam ab Alexandro con-
" ceduntur et confirmantur nobis peculiares consuetu-
" dines quas habemus in parochiis, in processionibus, in
" ordinationibus, ut sicut hucusque consuevimus eas
" teneamus; sed in parochiis omnium ecclesiarum de
" quibus agitur (sicut in possessorio judicio pro nobis
" est sententiatum) hucusque tales habuimus peculiares
" consuetudines, quod decanus ecclesiæ nostræ ab abbate
" nostro de consensu nostro constitutus de omnibus
" causis tam majoribus quam minoribus in eis emer-
" gentibus cognoscit, et abbas noster publicas pœnitentias
" injungit. Processionem etiam Pentecostalem, quæ
" tantum est cathedralium ecclesiarum, hucusque ab
" illarum ecclesiarum parochianis in ecclesia Eveshamensi
" auctoritate istorum privilegiorum annuatim susci-
" pimus, peculiari quadam consuetudine, more cathe-
" dralium ecclesiarum. Ordinationes etiam earundem
" ecclesiarum habemus, quia in eis personas et vicarios
" instituimus; quæ omnia per testes omni exceptione
" majores non tantum ex parte nostra productos, sed
" etiam per clarissimos et authenticos viros ex parte
" episcopi productos, nos auctoritate horum privilegiorum
" hæc fecisse probatum est. Quum igitur hæc jura
" episcopalia auctoritate ecclesiæ Romanæ in his ecclesiis
" habeamus, nihil potestatis vel jurisdictionis episcopalis
" relinquitur episcopo, quare eas sicut membra[1] cum
" capite suo, ecclesia scilicet Eveshamensi, dico ex-
" emptas. Verum adhuc alia in privilegio Alexandri
" papæ continentur per quæ manifeste ostenditur ecclesias
" illas simul cum monasterio ab omni jurisdictione
" episcopali esse exemptas. Dicit enim, ' Chrisma vero,
" ' oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes
" ' clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi,

[1] *membra*] menbra, MS.

A.D. 1206. " 'a quocunque malueritis suscipiatis episcopo.' Sed " quum in majori ecclesia nostra tantum simus mo- " nachi, neç chrismate nec oleo sancto nec ordinatione " clericorum propter nos nisi ratione subditorum indi- " geamus ; relinquitur quod ratione ecclesiarum aliarum " et rectorum et parochianorum hæc percipiamus, sicut " dicit Innocentius, qui peculiares consuetudines in " chrismate accipiendo et per ecclesias nostras distri- " buendo nobis confirmat. Quod quum secundum jus " canonicum non exemptis nisi a suo episcopo hæc " accipere non liceat, sequitur quod tam clerici quam laici " qui hæc a nullo specialiter episcopo suscipere tenentur " nullo diœcesano subjiciantur, sed magis cum illa ecclesia " a qua hæc percipiunt ab omni diœcesani episcopi " jurisdictione sint exempti, quum et, secundum idem " privilegium, altaria earundem ecclesiarum a quocunque " maluerimus possint consecrari episcopo, quod secun- " dum canones in ecclesiis non exemptis non licet. " Præterea quum ex his ecclesiis maxima libertatis nostræ " utilitas oriatur et dependeat, ex quarum fructibus " maxime sustentamur, quid proderit nobis hæc libertas " si illas amiserimus ex quibus emolumentum[1] liber- " tatis suscipimus, quum ex earum amissione pauperes " efficiamur. Præter hæc, Pater sancte, vehementer " admiror qua fronte episcopus adhuc petit sibi subjici " duas ecclesias Eveshamiæ, quas constat esse sitas infra " ambitum monasterii nostri et muros cœmiterii nostri, " quarum una non distat a matrici ecclesia nisi per novies " viginti pedes, altera vero tantum per quadraginta sex " pedes, quum jam vestri gratia per sententiam vestram " declaratum sit saltem illum tantillum locum ubi situm " est monasterium nostrum esse liberum et exemptum, " quare illas ut in loco libero sitas dico exemptas." Tunc dominus papa conversus ad adversarium dixit ei,

Contiguity of the parish churches of Evesham to the abbey.

[1] *emolumentum*] emolimentum, MS.

" Responde his." Et adversarius, " Pater sancte, ego " nunquam in vita mea amplius super privilegiis " summi pontificis disputabo, sed vos cujus est con- " dere pro voluntate vestra interpretamini ea." Tum dominus papa, qui multum favorabilis erat episcopo in hac ultima causa, dixit, " Videtur prima facie quod " privilegia Innocentii et Alexandri dependeant ex " privilegio Constantini, et sub tali conditione sint " ecclesiæ Eveshamensi concessa si vallis Eveshamiæ " in qua sitæ sunt illæ ecclesiæ sit ille locus quem " Constantinus papa dedit libertati." Et data benedictione præcepit ut recederemus donec super præscriptione dicturi alias vocaremur. Post aliquot dies iterum vocati comparuimus, et dixi, " Pater sancte, " quod per privilegia hujus sanctæ sedis ecclesiæ vallis " Eveshamiæ ab omni jurisdictione episcopali sint " exemptæ sufficienter, ut mihi videtur, pridie ostendi, " et quod similiter præscriptione tuti simus non credo " adversarium nostrum velle inficiari, quia diutina " possessio nostra, quæ memoria hominum excedit, " non tantum per testes ex parte nostra productos, " sed etiam per viros clarissimos et fide dignos ex " parte episcopi productos sufficientissime probatur;" et proferens rotulum nostrum incepi legere attestationes quæ ad hoc faciebant. Et dominus papa, tædio affectus, conversus ad adversarium nostrum dixit, " Num " opus est lectione attestationum? num præscripserunt?" Et dixit magister Robertus, " Revera præscripserunt." Et dominus papa, " Ut quid ergo laboramus?" Et adversarius, " Pater sancte, nos didicimus in scholis, et " hæc est opinio magistrorum nostrorum, quod non " currit præscriptio contra jura episcopalia." Et dominus papa, " Certe et tu et magistri tui multum " bibistis de cerevisia Anglicana quando hæc didicistis." Et quum magister Robertus adhuc idem affirmaret, iterum idem audivit responsum. Et quum adhuc magister Robertus idem probare niteretur per quosdam

A.D. 1206.

The bishop's advocate declines any further to attempt the interpretation of papal privileges.

Second hearing.

Enquiry into the prescriptive right of the abbey to jurisdiction in the Vale.

The English noted for their love of beer.

A.D. 1206. canones qui hoc dicere videbantur, et per quandam sententiam domini papæ quam jam triduo transacto tulerat contra canonicos Cenomanniæ de capella domini regis pro episcopo Cenomanensi, respondi ego, "Pater sancte, quædam sunt jura et officia episcopalia, "veluti dedicare ecclesias, conficere chrisma, conferre "sacros ordines, et his similia, quæ a nemine possunt "exerceri nisi ab episcopo, et ideo hæc non possunt "ab aliis privatis possideri, quare nec præscribi ut "aliæ personæ quam episcopo[1] unquam cohæreant: "forte in tali casu loquuntur canones illi quos ad- "versarius noster allegavit. Nos vero non petimus "quod hæc officia cohæreant personæ abbatis nostri, "sed ut alii quicunque episcopi sicut consuevimus "hæc apud nos possint exercere, Wigornensis autem "non. Et quum sit instar sacrilegii de sententia "vestra disputare, multo gravius peccatum illam per- "vertere, multum admiror quod adversarius noster "sententiam vestram aut pervertit aut male intelligit, "quia canonici Cenomanenses tantum diutinam posses- "sionem absque bona fide et justo titulo contra jura "episcopalia allegaverunt, et ideo non præscripserunt. "Nos vero ex privilegiis nostris et bonam fidem et "justum titulum habemus et diutinam possessionem "sicut adversarius noster confitetur, et ideo præscrip- "simus." Tunc iratus dominus papa eo quod magister Robertus tepide allegasset in casu isto, multum enim fovit partem ejus secundum justitiam in causa ista, dixit, "Audivimus quod ecclesia Wigornensis pluries "vacavit quam aliqua alia ecclesia Anglicana, unde "fortassis potest contingere quod subducto tempore "vacationis minime sit completa vestra præscriptio, et, "sicut ex attestationibus vestris audivimus, multæ in- "tercesserunt interruptiones." Et quamvis dominus papa ut justus judex hoc diceret quia odiosa est præ-

Frequent vacancies in the see of Worcester.

[1] *episcopo*] episcopi, MS.

scriptio, tamen dolui quod ita defectum adversarii nostri suppleret, et non potens cohibere linguam meam, præ tristitia, dixi, "Pater sancte, in plenitudine potes- "tatis vocati estis, et ideo omnia licent vobis, sed "secundum jura civilia aliis judicibus non licet de "his quæ desunt advocatis supplere de facto, nisi "tantum de jure." Et dominus papa, "Falsum est; "immo et de facto et de jure licet judici supplere." Et compescui labia mea, quamvis sentirem me gravatum, quia nisi dominus papa de facto ita supplevisset, præscriptionem tuti sine dubio in causa obtinuissemus. Tunc præcepit dominus papa quod recederemus, et post paucos dies dedit nobis dominum Gualam diaconum cardinalem, inter cardinales in jure civili peritissimum, super interruptionibus præscriptionis nostræ auditorem. In qua causa bene astitit mihi magister Adam Sortes quia in attestationibus erat valde expeditus, veluti qui interfuerat in Anglia disputationi super eisdem in judicio possessorio. Quum vero per multos dies coram prædicto auctore[1] litigassemus, inventæ sunt multæ interruptiones præscriptionis nostræ in attestationibus nostris, et scriptis allegationibus utriusque partis super eisdem et facta relatione ad dominum papam, per ipsius interlocutionem datæ sunt nobis literæ communes sub hac forma:—

A.D. 1206.

The question of prescription referred to cardinal Gualla for examination. After some days' litigation before the cardinal, the case is finally referred to the bishops of Ely and Rochester and Benedict [de Sansetun], canon of London. 3 Feb. 1206.

Forma literarum domini papæ super jurisdictione vallis.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Eliensi et Rofensi episcopis et magistro B. canonico Londoniarum, salutem et apostolicam benedictionem. Auditis et intellectis attestationibus instrumentis et allegationibus in causa quæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum Wigornensem episcopum et dilectum filium Eveshamensem abbatem super ecclesiis in valle de Eveshamia constitutis, quas epi-

[1] *auctore*] *Sic; qu.* auditore, *ut supra.*

A.D. 1206. scopus asserit ad se diœcesana lege spectare, abbas autem eas esse ab ejus jurisdictione prorsus exemptas, cognovimus evidenter ecclesias illas per privilegia pontificum Romanorum non esse ab episcopali jurisdictione subtractas nisi forte vallis de Eveshamia sit ille locus quem a duobus regibus, Kenredo videlicet et Offa, libertati donatum bonæ memoriæ Constantinus papa libertati donavit, sicut in ipsius privilegio continetur. Verum tanto tempore probantur per testes ab abbatibus Eveshamiæ pleno jure possessæ, ut videantur in eis jus episcopale legitime præscripsisse nisi forte per tantum temporis Wigornensis ecclesia interim vacavisset ut, tempore vacationis sublato, præscriptio minime sit completa. Licet autem sit utrinque in causa conclusum, quia tamen utraque pars necessariam, ut asserit, probationem omisit, nos attendentes quod utraque ecclesia fungitur vice minoris, equitate pensata, utramque restituimus contra reliquam ad probandum rationem omissam, ne alterutra propter hujusmodi negligentiam gravi jactura lædatur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inspectis privilegiis prædictorum regum quæ abbas super prædicta libertate asserit se habere, si per illa constiterit quod vallis de Eveshamia sit ille locus quem præfatus prædecessor noster libertati donavit, absolvatis Eveshamensem abbatem ab impetitione Wigornensis episcopi super ecclesiis memoratis, et, adjudicantes illas abbati pleno jure subjectas, episcopo super illis perpetuum silentium imponatis. Quod si abbas in hac probatione defecerit, audiatis probationes super tempore quo infra quadraginta annos sedes episcopalis vacavit, et si per tantum temporis vacasse constiterit ut illo subducto non sit quadragenaria completa præscriptio, vos in illis ecclesiis jus episcopale adjudicetis episcopo, et super illo perpetuum silentium imponatis abbati. Si autem exceptionem hujusmodi episcopus non probaverit, quia tamen interruptionem probavit circa processionem Pentecostalem in villa et ecclesia de Mortune et receptionem et procurationem archidiaconi, nec non solutionem denariorum beati Petri in valle de Eveshamia, circa cognitionem quoque causarum matrimonialium et capellani suspensionem in prædicta villa de Mortone et interdictum capellarum in præfata villa de Eveshamia, vos super his jus episcopale adjudicetis eidem, si tamen circa suspensionem et interdictum hujusmodi infra quadraginta annos interruptio facta fuit, in cæteris ei silentium imponentes quas abbas præscripsisse probatur. Quod si forte noluerint sententiam definitivam a vobis recipere, vos receptis probationibus prælibatis, eas nobis sub sigillis vestris fideliter destinetis, præfigentes partibus terminum competentem quo per

procuratores idoneos recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis veritati testimonium perhibere, nullis literis obstantibus si quæ apparuerint præter assensum partium a sede apostolica impetratæ. Si vero non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea, sublato appellationis obstaculo, exequentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum tertio nonas Februarii, pontificatus nostri anno octavo. A.D. 1206.

Obtinuit etiam magister Robertus, me nesciente donec cum eis recessisset, tales literas:—

Forma literarum episcopi super falsitate privilegiorum regum.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Eliensi et Roffensi episcopis et magistro B. canonico Londoniensi, salutem et apostolicam benedictionem. Præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus si in causa venerabilis fratris nostri Wigornensis episcopi et dilecti filii Eveshamensis abbatis, quam sub certa forma vobis duximus committendam, falsi contigerit incidere quæstionem super privilegiis duorum regum Kenredi et Offæ quæ præponitur idem abbas habere, vos auctoritate nostra suffulti de ipsa, sublato cujuslibet appellationis et contradictionis obstaculo, cognoscentes, eam fine debito terminetis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, nullis literis, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sexto idus Februarii pontificatus nostri anno octavo.[1] The delegates in England empowered to examine into the genuineness of the grants of king Offa and Kenred. 8 Feb. 1206.

Consilium Th. prioris circa capellanos et decanatum et denarios beati Petri et usum privilegiorum et præscriptionem et interruptionem et receptionem Wigornensium.

Privilegia regum hic non scribo quia sicut ex præcedentibus perpendere potestis adhuc dubium est utrum nobis sint profutura necne. Multa etiam scitu digna hic scribere prætermitto, ne quocunque casu ad adversarios nostros eadem perveniant, quia quantum prodesset nostrates ea scire, tantumdem obesset ad Marleberge confesses that all the facts on his side of the case cannot safely be told.

[1] *octavo*] septimo, MS., by clearly a clerical error.

A.D. 1206. scientiam adversariorum eadem pervenire. De hoc tamen omnes fideles et amicos Eveshamensis ecclesiæ præmunio, ut caveatis vobis de decano vestro et capellanis vestris et parochianis vestris, quia omnes prædictæ interruptiones per illorum defectum, negligentiam et malitiam, præter consensum et voluntatem abbatis et conventus, contigerunt, et tamen propter imperitiam et negligentiam nostram ac si nos ipsi ea commisissemus pro culpa nobis eadem reputantur. Capellani enim duarum ecclesiarum de Evesham citra consensum nostrum detulerunt suspensioni episcopi, et, ecce! in damnum ecclesiæ nostræ eorum stultitia[1] redundat. Quia etiam capellanus de Mortune visus fuit cum parochianis cujusdam vicini sui in processione Pentecostali apud Wigorniam, in eadem processione facta est contra nos interruptio præscriptionis nostræ. Dum etiam clerici essent decani Eveshamiæ, quia habebant redditus in episcopatu timentes episcopum, non compescebant per censuram ecclesiasticam, sicut debebant, parochianos nostros quominus appellarent ab eis et irent ad episcopum pro quibusdam causis majoribus: ideo, ut audistis, facta est interruptio præscriptionis nostræ in quibusdam causis matrimonialibus. Quum etiam episcopi Wigornenses teneantur solvere domino papæ undecim libras et quinque solidos pro denariis beati Petri annuatim et nos unam, decani, ut dictum est timentes episcopos, solverunt episcopis libram quam debebant solvere domino papæ pro denariis beati Petri omnium terrarum nostrarum, et episcopi, defraudantes ecclesiam Romanam, non ideo amplius solverunt. Quam rationem[2] quum audiret dominus papa multum motus fuit contra episcopum. Hoc ergo factum inter interruptiones non computaretur nisi nobis ad jacturam libertatis impu-

Complaint of the little regard the chaplains of Evesham and the deans of the Valley had paid to the privileges of the abbey.

[1] *stultitia*] stultia, MS.

[2] The passage commencing here at "Quam rationem," and ending at the words "cogeremur eosdem," has been substituted for a shorter passage, which has been entirely erased.

taretur. Magnum ergo periculum est ei solvere. Nam si ei deberet fieri solutio, ad solutionem faciendam eidem competeteret coercio. Quam si haberet, constat parochianos nostros non esse plene exemptos, quum episcopus posset eos excommunicare et etiam in solidum cogeret eos ad solutionem eorundem denariorum usque ad summam centum solidorum vel amplius, nacta qualicunque causa ut nos gravaret, nec posset aliquis ei resistere quum ipse papa ad hoc nitatur omnes compellere. Et si tantum viginti solidos contra nos obtineret, periculum nobis immineret ne tam domino papæ quam illi solvere cogeremur eosdem. Et quia [1] hæc mala et multa alia contigerant per clericos decanos, et quia timentes magnates terræ non defendebant possessiones nostras et homines nostros, nec in malefactores nostros, prout decano incumbit, per censuram ecclesiasticam ausi erant animadvertere, immo homines nostros quando habebant coram eis causas magis spoliabant eos, inhiantes lucris temporalibus, et curam animarum in periculum nostrarum animarum parvipendebant (nam facti securi per cartam ecclesiæ non poterant amoveri, et ideo non timebant nos), et quia onerosi erant ecclesiæ per omnia, sicut senescaldus in quotidianis procurationibus hominum et equorum:—provisum est et statutum ut monachi sint decani, sicut fuit prior Avicius et quidam alii monachi post eum, qui ad voluntatem abbatis et conventus si male egerint vel tepide, possint amoveri, et qui ea quæ acquirunt ecclesiæ acquirant, et qui audacter in malefactores ecclesiæ animadvertant, et qui non sint magis oneri ecclesiæ quam simplex monachus præter procurationem apparitoris sui. Et maxime his diebus necesse est ut monachi sint decani, quia si abbas discessisset nisi monachus esset decanus non esset aliquis qui ministros regis ausus esset excommunicare,

A.D. 1206.

It is resolved that in future the deans shall not be secular priests, but members of the abbey, removable at pleasure.

[1] A translation (from Vesp. B. xxiv. 13), of the greater part of the passage extending from hence to the end of this section, in somewhat different order, is printed in Tindal's History of Evesham, pp. 190, 191.

A.D. 1206. si forte contra privilegium nostrum manus ad diripiendos redditus officiis monachorum assignatos vellent apponere, nec posset aliquis monachus hanc potestatem sibi assumere post mortem abbatis nisi eo vivente illam habuisset. His de causis quendam magnum virum, Rogerum scilicet filium Mauricii, canonicum Herefordensem, cui abbas contulerat decanatum citra consensum conventus, viriliter ab ecclesiis Eveshamiæ ubi capitula voluit celebrare expellendo ejecimus, et etiam quum in domo sua vellet capitulum celebrare prohibuimus clericis et laicis ne ei obedirent, et coegimus eos inde recedere. Quo ita a decanatu amoto, factus sum ego decanus, et functus sum officio illo omnibus diebus usque dum hæc scripta sunt, etiam tempore prioratus mei. Audistis[1] etiam quod circa receptionem et procurationem archidiaconi facta est interruptio quamvis caritative eos receperimus; unde valde cavendum est ne unquam episcopum vel archidiaconum Wigornenses etiam caritative petentes, vel etiam cum legato Romano vel rege vel archiepiscopo venientes, vel quocunque alio modo, admittatis ad cibum vel ad alia ad quæ alios admittimus, quia semper interpretandum est pro jure communi. Priorem vero Wigornensem et archidiaconum Gloucestrensem, nisi forte nomine officialium petierint, bene potestis admittere, nam nomine officialium neminem admittetis, nec quod aliquod officium infra vallem etiam de suis parochianis exerceant permittetis. Igitur quum ex privilegiis et ex præscriptione omnis libertas hujus ecclesiæ dependeat, cavete vobis, omnes filii hujus ecclesiæ, ne unquam utamini jure communi ubi jus speciale habetis, nam de facili admittatur[2] possessio libertatis quia exemptio contra jus commune est, et facillime interrumpitur præscriptio

Roger Fitzmaurice, canon of Hereford, expelled from the deanship, and Marleberge appointed in his stead.

Bishops and archdeacons of Worcester, as well as any of their officials, never to be admitted within the abbey on any pretext.

[1] The passage from hence to the end of the section has been substituted for a much shorter passage, which has been entirely erased.

[2] *admittatur*] amittatur, Vesp. B. xxiv. 13; doubtless the correct reading.

quia odiosa est. Vos igitur quot hujus litis de libertate vallis discertatio et causæ decisio expectat, adjuro per Jesum Christum Filium Virginis quæ elegit locum istum, ut (exemplo nostri qui tot mala, ut audistis, pro libertate hujus ecclesiæ sustinuimus) viriliter agatis, nec aliquod discrimen hujus sæculi jacturæ libertatis reputetis comparabile, quia si vallis libertatem amiseritis, ecclesias et decimas et coercionem malefactorum, quæ pluris est, proculdubio amittetis, et pauperes et miseri eritis, et (quod absit!) invenient vos mala in extremo tempore. Quia vero, ut in præmissis continetur, non tantum ille privilegium meretur amittere qui, omissis vi et potestate privilegiorum, utens jure communi concessa sibi non utitur potestate, sed etiam ille qui non concessa sibi utitur potestate;[1] cavete vobis ne unquam vim et potestatem privilegiorum vestrorum excedatis, ordinando videlicet alienos parochianos ad ordinem subdiaconatus, diaconatus vel presbyteratus. Alienum dico omnem qui non habet titulum ordinationis suæ in parochia vestra, nisi de licentia sui diœcesani. Nec alienis excommunicatis post denuntiationem vobis factam communicetis. Nec chrisma et oleum, si apud vos confecta fuerint, aliis quam vobis similibus, videlicet privilegiatis, præbeatis, nisi de voluntate diœcesani episcopi petentis. Nec in aliis casibus qui infiniti sunt.

A.D. 1206. Exhortation to the maintenance of their privileges.

[p. 183.]

Warnings against exceeding their power.

De prohibitione domini papæ ne ab urbe recederemus cum privilegiis, et de recessu magistri Adæ cum executione et modo executionis factæ in Anglia.

Completis itaque ut putabamus omnibus negotiis nostris, mandatum domini papæ, audientibus adversariis nostris, recepimus ne ab urbe cum privilegiis nostris recederemus. Igitur quamvis omnes infirmi essemus, locuti tamen sumus adinvicem ut aliquis nostrum ma-

Feb. 1206. Marleberge and his companions being ordered to remain at

[1] The real meaning of this passage (*quia vero . . . . utitur potestate*) is, by an inverted rendering, completely lost in Tindal's translation.

A.D. 1206. Rome, secretly send Adam de Sortes to England with the decree of their exemption.

jori simulata infirmitate cum executione recederet, ad liberandum fratres nostros qui in Anglia quasi Ægyptiaca servitute deprimebantur, quamvis hoc sine gravi periculo propter prohibitionem domini papæ facere non possemus. Et quolibet nostrum cupiente discedere, facta est contentio inter nos quis primo discederet. Allegavi pro me quia jam per annum et dimidium ibi moram feceram, clericus vero domini abbatis tantum per decem hebdomadas, magister autem Adam non nisi per sex hebdomadas. Tandem quia magister Adam infirmabatur durius, cecidit sors super eum, et accepta executione et viatico clam recessit, et per gratiam Dei prospere dirigentis iter ejus sanus et incolumis in Angliam est reversus. Et, anno revoluto, eadem die qua episcopus nactus est possessionem jurisdictionis monasterii nostri, scilicet Dominica qua cantatur "Misericordia "Domini," per abbates de Westmonasterio et de Stanleia facta est executio sententiæ domini papæ, et, episcopo in perpetuum excluso, publice denuntiatum est monasterium nostrum liberum et exemptum, et nos in plena possessione libertatis sumus constituti.

Public declaration of the exemption of the abbey, 16 April 1206.

Qualiter privilegia sint tradita Romanis.

All their documents held in pawn by Roman merchants as security for their debts.

Cognito autem recessu magistri Adæ comminati sunt nobis adversarii nostri et Romani mercatores. Et videntes Romani quia præsumptuosi eramus qui hæc contra prohibitionem domini papæ feceramus, observaverunt nos donec obtinuissent quod ex præcepto domini papæ omnia privilegia nostra et instrumenta eis tradidimus loco pignoris pro quadringentis marcis quas eis debebamus.

Qualiter Thomas monachus liberaverit abbatem ne a domino papa per inquisitionem factam in Anglia deponeretur.

Postea vero quum adversarius noster diceret se adhuc habere causam contra me cui respondere non possem, indignatus sum, et, quamvis nescirem quidnam loque-

retur, more litigantium audacter et præsumptuose respondi quod ad omne quare, sicut ex præmissis jam mundo innotuit, ei responderem, et vigilantius insidiatus sum ei. Quum igitur dominus papa, ut erat curialissimus, more suo liberalissimo oppressos consolans, ne victus adversarius noster dolens recederet, multas speciales indulgentias adversario nostro indulsisset, quadam die quum in publica audientia legerentur, objeci me adversarium et omnibus contradixi, quamvis de multis nihil ad me. Et quum in crastino ad audientiam contradictarum convenissemus, misertus adversarii mei eo quod valde tristis efficeretur, dixi ei ut diceret mihi quam causam haberet contra me et renuntiaret illi, et ego omnibus contradictionibus meis ; et factum est ita. Erat autem causa hujusmodi : episcopus Wigorniæ nactus possessionem jurisdictionis monasterii nostri, quum monachi, ut sæpe dixi vobis, nollent acquiescere ei ut per eos de persona abbatis fieret inquisitio, fecit eam per compatriotas nostros sub testimonio omnium prælatorum episcopatus sui, et, sigillis eorum in ea appensis, misit eam domino papæ. Huic causæ renuntiavit magister Robertus, et fractis sigillis tradidit mihi schedulam[1] scriptam, nullo sciente præter me et ipsum, et facti sumus amici adinvicem, nec apposuimus amplius invicem nos in aliquo gravare. Et sic ibi factum est ne abbas a domino papa deponeretur, quia si vidisset inquisitionem in qua multa enormia continebantur, sine dubio eum deposuisset. Ita et prius factum fuit in Anglia ne ab episcopo deponeretur.

A.D. 1206.

The bishop's inquiry into the abbot's conduct is suppressed at Rome by a compromise.

De recessu clericorum episcopi et postea clerici abbatis, et ultimo de recessu Thomæ monachi a curia absque licentia domini papæ.

Post paucos vero dies recesserunt adversarii nostri, et tunc instanter petivimus licentiam recedendi, nec

[1] *schedulam*] cedulam, MS.

A.D. 1206. impetravimus. Et quum iterum super hoc sollicitarem dominum papam, præcepit ut starem in urbe nec apposuit causam quare. Post aliquot dies infirmabatur socius meus clericus domini abbatis, et quum nollet amplius stare tradidi eum mercatoribus Romanis qui cum privilegiis nostris ibant in Angliam pro pecunia quam eis debebamus, ut et ipsi invenirent ei expensas itineris, et recessit cum eis. Et relictus sum ego solus ut viderem finem, expectans auxilium de cœlo. Et iterum post aliquot hebdomadas circa mediam Quadragesimam quum jam inciperet aeris intemperies, et plenissime constaret mihi quod licentiam recedendi non impetrarem, nisi prius dominum papam et cardinales, sicut decet victorem, visitarem, nec unde eis satisfacerem haberem (unde satis dolendum est, quia si eos visitassem, omnium privilegiorum nostrorum innovationem, et etiam novorum capitulorum adjectionem, et literas de expensis nobis ab episcopo refundendis,[1] et quæcunque alia de jure vellem impetrassem), accepta licentia a sanctis apostolis Petro et Paulo et aliis patronis urbis sacræ, et cum benedictione apostolica cum populari multitudine accepta, clam recessi, per quinque vel sex diætas semper timens ne revocarer. Et gratia Dei mecum comitante, quamvis gravi febre in Francia a Domino essem correptus, prospero gressu in Angliam sum regressus, fratribus congaudentibus et mecum gratias Deo agentibus quia salvum me receperunt.

Marleberge quits Rome secretly, because he has no means for making the usual gifts to the pope and cardinals.

His safe arrival at Evesham.

De triplicata depressione conventus ab abbate post securitatem libertatis.

Abbas vero meus, licet actus mei ejus essent successus, invidens factis meis felicibus quia prospere agebam in negotiis ecclesiæ, non omittebat persequi me, et

The abbot renews his old tyranny.

[1] *refundendis*] refundentis, MS.

non tantum me sed universum conventum, nec etiam illis pepercit quos aliquando, quum sibi timeret, ut erroris sui haberet fautores videbatur amasse. Jam enim putavit se securum ne propter libertatem ecclesiæ ab alio quam ipso papa posset deponi, nesciens quia legati Romanæ sedis diligentius exemptorum quam non exemptorum (qui episcopos habent visitatores) transgressus scrutantur et corrigunt, quia alium quam ipsos non habent correctorem. Noluit etiam intelligere quod dominus Cantuariensis ut tutor noster qui habet potestatem in capite libero haberet curam animarum nostrarum, et si quid sinistræ partis apud nos oriri compertum fuerit per ejus debeat corrigi cautelam et industriam, sicut in privilegiis continetur; quod si forte facere non posset, facta inquisitione excessuum tam abbatis quam conventus et cognita veritate, debeat eam ad dominum papam referre, qui pro qualitate excessuum pœnam infligat, qui etiam tanto magis rigorem in talibus exercet quanto scit se difficilius posse adiri, et quanto ei specialius subjicimur tanto magis veretur excessus nostros impunitos relinquere, quum sciat in ejus caput redundare quicquid a nobis delinquitur nisi per eum corrigatur. Hæc et his similia non attendens, abbas noster quæcunque volebat faciebat, per libertatem factus securior, propter quam, ut dictum est, magis sibi debuit timere, et, duplicata tyrannide durius et crudelius, tam circa nos quam sui ipsius custodiam cœpit conversari. A.D. 1206.

Qualiter conventus accusaverit abbatem coram legato Johanne in Via Lata, et qualiter idem legatus redditus et consuetudines conventus confirmaverit.

Interim missus est in Angliam dominus Johannes diaconus cardinalis tituli Sanctæ Mariæ in Via Lata, legatus totius Angliæ. Qui quum venisset ad nos causa The abbey visited by the papal legate.

A.D. 1206. visitationis, et nos in multis abbatem nostrum accusaremus et ipse nos, cœpit dominus legatus per se ipsum et clericos suos facere singulare scrutinium de statu domus tam interiori quam exteriori, et recedens imperfecto scrutinio reliquit hic de Lileshulle et de Hagemon abbates ad perficiendum illud, nihilominus concedens ut pacem inter nos si possemus reformaremus, sed tantum de temporalibus; de spiritualibus vero quæ ad salutem animæ pertinebant sibi reservavit correctionem. Et tunc facta est compositio inter nos fere ad votum nostrum, in qua omnes redditus officiis nostris assignati et omnes consuetudines de cellario in scripturam sunt redacta, et contra omnia in quibus solebat nos gravare est in ea nobis cautum, et misimus eam ad dominum legatum et confirmavit eam. Abbas autem timens adhuc inquisitionem circa spiritualia accessit ad dominum legatum in concilio Radingensi, ubi fuit mitratus cum episcopis et gratiam domini legati ibi obtinuit, et dedit nepoti domini legati redditus decem marcarum.

Council of Reading, 19 Oct. 1206.

Qualiter conventus recesserit cum magistris Thoma de Norwich et Thoma de Merlebergia monachis quos abbas voluit penitus expellere, et qualiter bellum cum abbate commiserint et eum vicerint et confirmationem reddituum obtinuerint.

Quum igitur dominus legatus post concilium[1] præpararet se ad transfretandum et peteremus ab abbate nostro ut sigillum suum et nostrum, sicut convenerat, scripto nostro appenderentur, noluit acquiescere, sed penitus a pacto recedens, auctoritate indulgentiarum
[p. 145.] quas quum Romæ essemus, sicut dixi vobis, me ignorante acquisiverat, voluit quosdam fratres qui instanter

[1] *concilium*] consilium, MS.

scripti confirmationem petebant excommunicare et ma- A.D. 1206.
gistrum Thomam de Northuuic et me penitus a domo nostra expellere, sed fidelis et constans conventus Eveshamensis, cujus memoria in benedictione sit, similis Jeremiæ fratrum amatori, elegit magis nobiscum re- II. Macc. xv. 14.
cedere quam permittere tantum nos duos periclitari. Igitur inito consilio tradidimus senibus et valetudinariis reliquias et thesaurum ecclesiæ, sigillum in terra abscondimus, et ipsi sub periculo animæ suæ usque ad effusionem sanguinis hæc receperunt observanda, injuncto etiam eis ut si abbas aliqua ex his vellet diripere, publicum invocarent auxilium; et accepta benedictione, more iter agentium, in die sanctæ Katerinæ circa horam diei tertiam recesserunt nobiscum triginta monachi omnes pedites, succinctis renibus, baculos habentes in manibus, per quosdam fratres appellantes coram abbate qui sedebat tunc pro tribunali in quadam causa in capella sancti Laurentii, et videns nos recedere, convocans quoscunque potuit amicos, sumptis armis et ascensis equis, cum equis armis et fustibus insecutus est nos. Et quum jam ascendissemus collem qui est in campo de Wikewone venit ad nos, et jussit ut staremus, et stetimus hinc et hinc, publica strata media, et crux posita erat in ea. Tandem allocutus est quosdam de senioribus qui videbantur regere nos, et rogavit eos ut venirent ad eum, et primicerio nostro respondente, "Ego vado ad abbatem meum," accensus est furor alterius senis quem vocaverat, Willielmi videlicet de Lithun, cujus memoria sit in benedictione, et quasi alter Mathathias increpans illum dixit, "Absit a me et quolibet bono viro quod ab "unitate et veritate et universitate recedam;" et hoc sermone multos confortavit, alios confirmavit, quosdam ab errore revocavit. Abbas vero videns constantiam nostram præcepit suis ut percuterent in gladio et caperent nos, et congressi sumus habentes fiduciam in Domino, inermes contra armatos. Illi vero ex-

Thomas de Northwich and Marleberge being expelled by the abbot, thirty monks quit the abbey with them, 25 Nov.

They are pursued by the abbot and an armed company,

who are beaten in a

A.D. 1206. conflict and put to flight.

tractis gladiis miserunt manus in quosdam ex fratribus. Alii vero fratres baculis quos tenebant in manibus viriliter expugnabant eos, et liberantes fratres suos a manibus eorum coegerunt eos retrorsum abire. Illis itaque fugatis in campum, omnes unanimiter iter quod incœperamus progressi sumus, gratias agentes Deo in quo omnem spem nostram posueramus quod nullum ex nostris amisimus, quamvis adversarii nostri illæsi non abissent. Et quam citius potuimus egressi sumus possessiones nostras, ut ab extraneis qui abbatem non timerent, si opus esset, publicum invocaremus auxilium, quamvis multi qui abbatem corpore comitabantur, veluti qui jure hæreditario nobis serviebant, magis nobiscum mente starent. Quum autem venissemus in campum de Morcote, qui erat Willielmi de Bello Campo, iterum insecutus est nos abbas, et dolens quod potestatem ejus evasimus, timens ne publicum invocaremus auxilium, ex campo de Wikewone, via media inter nos, allocutus est nos verbis pacificis, spopondens se facturum quicquid vellemus si reverteremur. Et quamvis nos prudentiores certi essemus quod dispositio nostra quam dominus legatus confirmaverat in perpetuum esset duratura quamvis sigilla nostra tunc non appenderentur, et etiam non dubitaremus si processissemus ad dominum legatum, vel dominum papam si legatum non invenissemus, et scrutinium quod tunc factum fuit publicaretur, quin abbas noster deponeretur, tamen propter fratres pusillanimes petitioni abbatis acquievimus, et juravit nobis abbas quod omnia contenta in dispositione in perpetuum observaret, et renuntiavit in perpetuum impetratis et impetrandis contra nos, et resignavit nobis indulgentias per quarum unius auctoritatem volebat nos duos expellere in perpetuum, et per alterius auctoritatem dicebat se posse aliorum fratrum delicta pro voluntate sua punire; quibus receptis statim demoliti sumus eas, et statim misimus propter sigillum

The abbot betakes himself to entreaty, promises everything, gives up the special indulgences he had obtained from the pope, and so at last prevails on the brethren to return.

nostrum, et appensa sunt sigilla nostra in eodem loco constitutionibus illis, et tam nos qui præsentes eramus quam illi qui domi erant hæc eadem ei juravimus quam diu fideliter ea observaret, et reversi sumus cum gaudio eadem die ad vesperam. Ecce audistis quibus laboribus et periculis ad hanc dispositionem pervenimus, nunquam enim abbas noster aliquid nobis gratis fecit, sed semper invitus et coactus, et semper adversitatibus vicimus et tribulationibus meliorati sumus et crevimus. Post exemptionis enim confirmationem est hæc dispositio, si quis ea bene utatur, unum de præclarissimis factis hujus ecclesiæ, ad quod, ut audistis, tot injuriis affecti vix attigimus. Hanc autem dispositionem successor ejus dominus Randulfus non solum libenter confirmavit, sed etiam multis redditibus, ut ex ejusdem inspectione patet, ampliavit. Et postea quum essem cum eo Romæ in concilio generali, a domino papa eam fecimus confirmari. A.D. 1206. [A.D. 1215; Fourth Lateran Council.]

Dispositio reddituum Eveshamensis cœnobii, et confirmatio consuetudinum.

Est autem dispositio talis.

"Omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit Randulfus[1] Dei gratia abbas Eveshamiæ et totus ejusdem loci conventus salutem in Domino. Constitutions and customs of the abbey.

Quoniam a domino Innocentio papa tertio dispositionis reddituum officiis nostris[2] assignatorum confirmationem obtinere meruimus, redditus, non tantum illos quos tempore confirmationis habuimus, sed et quos postea acquisivimus, cum ipsa eorum dispositione, ad posterorum notitiam profuturum, scripto commendare dignum duximus. Nam tam ab Innocentio papa secundo quam ab Alexandro tertio non solum redditus quos tempore eorum habuimus, sed et illi quos postea quibuscunque justis modis acquirere possemus, nobis conceduntur et confirmantur, quod et ipsum nobis facere licere in his nostris constitutionibus et consuetudinibus continetur. A.D. 1214.

---

[1] *Randulfus*] Rondulphus. Orig. in Cotton. Augustus III. art. 11.

[2] *officiis nostris*] officiorum nostrorum, August. and Harl. 3763, f. 148.

A.D. 1206. Sunt igitur consuetudines monasterii hujusmodi, videlicet quod abbas infra septa monasterii existens inter fratres secundum antiquam domus illius consuetudinem conversando regulariter vivet, et exteriora pro viribus suis ad utilitatem ecclesiæ provide et fideliter dispensabit. Prior vero, subprior, tertius prior, et alii custodes ordinis, prior de Penwrtham, precentor, decanus, sacrista, camerarius, coquinarius, cellerarius interior, infirmarius, eleemosynarius, custos vineæ et gardini, magister fabricæ ecclesiæ,[1] magister hospitum, de consilio et consensu conventus vel majoris et sanioris partis in capitulo ab abbate de proprio conventu creentur. Qui si minus, quod absit, honeste vel minus prudenter in officiis suis se habuerint vel male fratribus administraverint, prius correpti regulariter, si non emendaverint amoveantur in capitulo, et alii sub forma prædicta in loco eorum in capitulo et incontinenti subrogentur, ne aliquo casu in manus regis deveniant ipsa officia, abbate forte decedente, vel per moram fiat deterioratio obedientiarum, aut aliquis defectus propter moram emergat. Prior vero et prædicti magistri ordinis simul cum abbate ut ordo monasticus cum rigore disciplinæ secundum regulam beati Benedicti observetur summam diligentiam adhibeant. Maxime autem operam præstent ne monachi aliquid sine licentia habeant, et ne alias quam in refectorio sine licentia comedant, et ut eleemosyna eorum per manus eleemosynarii erogetur, et ne a claustro sine licentia exeant, et ut silentium locis et horis[2] statutis observetur, et ut fratres frequenter delicta confiteantur, non tamen aliis quam his qui ad hoc deputantur. Alii vero prædicti officiales omnes qui redditus percipiunt quater in anno coram abbate, vel eo quem loco suo statuerit, priore et sex claustralibus, tribus ab abbate et tribus a conventu vocatis, de administratione sua compotum reddant; coquinarius vero qualibet hebdomada. Isti officiales quotiens domi fuerint in congregatione jugiter permaneant, et conventum in ecclesia, in capitulo, in claustro, in refectorio sequantur, ut si, quod absit, in officiis suis aliquis defectus emerserit illi statim suppleant. Nulli duo officia assignentur, sed cuilibet adjungatur socius, si opus fuerit, solatium et testis diligentiæ suæ. Si vero in aliquo officio[3] propter temporis malitiam aliquid ultra redditus officio illi assignatos expensum fuerit, si in aliquo alio officio aliquid fuerit residuum, per illud defectus alterius

Manner of election and duties of the prior and other officers.

---

[1] Pitanciarius, add. August. and Harl. 3763.

[2] *et horis*] om. ibid.

[3] suo, add. ibid.

officii[1] suppleatur. Si autem nullum officium defectum alterius officii supplere potuerit, abbas per manum celerarii exterioris suppleat. Præterea, si quodlibet officium sibi suffecerit et aliquid residuum fuerit, abbas de consilio capituli vel majoris et sanioris partis in eo officio in quo in capitulo judicaverit utilius ecclesiæ expendat. Si vero aliquid de redditibus monachorum officiis[2] assignatis vel in perpetuum, quod absit, vel ad tempus detineri contigerit, vel aliquo modo evacuari vel diminui, abbas tantumdem de consilio capituli ubi commode fieri poterit alibi eidem officio assignet. Liceat præterea monachis possessiones et redditus officiis suis assignatos veluti novalia faciendo et redditus augmentando et novos acquirendo ampliare, seu quibuscunque aliis justis modis meliorare, et alios pro aliis tantumdem valentibus et utilibus, quum viderint expedire, vel ad tempus vel in perpetuum commutare. Cellerarius siquidem exterior talis de proprio conventu et in capitulo ab abbate creetur, qui, exceptis redditibus monachorum officiis assignatis, ad præceptum abbatis totius abbatiæ curam gerens, sciat et possit libere conventui necessaria administrare, scilicet panem, cerevisiam, duo pulmenta, ignem et salem, et quædam alia in consuetudinibus expressa. Hospitibus etiam juxta facultatem domus providebit cellerarius; viris tamen religiosis coquinarius quæ de officio suo sunt, videlicet[3] personis eorum sicut et fratribus, administrabit, exceptis abbatibus et capellanis eorum quibus non inveniet aliquid nisi in diebus jejunii, sicut nec ipsi abbati, nec illis qui cum illo comedunt[4] vel capellanis ejus. Hoc dicimus nisi in refectorio comedant,[5] ut in profestis diebus. Servientibus etiam obedientiarum abbatiæ cellerarius procurationem debitam et stipendia juxta consuetudinem domus administrabit. Iste quidem cellerarius de administratione sua non solum quater superioribus sed quotiens ipse abbas voluerit compotum reddat, qui nisi bene administraverit, sicut de aliis obedientiariis dictum est, ad justam conquestionem conventus et rationabilem voluntatem abbatis amoveatur, et alius statim loco ipsius subrogetur et in capitulo. Numerum fratrum abbas integrum conservet, nullum monachum recipiat aut ejiciat vel ad tempus vel in perpetuum nisi de consilio conventus vel majoris et sanioris partis, et in capitulo. Ecclesias autem vel alios redditus vel aliquas terras non nisi de consilio universitatis vel majoris et sanioris partis et in capitulo alicui conferat, nec rusticos sine consensu eorundem manu- A.D. 1206.

[1] *officii*] om. August. and Harl. 3763.
[2] suis, add. ibid.
[3] *videlicet*] om. ibid.
[4] *comedunt*] commedunt, MS.
[5] *comedant*] commedant, MS.

A.D. 1206. mittat. De terris siquidem revocandis pro viribus suis, si quæ tempore suo vel prædecessorum suorum alienatæ sunt, consilio conventus sui utatur. Similiter in causis ecclesiasticis vel forensibus agendis vel terminandis capituli sui utatur consilio. Servientes autem qui monachis ministrare tenentur, scilicet de infirmaria, sartrina, lavendria,[1] refectorio, sacristaria, locutorio, de consilio capituli secundum priorem formam constituantur et deponantur. Hæc omnia intelligantur salvis in omnibus regularibus institutis.

Apportionment of the revenues.

Hi sunt redditus officiis monachorum Eveshamensis cœnobii assignati.[2]

Redditus Prioratus.

The share of the prior,

Ad prioratum pertinent[3] decimæ de Beningwrthe tam majores quam minores de omnibus terris et hominibus monachorum, ad parcamenum et exhibitionem scriptorum pro libris scribendis.[4] Pertinet etiam ad priorem curia nostra[5] de Beningwrthe cum croftis ad eandem curiam pertinentibus cum gardino, vivario et prato quæ sunt infra ipsam curiam, et omnibus messuagiis[6] quæ sunt de croftis circa ipsam curiam, videlicet a domo Thomæ Algar usque ad domum Walteri Ballard,[7] de quibus debet prior pro tempore pascere viginti quinque pauperes annuatim in anniversario prioris Thomæ pro animabus priorum et omnium fratrum, et inveniet unum[8] cereum in die sancti Wistani et alium in die sancti Credani die ac nocte ardentes coram feretris eorum.[9] Nam idem prior Thomas quandam terram de Litletona quam emit a Radulfo dispensatore, de qua tempore commutationis plus redditus solvebatur quam de ista de Beningwrthe, pro ista a domino abbate nostro de consensu nostro commutavit. Debet etiam

---

[1] *sartrina, lavendria*] sarterina, lavenderina, August.; lavenderina, Harl. 3763.

[2] *Hi . . . assignati*] om. ibid.

[3] obventiones de communi sigillo, et, add. ibid.

[4] *hominibus . . . . scribendis*] hominibus abbatis et monachorum ad emendum parchamenum pro libris scribendis. Ibid.

[5] *nostra*] om. ibid.

[6] *messuagiis*] masuagiis, MS.

[7] *Ballard,*]Bellard, Aug. and Harl.

[8] *unum*] om. Aug.

[9] The passage "pascere . . . . " . . eorum," has been substituted in the place of one entirely erased. In the original text (August. III.) and in the Harleian transcript it follows the next sentence from the word *Beningwrthe*, and runs thus: —"pro eadem a domino abbate de "consensu communi commutavit. "Quare constitutum est quod sup- "prior pro tempore in anniversario "prioris Thomæ pascat triginta "pauperes in locutorio pro anima- "bus," &c.

prior percipere duas marcas et dimidiam de ecclesia de Ambresleia de veteri pensione sexaginta solidorum, et viginti solidos de pensione ecclesiæ de Bradewelle, ut per manum refectorarii (quem ipse de consilio conventus debet constituere) vel alterius obedientiarii de viginti solidis fiat festum sancti Johannis ante portam Latinam, et de decem solidis anniversarium abbatis Reginaldi, et de decem solidis anniversarium abbatis Adæ; de una vero marca anniversarium abbatis Rondulfi.[1] A.D. 1206.

Redditus refectorarii.[2]

Debet etiam iste refectorarius recipere et expendere in vino et medone redditus qui fuerunt ad pitanciariam qui pertinent ad potum, scilicet in Evesham de nova terra decem marcas, de Ulleberwe viginti quinque solidos, de ecclesia de Hildendune unam marcam, de redditibus de Penwrtham unam marcam, de molendino de Withlakesfort dimidiam marcam, de molendino seneschalli de Salford dimidiam marcam, de Ambresleia duodecim sextaria mellis.[3] Ad eum etiam pertinent minutæ decimæ de Wikewane, Baddeseia, et Aldintone ad reparationem et numeri conservationem cochlearium, ciphorum, justarum, manutergiorum, et aliorum utensilium, cum lam- of the manciple,

[1] *Debet . . . . . Rondulfi*] Om. Aug. and Harl.

[2] This section in Aug. (and Harl.) runs as follows :—" Ad refectora-
" rium pertinent minutæ decimæ de
" Wikewane, Baddeseie et Aldetone
" ad reparationem cochlearum, cy-
" phorum, justarum, fenestrarum
" vitrearum, et vasorum salis et
" aliorum utensilium cum duodecim
" lampadibus et oleo earum, de qui-
" bus respondet priori qui eum de
" consilio fratrum præficit. Pertinet
" etiam ad eum collecta cerevisiæ
" post primum cibum, et quotidie
" sex justæ de cellario de quibus
" dat caritatem conventui post colla-
" tionem Dominicis diebus et omni
" septimana semel quando cantatur
" De sancta Maria, et inveniet po-
" tum ante collationem quando non
" est potus post collationem, et multa
" alia onera et statuta circa minutos
" et infirmos et alios fratres de his
" sustinet et supplet. Et quotiens
" potus fuerit post nonam habebit
" refectoriarius duas justas de cel-
" lario." The order of the several sections is different in these MSS. from that in the text.

[3] In the margin the following passage is inserted, in another hand :—
" De terra quam R. Beche emit in
" Nova Terra, XLII d., de terra por-
" tarii, XII d. Hæc (?) pro redditu
" duodecim denariorum quos dedi-
" mus Willielmo de Tywe, que fue-
" runt ad refectorium de quadam
" terra versus molendinum quæ fuit
" Acelote pro quieta clamatione
" terræ Isabellæ filiæ King."

A.D. 1206. padibus et oleo earum. Et de his omnibus debet reddere rationem priori, adjunctis ei aliquibus fratribus, quotiens opus fuerit.

Redditus præcentoris.

of the precentor, Ad officium præcentoris pertinet quædam terra in Hamptona de qua percipit annuatim quinque solidos, et decimæ de Stokes, et quædam terra in Alincestre.[1] De his debet invenire præcentor[2] incaustum omnibus scriptoribus monasterii, et colores ad illuminandum, et necessaria ad ligandos libros, et necessaria ad organa.

Pertinentia ad decanatum.

of the dean, Ad decanatum pertinet corrodium[3] unius servientis de cellario, et collecta denariorum beati Petri ubicunque episcopus non colligit,[4] et visitatio ecclesiarum vallis, et obventiones[5] causarum[6] de quibus debet invenire conventui caritatem Dominica qua cantatur Misericordia Domini.

Redditus sacristariæ.

of the sacristan, Ad sacristariam pertinent sex capellæ in valle, videlicet duæ in Evesham, et duæ capellæ de Lencwich, et de Nortone et una in Mortone, et una in Uffeham.[7] Item de ecclesia de Baddebi percipit[8] duas marcas. De capella de Withlakesford et prato de Salford decem solidos. De ecclesia de Westune

---

[1] de qua tantumdem percipit. Add. Aug. and Harl.

[2] parchamenum ad brevia et ad cartas signandas sigillo communi et ad brevia mortuorum fratrum, et — Add. ibid.

[3] *corrodium*] corredium, MS.

[4] de quibus solvit annuatim domino papæ viginti solidos. Add. Aug. and Harl.

[5] *obventiones*] oventiones, MS.

[6] et omnium pertinentium ad decanatum. Add. Aug. and Harl.

[7] *videlicet ... Uffeham*] scilicet de Nortona, de Lenchewike, de Mortona et Uffeham, et duæ in Evesham quarum duarum capellarum sacerdotes, scilicet sancti Laurentii et Omnium Sanctorum, debent habere quotidie de cellario panem et cerevisiam sicut monachi. Debet etiam sacrista habere quotidie ad unum servientem procurationem sicut servientes abbatis habent, et præbendam ad unum equum de granario et foragium de grangia. Ibid.

[8] annuatim. Add. Aug.

dimidiam marcam. De ecclesia de Stowe quinque solidos A.D. 1206.
vel duas petras ceræ. De ecclesia sancti Albani in Wigornia quinque libras ceræ. De terris in eadem villa tres marcas et dimidiam.[1] Pertinent etiam ad sacristariam in Evesham solda juxta portam cœmeterii, de fabrica Willielmi Fabri quatuor denarii, de terra Nicholai Coci duæ libræ ceræ, de terra Matildis in Merstowe quinque denarii. De terra Nicholai sacristæ in eodem vico sex denarii; de terra seneschalli quæ fuit Geraldi sex denarii; de terra Bulet sex denarii; de terra Ferre triginta denarii; de terra le Hosiere in Brutstrete[2] duo denarii; de terra Willielmi de Tiwe proxima eidem[3] sex denarii; de terra Willelmi de Tiwe in magno vico duo solidi et quatuor denarii; de terra Dispensatoris proxima eidem[4] quadraginta denarii; de terra quæ dicitur Gordani in Colestrete sexdecim denarii;[5] de terra Reginaldi Fabri duo solidi; de terra Walteri proxima eidem octo denarii; de terra Pate proxima eidem octo denarii; de terra Nicholai Fullonis super aquam sexdecim denarii; de terra Henrici Fabri viginti denarii; de terra proxima Willelmi de Tiwe quatuor denarii; de terra Simonis Fabri octo[6] denarii; de terra Andreæ Coci octo denarii; de terra in Hamtone quinque solidi. In Lench pertinent ad sacristariam tres hidæ et dimidia. In Brethfortona in uno campo quinquaginta quinque acræ, in altero septuaginta sex in dominico. In villinagio quinque virgatæ terræ et dimidia, et decimæ de eadem terra tam majores quam minores, et de quatuor hidis in eadem villa, duabus scilicet Hugonis, et duabus militis de Cocthuna,[7] et decimæ de novem virgatis terræ Pagani in Litlethona tam majores quam minores, et decimæ de quinque virgatis terræ seneschalli in Baddeseia, et decimæ de dominico cujusdam liberi hominis in Pikeleia in Herefordsire, et omnes oblationes et omnia legata altaris Eveshamiæ.[8]

[1] *et dimidiam*] om. Aug. and Harl.

[2] *Brutstrete*] Bruggestrete. Ibid.

[3] terræ le Hosyere in Bruggestrete. Ibid.

[4] terræ Will. de Tywe. Ibid.

[5] *sexdecim*] sex. Harl.

[6] *octo*] quatuordecim. Ibid.

[7] *Cocthuna*] Coctona. Ibid.

[8] Ad altare sanctæ Mariæ in cryptis pertinent de sacristario septem cerei quotidie ardentes dum missa gloriosæ Virginis dominæ nostræ ibidem celebratur, quorum duos ab antiquis temporibus invenerunt sacristæ; et unus cereus die ac nocte jugiter ardens, ad cujus sustentationem cum quinque superioribus assignavit magister Adam Sortes sacrista dimidiam virgatam terræ quam redemit de Petro de Lenz, et minutas decimas de novem virgatis terræ de Lutletona quas idem sacrista evicit de rectore ecclesiæ de

A.D. 1206.

Redditus camerœ.

of the chamberlain,

Ad cameram pertinent Malgaresburi et Swelle sicut antiquitus fuerunt, et loco Burthone, quæ fuit ad cameram, assignata est Tetlestrope[1] ita videlicet quod abbas ex hac camera nec vestimenta nec hospitium, nec aliquid aliud percipiet sicut consuevit ex priori camera exigere. Hæc autem maneria in perpetuum cum omni integritate sua ad vestimenta monachorum sunt assignata.[2]

Redditus infirmariœ.

of the infirmary,

Ad infirmariam pertinent Bivintona cum bosco[3] et omnibus aliis pertinentiis suis;[4] et molendinum fullonum de Burthona

---

Lutletona, et etiam decimas de assartis de Lenz, quorum licentiam assartandi idem sacrista a participibus commune [*sic*] pasturæ multa pecunia redemit; et unus crassetus tantum de nocte ardens quem sacristæ ab antiquo invenerunt; et una lampas jugiter ardens de decimis de dominico de Lenz, quas prior Thomas primus sacristarum percepit et ad hoc assignavit. Et ne sacrista prædictis gravetur provisum est quod custos altaris ejusdem inveniat vestimenta et alia necessaria eidem altari quæ sacristæ prius consueverunt invenire. Idem etiam custos altaris ejusdem debet invenire triginta lampades ardentes dum missa ibidem celebratur et septem cereos, ad quod faciendum assignata tota sinapis de omnibus grangiis sacristariæ, et omnes oventiones altaris ejusdem, et duo solidi in Eovesham de terra Walteri Per juxta pontem, et decem et novem denarii de terra Willielmi Carpentarii super Runhulle, et duodecim denarii de terra Willielmi de Ourri in nova terra quæ est inter terram Albini de Capis et terram Johannis Gnaveston, et terra uxoris Johannis Caperim quæ est inter terram Philippi sacristæ et terram ejusdem Johannis, et domus fundatæ super spatia duarum soldarum versus portam cœmiterii ecclesiæ, et domus fundatæ super areas trium soldarum et dimidiæ in magno vico juxta murum cœmiterii versus portam abbatiæ, et duæ soldæ quas Adam Sortes emit, et duæ quas prior Thomas emit juxta eas de Ricardo de Warwic, et terra quam M. relicta Credani dedit, et omnes terræ in Eovesham quæ fuerunt Ricardi de Keyt, et quædam terra de Stretford, et duo solidi de terra de Radeford, et de terra de Streygesham duo solidi, et de terra de Martleia duo solidi. Add. Aug.

[1] *Tetlestrope*] Tatelestroppe, et abbas habet Burittonam. Aug. and Harl.

[2] Debet etiam camerarius habere quotidie ad unum servientem procurationem, et præbendam ad unum equum de granario et foragium de grangia sicut servientes et equi abbatis habent. Add. ibid.

[3] et dimidia marca de assarto de Sanford. Ibid.

[4] Debet etiam habere infirmarius unam suem cum nutrimento unius anni vel duos porcos ad plancherum, et unum truncum de celerario contra Natale qualem fert una biga curiæ. Add. ibid.

cum una virgata terræ[1] et aliis pertinentiis suis de quo per- A.D. 1206.
cipit infirmarius tres marcas,[2] et duo molendina de Stowa, de quibus percipit sexdecim solidos, et duo solidi[3] de terra Towi in eadem villa, et duo solidi de terra vicina eidem, et viginti denarii in eadem villa de terra Andreæ, et in Evesham de terra Ricardi Sperwe[4] viginti duo denarii. De terra Galfridi molendinarii decem et octo denarii. De terra Johannis de Kent quadraginta denarii.[5] Apud Penwrtham duo solidi de terra Stephani de More, et decem et octo de terra de Hotune Roberti Antigonie, et duodecim de terra Roberti le Sureis, et sex denarii de quadam terra de Farintona, et duodecim denarii de piscaria de Roberto Bussel. De Sulstan vero dimidia marca.[6] Iste etiam infirmarius debet recipere redditus qui fuerunt de pitanciaria, qui pertinent ad cibos,[7] scilicet de Wortesleia et de Livintona duas marcas, et de sacrista quinque marcas[8 9] quas sacrista dat annuatim pro hospitio quod abbates consueverunt extorquere injuste ab eo, sed abbas Rondulfus secundum privilegia ecclesiæ et statuta capituli generalis sacristariam sicut et alias obedientias decernens liberam esse debere, illi hospitio et omnibus aliis exactionibus pro se et successoribus suis[10] renunciavit, ut in fratrum utilitatibus et ecclesiæ usibus ad quos deputati sunt redditus sacristariæ, sicut et aliarum obedientiarum, libere et absque omni diminutione expendantur.[11]

---

[1] et foragio unius equi et foragio certæ quantitatis ad calefaciendum aquam ad pannos. Add. ibid.

[2] Pro his tribus marcis recipit duas et dimidiam de capella de Baddeseya et dimidiam de capella de Bretfortona. — *Note in margin.* Sed propter prædictas consuetudines tædiosas et onerosas de curia assignet ei abbas alibi illas tres marcas ubi voluerit. Pertinent etiam ad idem officium duo —. Add. ibid.

[3] *duo solidi*] om. Harl.

[4] *Sperwe*] Sparwe. Aug. and Harl.

[5] modo non recipit nisi duos solidos usque post mortem relictæ Johannis. *Note at foot of the page.*

[6] et una marca ad minutiones quam abbas Rondulfus dedit de ecclesia de Huniburne. Add. Aug. and Harl.

[7] *Iste ... cibos*] om. ibid.

[8] De his tamen percipit coquinarius viginti solidos at faciendum misericordiam tertiam, vel dabit infirmario decem solidos cum illis viginti ut ipse faciat tertiam. *Note at the foot of the page.*

[9] *scilicet ... marcas*] Ad refectionem fratrum in infirmario pertinent de Wrottesleia et de Livintona [Lutteltone, *Harl.*] duæ marcæ, de coquinario vero decem solidi, quia parcitur coquinæ per misericordiam; de sacrista autem quinque marcæ. Aug. and Harl.

[10] imperpetuum. Add. ibid.

[11] Et unam marcham quam abbas Randulfus dedit ad emendationem diætæ monachorum prima die minutionum. Hanc percipit de Stouua. *Marginal note.* The last three lines in the text run thus in Aug. and

A.D. 1206. of the almonry,

Redditus eleemosynariæ.

Ad eleemosynariam pertinent duo furni in Evesham, et tertius in Beningwrthe.[1] De terra Johannis de Kent in Evesham dimidia marca.[2] De solda[3] Adæ Credani ante portam cœmeterii[4] quatuor solidi.[5] De terra Johannis Portarii duo-

---

Harl.:—Ut in fratrum utilitatibus et refectionibus quas abbates solent invenire, redditus sacristariæ sicut et aliarum obedientiarum libere expenderentur. The whole of this last sentence (Iste etiam infirmarius . . . . . expenderentur), is inserted in these MSS. under the head of the Pitanciary, in the following section, which is there inserted next to this of the Infirmary. — Ad pitanciariam pertinet de nova terra in Eovesham decem marcæ, de Ambresleia duodecim sextaria mellis, de Ulleberewe viginti quinque solidi, de ecclesia de Hildendune una marca, de redditibus de Penwrtham una marca, de molendino seneschalli de Sanford dimidia marca, de terra inter terram Henrici King et Alexandri Fossard quadraginta duo denarii, de terra Johannis Portarii duodecim denarii. Ad refectionem fratrum in infirmaria . . . expenderentur ; (*ut supra*). Ne autem pitanciarius mendicet pasturam ad oves, boves et porcos, dedit prior Thomas ad pitanciariam in auxilium anniversarii sui boscum in Eche Lenz quem emit de Petro de Lenz, per quem boscum habebit pitanciarius percursum tempore glandis ad porcos usque ad portam de Bordesleye et communam pasturæ omnium vicinorum ad omnia genera animalium adeo libere sicut sacrista pro Lenz et infimarius pro Bivintona habent. Assignavit etiam idem prior Thomas ad anniversarium suum terram in Merstowa quam emit de Hugone de Warwich et terram juxta eam quam emit de filia Rondulfi Sergant. Ad festum etiam sancti Johannis ante portam Latinam faciendum assignavit abbas Rondulfus viginti solidos de pensione sexaginta solidorum de ecclesia de Ambresleia quam quia abbates dederant clericis legatus dedit eam Humfredo clerico suo, qua revocata pro alia, assignavit etiam abbas unam marcam de eadem pensione ad anniversarium suum. Abbas vero Adam assignavit decem solidos de reditu ecclesiæ de Braddewelle ad anniversarium Reginaldi abbatis et alios decem solidos de eadem pensione ad proprium anniversarium.

[1] et omnes furni vallis, et decem et octo denarii de decimis fœni Willielmi de Tywe, Rogeri Allardi et Ernaldi Camberlagi.—*Marginal note.* Et omnes furni vallis in quibus consuetudinarii consuescunt coquere panem, et decimæ fœni Willielmi de Tywe et Rogeri Alardi et Ernaldi Cambralangi. Add. Aug. and Harl.

[2] modo non recipit nisi quatuor solidos et octo denarios usque post mortem relictæ Johannis. *Note at the foot of the page.*

[3] *solda*] soldis. Aug. and Harl.

[4] *ante portam cæm.*] in magno vico juxta soldas sanctæ Mariæ. Ibid.

[5] De alia solda sita (aliis soldis sitis, A. and H.), juxta aliam soldam sanctæ Mariæ dimidia marca. — *Marg. note*, and in Aug. and Harl. The rest of this section proceeds in the latter MSS. as follows ;—

decim denarii.[1] De terra Godefridi Baggard sex denarii.[2] De terra Cranford cum soppa ferri duodecim denarii. De terra Ceciliæ retro furnum sex denarii.[3] De terra Rogel juxta alium furnum viginti denarii. Ad eam etiam pertinet hospitalis juxta pontem, salvis octo denariis refectorario.[4] In A.D. 1206.

De terra Cramfot cum solda ferri duodecim denarii. De terra Godfridi Bagart sex denarii. De terra Ceciliæ retro furnum quatuor solidi. De terra Rogel juxta alium furnum viginti denarii. Et terra quæ dicitur Hospitale versus pontem, salvis octo denariis pitantiario. De terra Rondulfi textoris de feudo Streche viginti denarii. De terra quam Isabella filia Henrici King dedit quadraginta solidi. De terra Ricardi de Pipluctona duo solidi. De terra le Burimon, duo solidi. De terra Ricardi Eadmundi sexdecim denarii. De terra Bonpain duodecim denarii. De terra Stephani presbyteri quadraginta denarii. De terra Lilie sex denarii. De terra Ricardi juvenis duodecim denarii. Et terra Muriellæ de Strigul. De R[icardo] Ywain et hæredibus suis annuatim sex denarii pro licentia colendi Chiteham. In Gloucestria pertinent ad eleemosynariam de terra Johannis Croume quam contulit secum Adam monachus quatuor solidi. De terra Botild quæ data fuit cum Roberto monacho octo solidi. De terra Rogeri Sewi quam Adam Botild dedit duodecim denarii. De terra quæ fuit Esegar undecim solidi. Ad eam etiam pertinent duæ marcæ de pensione sexaginta solidorum de ecclesia de Ombresleia, scilicet viginti solidi ad opus pauperum in Cœna Domini, et dimidia marca in anniversario abbatis Rondulfi. Nam idem abbas contulit has duas marcas eleemosynariæ ratione scripta in capitulo de bonis operibus abbatis Rondulfi. Quum etiam idem abbas fecisset sex molendina in maneriis abbatiæ contulit eleemosynariæ loco decimarum de eisdem molendinis molendinum de Aldintona quod ipse emerat, de quo cum croftis et domibus ad idem molendinum pertinentibus recepit eleemosynarius tempore donationis annuatim sexdecim solidos. De eadem etiam villa percipit eleemosynarius nongenta ova. De toto etiam pane . . . pauperum (*ut infra*, p. 216), et collectam cerevisiæ ad secundum cibum vel potum. Debet etiam eleemosynarius percipere in die Animarum unam summam frumenti de granario. Similiter fiet in obitu cujuslibet monachi Eveshamiæ. De terra filiæ Willielmi de Ponte in Alincestria novem denarii.

[1] Ista pertinent ad refectorium prædicta ratione. *Marginal note.*

[2] De terra Rogeri de Persora in Merstowe duo solidi. In nova terra de domo quam Reginaldus de Locutorio dedit duo solidi. *Marginal note.*

[3] Hæc modo tota pertinet ad eleemosynariam, et valet quatuor solidos. De terra Johannis Bonpain in magno vico duodecim denarii. De terra quæ dicitur Hospitalis quatuor solidi. *Marginal note.*

[4] De terra Randulfi Textoris de feodo R. Streche viginti denarii. De terra quam dedit Isabella filia Henrici King quadraginta solidi. *Marginal note.*

A.D. 1206. Glocestria de terra Johannis Crume quæ data fuit cum Ada monacho quatuor solidi,[1] et de terra Botilde quæ data fuit cum Roberto monacho octo solidi. De terra Rogeri Sewi quam Adam Botild dedit duodecim denarii. Ad eam etiam pertinent duæ marcæ de veteri pensione sexaginta solidorum de ecclesia de Ambresleia, scilicet viginti solidi ad opus pauperum in Cœna Domini ad Mandatum, et dimidia marca ad opus pauperum in die Animarum et anniversario abbatis Rondulfi.[2] De Aldintona nongenta ova. De toto etiam pane infra portam abbatiæ expenso vel liberato ibi cocto vel empto debet eleemosynarius habere decimam, et curam horti monachorum, ut inde habeat pulmentum ad refectionem pauperum.

Redditus operis.

of the fabric, Ad fabricam ecclesiæ et domorum claustro adjacentium pertinent quindecim marcæ de ecclesia de Ambresleia, quæ si aliquo casu solutæ non fuerint abbas ecclesiam et domos cooperire debet. Pertinent etiam ad idem faciendum decimæ de terra Willelmi Burn[3] in Uffeham, et fabri ejusdem villæ et prædicatio[4] et legata fidelium, et si quæ sunt aliæ gratuitæ obventiones.

Redditus cellæ hospitum.

of the guests' chamber, Ad cellam hospitum pertinent minutæ decimæ de tribus Litlethonis ad emendum manutergia ciphos et bacinos hospitibus.

Redditus coquinæ.

of the kitchen. Ad coquinam vero pertinet tertium vivarium post fontem sancti Egwini, et vetus villa et forum de Evesham de quibus percipit coquinarius qualibet die sabbati quinque solidos et tres obolos,[5] et molendina juxta pontem, et molendina in

---

[1] De terra quæ fuit Adæ Hesegar undecim solidos. *Marginal note.*

[2] Nam ille contulit has duas marcas eleemosynariæ ratione scripta inferius in bonis operibus ejus. Quum, &c. (as in the section in note 5, p. 215). *Note at the foot of the page.*

[3] *Burn*] Beorin [Beorim] in Offeham. Aug. and Harl.

[4] *prædicatio*] prædicationes abbatiæ. Ibid.

[5] et annuatim in capite jejunii quatuor millia allecium. *Added in the margin.*

Hamptona cum pertinentiis suis, de quibus molendinis percipit qualibet die sabbati tres solidos, et sexaginta sticas anguillarum annuatim.[1] Et villa de Stowe et forum, de quibus percipit qualibet die Dominica quatuor solidos. De Mortona sexaginta solidi. De Salford[2] sexaginta solidi. De Withlakesford quatuor libræ.[3] De molendino in eadem villa viginti quatuor solidi, et duodecim sticæ anguillarum annuatim. De molendinis seneschalli in Salford viginti solidi. De molendinis de Chedelesburi cum suis pertinentiis viginti quinque solidi, et quadraginta sticæ anguillarum. De molendinis de Twiford et Aldintona cum pertinentiis suis viginti octo solidi, et quadraginta sticæ anguillarum. De molendinis de Uffeham cum pertinentiis suis decem solidi. De Fokemulne dimidia marca. Et molendinum de Wikewane de quo non percipit modo nisi octo solidos. De Uudefe[4] pertinent sexaginta solidi ad coquinam. De piscatione in Ambresleia viginti tres solidi. In Glocestria de terra Roberti Botild tres solidi et obolus. De terra quadam in Winchelcumba et quodam furno duo solidi et una libra piperis. In Evesham de quadam terra in Bruttestrete[5] una libra piperis. De terra Reginaldi filii Willelmi dimidia marca annuatim. De Penuurtham quatuor marcæ, et una summa salmonis.[6] De qualibet carrucata terræ in valle Eveshamiæ de dominico, excepta Aldintona, trecenta ova annuatim, et de quolibet manerio tres denarii ad discos et duodecim ollæ. De Bradwelle nongenta ova et tres denarii et duodecim ollæ. Item singulis diebus debet habere coquinarius foragium[7] ad unum equum, et præbendam vel duo præbendaria de furfure de granario, et duos porcos habere debet ad plancherum, et quotiens emerit in villa de Evesham piscem ad totum conventum debet habere de cellario panem et justam ad opus vendentium. Ad omnes etiam cibos qui condimento cerevisiæ indigent debet habere cerevisiam de cellario.[8] A.D. 1206.

---

[1] Et decimæ molendinorum et fœni pratorum ad eadem molendina pertinentium, scilicet de Evesham et de Hamtona et de Huffeham et de Fokemulle [Fokemulne, *Aug. and Harl.*] et de Twiford et de Chaldelbury et de Baddeseia et de Wikewane. Hæ omnes decimæ deputantur ad allec monachorum in Quadragesima. *Added at the foot of the page.*

[2] *Salford*] Sanford; *et infra.* Aug. and Harl.

[3] argenti. *Added in margin*

[4] *Uudefe*] Wodefe. Aug. and Harl.

[5] *Bruttestrete*] Brutaynstret, Harl.; *a correction.*

[6] et duo millia allecium. *Margin, and in* Aug. and Harl.

[7] *foragium*] feorragium, MS.

[8] et caseum semel in die, ad quem emendum, si non detur de cellario,

A.D. 1206.

Consuetudines cellarii.

The buttery allowances.

Hæ etiam sunt consuetudines Eveshamensis cœnobii ab antiquis temporibus statutæ et a cellerario generali complendæ. A cellario igitur singulis diebus debent in refectorium venire septuaginta duo panes monachiles, quorum quilibet erit ponderis sexaginta quinque solidorum ex quibus singuli monachi singulos percipient. Prior semper duplum[1] nisi cum abbate comederit,[2] nihilominus qui ad superiorem mensam ut custos ordinis sederit duplum.[3] Qui missam majorem celebraverint duos. Lector vero et servientes unum et justam.[4] Eleemosinarius autem septem de decima,[5] et tres ad Mandatum, et duos ad tritennales currentes percipiet. Percipiet etiam quilibet fratrum quotidie duas justas de cerevisia, et certæ mensuræ.[6] Inveniet etiam cellerarius salem, ignem et summagium,[7] et duo pulmenta. Ad unum, de fabis siccis unum præbendarium rasum, vel de novis cumulatum de granario. Ad aliud vero pulmentum, decem panes monachiles de cellario[8] singulis diebus, præter quam in Quadragesima, in qua percipiet[9] duodecim summas fabæ de Huniburne ad unum pulmentum inveniendum per totam Quadragesimam, et de Avena duodecim summas, de eadem villa ad gruellum faciendum, scilicet quarta et sexta feria per totam Quadragesimam, et farinam ad olera singulis

---

assignavit abbas Randulfus capellam de Bretfertona.—*Added at the foot of the page.* Habebit etiam coquinarius ad septem festivitates principales septem summas frumenti de granario ad frixuras, et in festo sancti Johannis ante portam Latinam unum præbendarium, at aliud in festo sancti Odulfi, et tertium in Septuagesima, et quartum in die Parasceve ad pulmentum, et tria ad Pascha ad faciendum flacones, et totidem in Rogationibus ad idem. Add. Aug. and Harl. *See in the following section.*

[1] *duplum*] duos. Ibid.

[2] et unum ad cœnam et justam nisi cum abbate vel in refectorio cœnaverit. Add. ibid.

[3] *duplum*] duos habebit, scilicet unum de pasta abbatis [et unum de communi, *added in margin of Harl.*] et unum ciphum vini de abbate [de vino abbatis, *Harl.*] Aug.

[4] Lector etiam, coquinarius et servitores unum admixtum et justam in hieme. Ibid.

[5] *decima*] pro decima. Aug. and Harl.

[6] duas justas cerevisiæ quarum quælibet continebit duas caritates, quarum caritatum sex faciunt sextarium regis. Nihilominus prior unam ad novum tractum, et qui sederit ad discum unum ciphum ad cibum et alium ad vesperam. Ibid.

[7] et ligna ad ignem, et summagium ad cibum et potum monachorum. Ibid.

[8] *de cellario*] om. ibid.;—vel unum præbendarium rasum de frumento. Add. ibid.

[9] *percipiet*] percipiunt monachi. Ibid.

diebus in Quadragesima. Insuper habere debent monachi ad A.D. 1206.
octo[1] festivitates principales octo summas frumenti ad quamlibet festivitatem unam summam ad frixuras de granario, et in eisdem festivitatibus singulos[2] siffuls[3] de frumento ad wastellos de granario, et in translatione sancti Ecgwini duos, ad prandium scilicet et ad cœnam.[4] Præterea[5] percipiet coquinarius ad Pascha tria præbendaria frumenti de granario ad flaccones inveniendos, similiter et in Rogationibus ad festum sancti Odulfi unum præbendarium ad frixuras, similiter et in Septuagesima, et unum die Parasceve ad pulmentum. Ad formittas vero in Adventu Domini debent habere[6] quatuordecim summas, contra[7] Natale tantumdem,[8] contra Quadragesimam tantumdem, contra Pascha totidem, contra Pentecosten totidem, contra Assumptionem sanctæ Mariæ totidem, contra translationem sancti Egwini totidem; omnes scilicet percipiendas de horreis. Debent etiam habere de cellario singulis diebus sabbati caritatem ad collationem pro mandato, et ad omnes collationes festivitatum tam in capis quam in albis in vigilia et in die, exceptis collationibus septem festiviatum principalium tam in vigilia quam in die, tunc enim refectorarius[9] invenire debet. Debent etiam habere caritatem de cellario ad prandium singulis diebus octabarum principalium festivitatum quæ octavas habent, exceptis diebus quibus sunt in capis, tunc enim refectorarius inveniet; et[10] ad collationem singulis diebus earundem octabarum habebunt de cellario, et a Natali Domini usque ad Epiphaniam simili modo habebunt de cellario; et quandocunque potus est post nonam percipiet refectorarius duas justas, ante collationem vero sex quotidie. Item singulis diebus Dominicis in Quadragesima dimidium præbendarium frumenti de granario ad ob-

[1] *octo*] septem. Aug. and Harl.

[2] *octo summas . . . . . singulos*] om. ibid. See note 8 on pp. 217–8.

[3] *siffuls*] septem cyffoles. Ibid.

[4] octavum ad cœnam sicut ad prandium, et in festo sancti Johannis ante portam Latinam unum sciffol ad wastellos, et in festo sancti Odulfi unum, et in die Omnium Animarum unum, et in anniversario beati Wlsini unum, et in anniversario regum Etheldredi et Kenredi et Offæ unum, et in anniversario abbatis Reginaldi unum, et in anniversario abbatis Adæ unum, et in anniversario abbatis Rondulfi unum. Add. ibid.

[5] This sentence is inserted in Aug. and Harl. in its more suitable place, the section relating to the cook.

[6] monachi. Add. ibid.

[7] *contra*] circa; *et infra*. Ibid.

[8] *tantumdem*] totidem; *et infra*. Ibid.

[9] *refectorarius*] pitanciarius; *et infra*. Aug. and Harl.

[10] *et*] sed. Ibid.

A.D. 1206. latas ad cœnam, et dimidium similiter in Cœna Domini ad idem.[1] In minutionibus[2] vero et in misericordiis regularibus duo et duo unam justam de cellario, tam ad prandium quam ad cœnam; in ventositate vero unam.[3] Serviens vero qui fratres sanguinaverit panem et justam percipiet de cellario si plures fuerint sanguinati. Quotiens etiam mappæ de refectorio abluuntur servientes de lavendrina[4] panem monachilem de cellario habere debent. Et tribus septimanis in Adventu Domini et tribus ante Pascha, singulis scilicet diebus quando fratres balneant, balneatores percipere debent de cellario panem et justam.[5] Item duo capellani, sancti videlicet Laurentii et Omnium Sanctorum, debent habere quotidie de cellario panem et cerevisiam sicut monachi. Debet etiam camerarius habere quotidie ad unum servientem procurationem, et præbendam ad unum equum de granario, et foragium[6] de grangia. Similiter et sacrista. Item in anniversariis, abbatum Reginaldi scilicet et Adæ, habere debent monachi singulos siffuls de granario ad wastellos. Debet etiam in die Animarum eleemosynarius recipere unam summam frumenti de granario pauperibus erogandam; similiter fiet in obitu cujuslibet monachi.[7] Abbates etiam et monachi ejusdem loci per totum annum post obitum suum corrodium[8] totum sicut in vita sua perceperunt, habere debent, quod alicui indigenti pro anima sua erogabitur.[9] Servientes etiam qui vigilant circa fratrem proximum morti panem et cerevisiam habere debent de cellario. Si vero obitus monachi vel abbatis alterius domus, si fuerint de capitulo Eveshamensi, evenerint,[10] ad annale pro

---

[1] *et quandocunque . . . . idem*] om. Aug. and Harl.

[2] *minutionibus*] munitionibus, MS.

[3] *In minutionibus . . . unam*] Qualibet etiam die in misericordiis regularibus habebunt duo fratres unam justam de cellario. In minutionibus vero unam ad prandium et alteram ad cœnam. Qui vero ventosatus fuerit, tantum ea die habebit unam justam de cellario. Add Aug. and Harl.

[4] *lavendrina*] ablutores. Ibid.

[5] *Et tribus . . . justam*] Balneatores etiam quando fratres balneant habebunt de cellario panem et justam singulis diebus per tres hebdomadas ante Nativitatem Domini et per tres ante Dominicam in Ramis Palmarum. Ibid.

[6] *foragium*] feorragium, MS.

[7] *Item duo capellani . . . . . monachi*] Om. Aug. and Harl. *See* p. 210, *note* 7.

[8] *corrodium,*] corredium, MS.

[9] *Abbates . . . erogabitur*] Abbates etiam et monachi Eveshamiæ debent habere corrodium suum sicut habuerunt in vita sua per totum annum post obitum suum, quod alicui indigenti pro animabus eorum erogabitur. Aug. and Harl.

[10] *Si vero . . . evenerint*] Quando vero obitus abbatis vel monachi evenerit alterius domus, si fuerint de capitulo Eveshamiæ. Ibid.

abbate, et tritennale pro monacho de cellario panis et cere- A.D. 1206.
visia sicut et monacho[1] alicui pauperi erogentur. Debet etiam cellerarius dare singulis pauperibus in Cœna Domini qui fuerint in capitulo singulos panes et tria allecia, et de cerevisia quantum opus fuerit.

Si quis vero hæc conservaverit vel adauxerit, adaugeat Dominus dies ejus et conservet eum in vitam æternam. Si quis vero destruxerit vel diminuerit, diminuat Dominus dies ejus et destruat vitam ejus desuper terram. Amen.[2]

Confirmatio legati

Confirmatio vero domini legati talis :—

Confirmation of the ordinances by the legate, 1206.

" Johannes Dei gratia Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus " cardinalis, apostolicæ sedis legatus, dilectis fratribus abbati " et conventui de Eveshamia in vero salutari salutem. Ea " quæ pro statu religiosorum locorum et observantia regulari " provide statuuntur, firmiter et inviolabiliter volumus obser- " vari. Ea propter vestris postulationibus annuentes, constitu- " tiones quasdam pro statu monasterii et religionis observantia " inter vos communi factas assensu et redactas in scripto, prout " rationabiliter et regulariter factæ sunt, et ab utraque parte " sponte receptæ, legationis auctoritate qua fungimur confir- " mamus, et præsentis scripti patricinio communimus."

Confirmatio domini papæ.

Domini autem papæ confirmatio hujusmodi :—

Confirmation by the pope, 16 Feb. 1216.

" Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis " abbati et conventui monasterii de Evesham salutem et " apostolicam benedictionem. Quum a nobis petitur quod " justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo " exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad " debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino " filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, " regulares dispositiones reddituum vestrorum qui de communi " consensu capituli sunt ad officia vestri monasterii deputati, " sicut provide factæ sunt, auctoritate apostolica confirmamus " et præsentis scripti patrocinio communimus ; inhibentes ne " redditus ipsi contra regularem dispositionem vestram in usus

[1] *monacho*] uni mon. Aug. and Harl. | [2] Amen, Amen, Amen. Aug.

A.D. 1206. " alios transferantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc " paginam nostræ confirmationis et inhibitionis infringere vel " ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare " præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei et beatorum " apostolorum Petri et Pauli Ejus se noverit incursurum. " Datum Laterani quarto decimo kalendas Martii, pontificatus " nostri anno octavo decimo."

Qualiter episcopus contra nos egerit per literas communes super jurisdictione vallis, et utrum lis sit contestata vel non.

The bishop of Worcester prosecutes his suit respectingthe churches of the Vale before the papal commissioners, 1207.

Post recessum legati vocavit nos in jus episcopus Wigorniæ auctoritate litterarum communium præscriptarum coram Roffensi et Elyensi episcopis et magistro Benedicto canonico Londoniensi, et quum pluries comparuissemus coram eis apud Sanctum Albanum tandem exhibita sunt ibi privilegia regum et lecta in auditorio eorum. Hinc animadvertat prudens advocatus quem causa hæc expectat, quatenus videlicet sit in causa processum, scilicet utrum in hac causa lis sit contestata coram domino papa per primos nuncios nostros Hermefredum et Ricardum, vel coram primis judicibus nostris in Anglia, vel iterum coram domino papa in litterarum istarum obtentu, vel hic coram judicibus nostris per talem instrumentorum lectionem, vel nusquam. Hæc ideo sub dubitatione posui, quia pro qualitate litterarum per quas episcopus nos convenerit, poterit nobis obesse vel prodesse litem fuisse vel non fuisse contestatam, ut semper quantum poterimus judicium subterfugiamus quia possidemus.

Qualiter locutum fuit de pace inter abbatem et episcopum.

Proposals between the bishop

Interim locutum fuit de pace sub hac forma, quod nos renunciare deberemus quæstioni duorum millium

marcarum argenti petitarum nomine expensarum factarum in judicio petitorio super exemptione monasterii nostri in quo obtinuimus, quia in judicio possessorio fuimus victores quoad vallem sed victi quoad monasterium, episcopus vero e contrario, et ideo neuter ab alio potuit petere expensas. Deberemus etiam renuntiare quæstioni de jurisdictione novem ecclesiarum extra vallem, quas dicimus esse sitas sicut ecclesias vallis in loco quem summus pontifex Constantinus libertati donavit, sicut regia potestas regiæ libertati donavit, *loco* videlicet large accepto ut caput cum membris complectatur, et quod ita intelligi debeat expresse continetur in privilegio Innocentii secundi ubi dicitur quod pastoralis cura totius domus et aliorum locorum ad eandem ecclesiam pertinentium penes abbatem permaneat; et in signum libertatis quibusdam earum conferimus chrisma et oleum, in quibusdam vero colligimus denarios beati Petri; et super his duabus quæstionibus obtinuimus literas domini papæ quando fuimus in generali concilio.[1] Deberemus insuper dare ei baroniam nostram in Wigornia cum ecclesia sancti Albani et capella sanctæ Margaretæ, et in Kinwertone vel Westone vel alias extra dominicas villas nostras advocationem ecclesiæ vel ecclesiarum valentem viginti marcas. Episcopus vero debuit renuntiare omni quæstioni super jurisdictione vallis, et concedere nobis ecclesias de Ambresleia et de Stowa in proprios usus de quibus habemus indulgentias domini papæ, quod ita sint licet forte minus sint sufficientes, salva ei in eisdem omni jurisdictione episcopali, et debuit concedere quod Willerseia esset omnino libera, sicut ecclesiæ vallis.

A.D. 1207. and abbot for a settlement of the dispute.

[1] *concilio*] consilio, MS.

A.D. 1207. *De recessu magistri Adæ Sortes et morte magistri Thomæ de Norwich, et casu turris et reparatione ejusdem.*

The proposals rejected by the convent.

Sed quum abbas hanc formam pacis conventui retulisset noluit conventus ei consentire, quia labe simoniaca plena eis videbatur; et quia magister Adam Sortes prius et cæteris constantius ei contradixit, tantum odium, iram, et indignationem concepit abbas adversus eum, quod recto oculo ab illa die deinceps, quamvis forte nec prius, illum non respexit, sed in tantum eum est persecutus quod simul non poterant commorari. Ille vero tantam persecutionem sustinere non potens, omnimodis operam dedit ut a nobis recederet, et quum ab abbate impetrasset quod daret ei literas dimissorias, nos tam nobilis membri[1] ecclesiæ jacturam non sustinentes, quum illum apud nos nequaquam possemus retinere, concessimus ei literas commendatitias sub tali forma quod quandocunque vellet posset redire. Et quum jam vellet recedere, tanti viri periculo compassi, nec abbas vellet eum apud se moram facere, obtinuimus ab abbate ut faceret eum priorem de Penwrtham ut ita non viderent se ad invicem, quod et factum est, et mansit ibi per septennium et amplius usque in quintum diem post depositionem[2] abbatis. Eodem vero anno post recessum ejus mortuus est ille in negotiis ecclesiæ constantissimus monachus, magister videlicet Thomas de Northwich, pro quo omnibus hujus ecclesiæ amicis est orandum; et turris ecclesiæ cecidit et comminuit presbyterium et (exceptis feretris sancti Egwini, sancti Odulfi, et sancti Credani miraculose conservatis) omnia quæcumque erant preciosa in eo cum feretro sancti Wistani et aliis feretris et majori altari et tabulis et

Adam Sortes being driven out by the abbot is made prior of Penwortham.

Death of Thomas de Northwich.

Fall of the tower of the church.

[1] *membri*] menbri, MS.

[2] *depositionem*] depotionem, MS.

aliis ornamentis circa illud existentibus. Quorum omnium maximam partem tam ante prioratum meum quam post prioratum expensis labore meo et industria acquisitis usque ad summam centum marcarum reparavi, et alii fratres viriliter mecum omnia in melius reformaverunt, quia redditus operis abbas sibi appropriavit, pro quorum defectu turris imperfecta cecidit. A.D. 1207.

Qualiter episcopus propter exilium suum omiserit abbatem et conventum vexare; et qualiter Romani creditores nostri fuerint privilegiis nostris spoliati, et de regno a rege fugati. A.D. 1208.[1]

Interim factum est generale interdictum totius Angliæ, quia dominus rex noluit admittere magistrum Stephanum de Longetone quem dominus papa ad electionem monachorum Cantuariæ, rege non consentiente, consecraverat in archiepiscopum. Quare episcopus Wigorniæ exulavit cum aliis episcopis Angliæ, nec apposuerunt amplius ipse vel successores ejus Walterus, Silvester, Willielmus, in eadem causa vexare nos usque ad tempus quo hæc scripta sunt. Rex etiam, pro prædicto facto admodum turbatus, fecit omnes Romanos quotquot erant in Anglia comprehendi, et omnibus bonis quæ secum habebant spoliatos de terra sua fugari. Inter quos et creditores nostri qui tunc temporis venerant pro pecunia sibi debita omnibus instrumentis suis et privilegiis nostris a domino rege spoliati sunt, et posita sunt privilegia nostra in thesauro regio, primum Londoniis, et postea apud castrum de Corf.

The bishop leaving England on account of the interdict, his controversy with the abbey is suspended, and never revived.

The Roman creditors come to claim their debts, but are expelled from England by the king.

[1] Annales Wigorn., in Wharton's Anglia Sacra, vol. i. p. 480.

A.D. 1208. *Iteratum consilium Thomæ prioris qualiter pro tempore causa vallis sit agenda.*

Marleberge's advice to his brethren in case the controversy should be renewed.

Quia in superioribus prout potui ea quæ in causa ista acta sunt scripsi, necessarium mihi videtur ut aliqua quæ post hæc reor agenda ad instructionem posterorum transcribam, quamvis quædam secreta stylo minime sint commendanda, quæ ideo scribere omisi ne ad adversariorum perveniant instructionem. Quum igitur allegationes meas superius scriptas et literas domini papæ communes ex eisdem allegationibus formatas ante oculos mentis revoco, mihi videtur quod forma illa literarum in gravamen ecclesiæ nostræ maximum concepta est, quia, ut alias scripsi vobis, tempore hujus actionis gratiam domini papæ et totius curiæ rationibus prius scriptis amiseramus, quare adversarii nostri, et nescio quibus aliis rationibus, valde favorabiles tunc temporis extiterant. Si igitur prudenti patrifamilias qui sciat de thesauro suo dupliciter proferre nova et vetera visum fuerit sicut et mihi, vel in ipsa causæ ventilatione, in judicio, vel ante actionem, quærat gratiam domini papæ et in integrum restitutionem ad dicendum [1] rationes omissas in priori judicio quando nos causam istam egimus coram domino papa, scilicet illas quas præscripsi vobis, et si quas ex privilegiis nostris sciat elicere meliores; omissas dico, quia etsi illas tunc dixerimus tantum de duabus illarum facta est mentio in literis domini papæ, quare prudens advocatus dissimulabit eas tunc fuisse dictas de quibus in literis nulla facta est mentio, ut ad eas dicendas [2] restituatur. Sic feci et ego in priori judicio. Nam quum expresse innuant Innocentius et Alexander secundus quod alia loca sint exempta quam monasterium, sicut superius allegavi,

[pp. 188, 190 ?]

[1] *dicendum*] discendum, MS. [2] *dicendas*] discendas, MS.

dominus papa in literis communibus tantum de privilegio Constantini facit mentionem et ponit in quæstione quod expresse ab Innocentio exponitur, et sic, ut mihi videtur, si omnes rationes omnium privilegiorum simul collectæ attendantur (quod minime in literis illis factum est) non poterit eis responderi quin ecclesiæ illæ sint exemptæ. Præterea, quum per attestationes (quas sub sigillis judicum inclusas propter varios casus qui possint contingere in thesauraria reservavi) expresse patet, et adhuc, si prudens advocatus magis putaverit expedire, per testes potest probari, quod bona fide et justo titulo, sicut prius dixi, præscripserimus jus episcopale in eisdem ecclesiis per tantum tempus quanta est memoria hominum, dominus papa per subductionem temporis vacationis ecclesiæ Wigornensis, si forte tantum fuerit quod eo subducto nostra præscriptio minime sit completa, nostram præscriptionem penitus evacuat. Sed si restituti fuerimus ad dicendum rationem omissam non oberit nobis tempus vacationis, quia, sicut ex pluribus tam juris civilis quam canonici locis colligi potest, tantum contra illa loca tempore vacationis non currit præscriptio quæ œconomum[1] non habent vel defensorem qui causas eorum tempore vacationis exerceat vel defendat. Et ecclesia Wigornensis habet priorem qui fungitur vice decani, habet et archidiaconum, quorum quilibet vacante sede vindicat sibi executionem omnium officiorum episcopalium quæ per alium quam per ipsum exerceri possunt, veluti institutiones clericorum, custodiam ecclesiarum vacantium, cognitionem et executionem omnium causarum ad episcopum pertinentium, et si quæ sunt similia; et sic ecclesia Wigornensis quoad talia nunquam vacat quin in his contra eam currat præscriptio, quum habeat tales per quos actiones ejus possint exerceri et defendi, maxime quum archidiaconus hæc eadem jura petat in ecclesiis nostris quæ A.D. 1208.

[1] *œconomum*] yconomum, MS.

A.D. 1208. et episcopus. Et hæc omnia parati sumus probare per testes omni exceptione majores; et revera a quocunque illorum fiant, sicut dixi, ista, vacante sede ab aliquo illorum exercentur, quia illa quæ sibi petit episcopus in ipsis ecclesiis competenter ab illis possunt exerceri. Si itaque his rationibus hæc exceptio episcopi de tempore vacationis sedis Wigornensis quassata fuerit, liquidum est quod præscriptio nostra sit completa, salvis episcopo quibusdam capitulis in quibus videtur interrupta. Sed si circa interruptiones restituti fuerimus ad dicendum rationes prætermissas, bene constabit nullam factam fuisse interruptionem, quia revera quæcunque facta sunt quæ videntur facere interruptiones a non dominis, immo quasi a mercenariis, a vicariis annuis, et aliis hujusmodi, qui nihil horum in quibus videtur facta interruptio possidebant, facta sunt; quare quæ a talibus facta sunt quod nobis dominis non debeant præjudicare ex pluribus locis legum et canonum potest haberi, et etiam nobis non consentientibus, immo ignorantibus, hæc facta sunt, quæ omnia per testes legitimos parati sumus probare. Si ergo hæc sufficiunt ad interruptiones istas annihilandas, relinquitur quod plene illas ecclesias præscripserimus. Itaque quamvis hæc omnia alias dixerim, laudo quod dissimuletur me hæc dixisse, et quamvis non videantur alicui ad propositum sufficientia, ut saltem per hæc iterum, sicut prius fecit, capiat causæ hujus determinatio dilationem, quia possidemus. Si alicui vero videantur cum melioribus rationibus a se adjectis ad propositum sufficientia, laudo quod hujus in integrum restitutionis ad dicendum rationes omissas petitio non differatur usque dum ventum fuerit ad litem, sed ut litem prævenia-
mus impetrando restitutionem et revocatorias; nec
p. 192. timeatis clausulam illam, "nullis literis præter consen-
" sum partium impetratis præjudicantibus," quia in istis ultimis, si impetrantur, tam de hac clausula quam de tota forma literarum primarum fiet mentio, et sic

non nocebit clausula illa, Hoc autem sciatis quod si gratiam domini papæ tempore hujus actionis habuissemus sicut tempore alterius habuimus, in hac sicut in illa prædictis rationibus obtinuissemus. Hoc etiam provideatis, ut si alias literas impetraveritis quod in illis contineatur petitio expensarum factarum in prima lite ut prædictum est. In illis etiam fiat petitio rationibus præmissis exemptionis et jurisdictionis novem ecclesiarum, scilicet de Chirchlench, Kyneuuertone, Westone, Ambresleie, Willerseie, Bradwelle, Stowe, Burthone, Swelle, quæ omnes pertinent ad locum istum quem Constantinus dedit libertati; et si forte præventi fueritis ab episcopo et facti rei, sicut adhuc sumus, nihilominus per reconventionem eadem petatis. Hæc ideo vobis dixerim, quia mos curiæ Romanæ est ut piæ matris, ut si quos virga patris læserit eosdem uberibus matris si fieri potest consoletur, unde causas quæ in ea aguntur sæpe dividunt, sicut nostram fecerunt, ut pro utraque parte ferant sententiam, ut nullus tristis recedat. Pro magno enim reputabunt si episcopum ab impetitione nostra quoad novem ecclesias absolverint, et in expensis mitius cum eo egerint, et nobis ecclesias vallis adjudicaverint. Hæc vobis scripsi ut quum venerit hora eorum viriliter agatis et reminiscamini quia ego dixi vobis, orantes pro me. A.D. 1208.

A.D. 1207–13.

Incipit Particula Quinta.

De multiplicata tyrannide abbatis et suprema depressione conventus ab eo.

Renewed tyranny of the abbot, which continues seven years.

Nunc itaque ad alia circa statum ecclesiæ nostræ procedam, ut discant successores nostri sicut in præmissis ita et in aliis adversa sustinere, qualia nos temporibus nostris pro veritate et ecclesia ista sustinuimus. Igitur mortuo magistro Thoma de Northwich et magistro Ada Sorte amoto, et regno, ut prædictum est, propter consecrationem archiepiscopi turbato, abbas noster ad vomitum reversus quæcunque volebat veluti ut neminem timens faciebat, et facta sunt novissima nostra pejora omnibus prioribus. Nos vero de necessitate facientes virtutem colla jugo submisimus, et videntes quod non erat qui nobis justitiam exhiberet quantum humana fragilitas permittebat patienter omnes injurias nobis ab abbate illatas, quas difficillimum esset enumerare, sive volentes sive nolentes sustinuimus, et habentes fiduciam in Domino speciales quotidie fecimus orationes ut mitteretur nobis auxilium de cœlo.

De adventu domini Nicholai legati in Angliam et Romanorum creditorum Eveshamiæ, et compositione facta cum eis per Thomam monachum.

A.D. 1213. Arrival (about Michaelmas, *Matt. Paris*) of the legate for the removal of the interdict.

Tandem quum per septennium in fame et siti, in frigore et nuditate, tantam sustinuissemus penuriam, misertus est Dominus ecclesiæ Anglicanæ, et, visitante nos Oriente ex alto, missus est in Angliam a domino papa dominus Nicholaus Tusculanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, qui, archiepiscopo jam revocato, generale solvit interdictum. Venerunt etiam Romani creditores nostri, qui petebant a nobis quadringentas marcas nomine sortis, septingentas vero nomine pœna-

The Roman credi-

rum et expensarum, super his literas domini papæ deferentes ad dominum Pandulfum, domini papæ camerarium, qui dominum archiepiscopum revocaverat. Et quum obtinuissent Romani privilegia nostra et omnia sua a domino rege, vocati fuimus edicto peremptorio ut compareremus apud Eboracum, et missus sum ego illuc procurator, et iterum Northamptoniam, et postea Londoniam. Et excepi contra eos quod non debebant petere pœnas quia nos non fuimus in mora nec in culpa, veluti non habentes aliquos redditus tempore intermedio, eo quod rex omnes possessiones ecclesiasticas Angliæ tenuerit in manu sua tempore interdicti, et multis aliis modis excepi contra eos. Unde tandem composuimus in vigilia Omnium Sanctorum apud Walingeford quod deberemus dare eis quingentas marcas pro sorte pœnis et expensis; et multum placuit domino legato hæc compositio et domino archiepiscopo qui tunc ibi erant præsentes, et confirmata est a domino Pandulfo, et præfixus est dies solutionis infra octabas Epiphaniæ.

A.D. 1213. tors return to claim their debts.

Agreement with the creditors at Wallingford, 31 Oct.

De motione dominorum legati et archiepiscopi contra abbatem eo quod nollet solvere Romanis quingentas marcas.

Quum autem retulissem hanc compositionem domino abbati et conventui, placuit conventui. Abbas vero respondit, jurans per reginam angelorum, quod nunquam redderet inde unum denarium, (et verum dixit, prophetans sibi malum, quia ante tempus solutionis depositus est,) sed præcepit quod ego qui eandem pecuniam Romæ consumpseram, ut dixit, ipsam Romanis persolverem, quum tantum septuaginta marcas in biennio quo ibi steteram mutuo accepissem, ille vero in sex septimanis quibus ibi fuerat quingentas et triginta marcas mutuo accepisset, de quibus omnibus tantum ducentas solverat. Ego itaque

The abbot refuses payment.

A.D. 1213. recessi sicut injunctum fuit mihi, ut nuntiarem responsum abbatis domino legato et domino Pandulfo et creditoribus Romanis. Et quum Londoniis illos invenissem et nuntiassem eis responsum abbatis, valde moleste illud tulerunt, conservantes omnia verba illa, conferentes ea in corde suo; nullum tamen certum responsum mihi dederunt, sed præceperunt ut sequerer eos. Et quum diu moram facerem Londoniis, quadam die post cibum clam recessi apud Croindene, accipiens mecum fratrem meum uterinum, dicens quod pro negotiis ejus recederem, et reliqui Londoniis servientes abbatis qui semper insidiabantur mihi, et locutus sum cum domino Cantuariensi super responsione abbatis. Et quum tunc esset cum eo magister Ricardus decanus Sareberiensis, postmodum episcopus ejusdem loci, et essem ei notissimus quia discipulus fueram quondam archiepiscopi et conscholaris decani, usque ad mediam fere noctem habuimus tractatum super statu et agendis ecclesiæ nostræ. Quum enim adhuc nescirem voluntatem domini legati, procuravi quod dominus Cantuariensis ut tutor noster et legatus perpetuus accederet ad domum nostram et cogeret abbatem ad solutionem prædictæ pecuniæ vel deponeret eum, et proposui ei satis liquidas manifestas et sufficientes rationes ad ejus depositionem.

Marleberge goes to the archbishop at Croydon, and urges him to visit the abbey.

De quæstione habita coram archiepiscopo super potestate ejusdem in abbatem Eveshamiæ.

Orta est autem ibi maxima quæstio inter nos de potestate domini Cantuariensis in nobis. Ex una parte propositum fuit quod tutor habet potestatem in capite libero, non ut pupillum exhæredet vel in aliquo lædat vel damnificet, sed ut ipsum et patrimonium ejus conservet et tueatur; non ergo potuit abbatem deponere, sed magis, ut in privilegio continetur, "si quid sinistræ par- p. 181. "tis inibi compertum fuerit oriri, per ipsius corrigatur

Discussion about the archbishop's visitatorial power.

" industriam et cautelam," non ergo per sententiam, A.D. 1213.
sed facta inquisitione super eo quod per ejus cautelam corrigi non potest, fiat relatio ad dominum papam ut ipse per sententiam corrigat. Non enim aliter esset cœnobium Eveshamense soli[1] Romano pontifici et ecclesiæ Romanæ subjectum, si abbas ab alio quam ab ipso posset deponi. Ex adverso autem dictum fuit quod quamvis dominus archiepiscopus sit tutor ecclesiæ Eveshamensis, nihilominus tamen dominus papa curam animarum ejusdem loci ei ut suo vicario vel legato commisit sicut in eodem privilegio continetur; ergo clarescentibus culpis videtur habere potestatem deponendi abbatem sicut habet ipse delegans. Ad quod fuit responsum quod fortassis hoc locum haberet nisi ejus specialis legatio per præsentiam generalis legati esset suspensa. Ex adverso vero fuit dictum e contrario quod generalis legatio non extendebat se ad Eveshamensem ecclesiam quia in ea de speciali nulla facta fuit mentio. Nobis itaque in hunc modum altercantibus et dubitantibus, nulla super his certa habita definitione, non proficiens in proposito meo recessi, et secutus sum dominum legatum sæpe sollicitans eum super cogendo abbatem ad solutionem prædictæ pecuniæ; nullum tamen certum responsum potui ab eo recipere donec venissemus Oxoniam.

Marleberge betakes himself to the legate.

Qualiter legatus præceperit Thomæ monacho quod statum ecclesiæ Eveshamensis ei intimaret, increpans eum quod absque jussione hoc non fecerit.

Quum igitur esset sero die una sabbatorum post- He is reproached by the legate for
quam venimus Oxoniam, assidente ei prædicto decano Saresburiensi et domino Pandulfo, vocavit me dominus

[1] *soli*] solo, MS.

A.D. 1213. not revealing the state of the abbey.

legatus et oculo obliquo et vultu torvo respiciens me, dixit mihi, " Miserrime hominum, qui tantus habebaris " in curia Romana, quomodo nunc conversus es in " tantam perfidiam ut qui tunc tam fideliter tam " constanter stetisti pro ecclesia tua, nunc vides eam " subverti et non compateris? Utquid liberasti eam a " servitute sæculari si non liberes eam a peccatis et " servitute diabolica? Putasne nos nescire quod periit " apud vos religio, et quod in tantam incidisti mise- " riam quod non habetis jam ubi caput reclinetis, et " tu negligenter agis? Immo malitiose, quia faves " abbati tuo et agis cum eo qui est scandalum totius " religionis." Et adjecit, " Per beatum Petrum, veniemus " ad vos in virga furoris, et ita primo puniemus te eo " quod hæc nobis non revelasti, quod cæteri timebunt " quicunque audierint verbum hoc." Ego vero quum hæc audissem magis timui, et voce flebili respondi, " Domine, quid me vis facere? Deo teste, ego non " faveo abbati meo, teste domino decano qui aliquando " audivit me pro posse meo impugnare facta ejus." Et quum perhibuisset mihi testimonium decanus, quasi per hoc mitigatus legatus dixit mihi, suppressa voce quia fere omnia alia audierat clericus abbatis qui tunc advenerat ut mihi insidiaretur, " Vade et confirma " fratres tuos, et non timeas, quia in spiritu mansue- " tudinis veniemus ad te, sed caveas tibi quod per te " sciamus veritatem status interioris et exterioris ec- " clesiæ vestræ, et bene tibi erit; si autem per alium " male tibi erit, quia novimus te omnia bene nosse." Et subjecit, " Vide ne aliquis sciat verbum istud præter te solum." Ego vero gaudens recessi et mane veni Bradewellam, et invento ibi abbate nuntiavi ei probra quæ dixerat mihi legatus, veruntamen adventum legati non revelavi ei, et quum clericus ejus perhibuisset mihi testimonium super his quæ audierat, abbas suscepit me quasi in ampliorem gratiam, quia probra illa videbar pro eo sustinuisse. Et quum vellem recedere Evesha-

The legate promises to visit Evesham.

miam non permisit, audierat enim quod dominus legatus transitum faciens per partes illas iturus esset Bristollum. Die autem sequenti audivimus quod veniret Brueriam et ivimus ei obviam, et recepit nos verbis pacificis, et quum audissemus sermonem ejus in capitulo licentiati ab eo recessimus, adhuc putantes quod Bristollum tenderet. Et ecce nobis egredientibus per portam abbatiæ, venit quidam nuntius deferens abbati literas domini legati continentes quod in crastino veniret Eveshamiam. Quas quum audisset dominus abbas statim concidit cor ejus, et dixit, "Quid sibi vult tam subitum man- "datum quum nihil inde dixerit nobis legatus in re- "cessu nostro?" Et conversus ad me dixit me omnia ista machinatum fuisse, et ivimus Bradewellam. Quum vero comedissemus apud Bradewellam festinanter, jam inclinata die ivimus Eveshamiam, semper in itinere conferentes adinvicem de iis quæ accidere poterant, abbate crebro increpante me de subito adventu legati. Et quamvis constanter negarem hoc per me factum non fuisse sæpe comminatus est mihi, unde valde timui ne occideret me, erat enim nox. Et venimus Eveshamiam. In crastino vero circa horam tertiam venit dominus legatus, et recepto eo cum sollemni processione, ea die non est ingressus capitulum. Interim tam ex parte abbatis quam ex nostra varia facta sunt conventicula et concilia.[1] Ego vero paucos ex fratribus quos novi fidelissimos de voluntate legati consolatus sum, non tamen aperte alicui voluntatem legati revelavi. Altera autem die ingressus est dominus legatus capitulum cum magno comitatu[2] clericorum suorum et plurimorum abbatum, et primum facto sermone, dixit, "Multa mala audivi- "mus de domo ista, et, Deo teste, ad hoc venimus ut "statum ejus corrigamus. Surgat ergo aliquis vestrum "et dicat nobis statum hujus ecclesiæ tam interiorem

A.D. 1213.

The legate comes to the abbey.

[1] *concilia*] consilia, MS. | [2] *comitatu*] commitatu, MS.

A.D. 1213. " quam exteriorem, nec parcat alicui, et si quid forte " minus dixerit, præcipimus sub pœna excommunica- " tionis quod alii suppleant." Nullo itaque ad hanc jussionem surgente, timui mihi. Erant enim oculi ejus et fere omnium fratrum intenti in me; supersedi tamen, secundam expectans jussionem.

Qualiter Thomas monachus accusaverit abbatem coram legato.

Marleberge, at the legate's command, accuses the abbot.

Tunc conversus ad me dominus legatus dixit, " Tu qui stetisti in curia Romana pro ecclesia ista, surge." Et quum stans excusarem me per insufficientiam et ignorantiam, adjiciens quod multi erant seniores me et qui melius noverant statum ecclesiæ quam ego, cunctis fere fratribus acclamantibus ut præciperet mihi quod loquerer, præcepit ut procederem in medium et dixit mihi, " Nemini os tuum nec capiti nec membris[1] " parcat, quia per beatum Petrum si cuiquam peper- " ceris non parcemus tibi." Ego vero quamvis bene præmeditatus, sæpius enim super his mecum deliberaveram, tamen quia ambigua sunt fata causarum timens exitum causæ nostræ, tremens et stupefactus flendo etiam in hunc modum assumpsi parabolam meam, dicens, " Quamvis secundum jura civilia et canonica non " liceat subditis prælatos suos passim accusare, tamen " ex certis causis accusare eos conceditur eisdem, de " quibus causis aliquas in medium deducam quæ domi- " num abbatem nostrum et nos ad præsens contin- " gunt. Si igitur vita prælati tam inhonesta sit qualis " est vita abbatis nostri, quod per subsequentia, Deo " favente, omnibus luce clarius liquere faciam, quod " non tantum subditis sed etiam aliis prope positis " scandalum ex ea generetur, locus est subditis accu- " sationi, ne si forte vitia ejus non impugnaverint, " vel vitiis ejus consentire vel eisdem ipsi laborare

[1] *membris*] menbris, MS.

" credantur. Et quia juris periti estis non est necesse A.D. 1213.
" mea circa hujusmodi jura allegare, ne tædio vos affi-
" ciam, quamvis ad excusationem mihi sufficiat quod
" licet monachis jura ignorare. Licet etiam subditis
" prælatos accusare quando per eorum accusationem
" grave periculum vitatur vel maxima utilitas acquiri-
" tur, aut si non accusaverint ipsis vel ecclesiæ grave
" incommodum vel periculum imminet, vel maxima
" utilitas amittitur. Quæ omnia in casu præsenti
" locum habere per subsequentia manifeste probabo,
" quamvis hæc omnia ex abundanti præmiserim, quum
" jussio superioris non tantum ab omni culpa in hac
" parte me excuset, sed etiam agendi contra abbatem
" necessitatem ingerat. Igitur quia scriptum est quod
" justus in principio accusator est sui, salva pace quo- Prov. xviii. 17.
" rundam fratrum nostrorum quorum mens ita in ordine
" solidata est quod nullo terrenorum impulsu ab ejus
" observatione possunt separari, monasticus ordo depe-
" riit fere apud nos, et, ut verum fatear, (sicut ex
" subsequentibus patebit), ob defectum administra-
" tionis exteriorum humanitati fragilitati et infirmitati
" nostræ necessariorum. Quum enim silentium quod The rule of silence not observed.
" est cultus religionis locis et horis statutis observare
" deberemus, fame et siti afflicti non tantum conque-
" rentes loquimur tempore et loco silentii, verum
" etiam, quod beatus Benedictus maxime prohibet, [Reg. Bened. capp. 5, 23.]
" incessanter[1] fere murmuramus. Per multos enim
" dies, quorum numerum non memoriter teneo, in solo
" pane et aqua, ob defectum pulmentorum et quo- Deficiency of food; nothing but bad bread and water to be had.
" rumlibet aliorum ciborum et cerevisiæ, vitam duxi-
" mus in refectorio. Panis autem qui nos pascebat
" sæpe talis erat de quo etiam minimi servientes
" abbatis edere recusabant, quum ipse et servientes
" sui pane peroptimo et aliis cibis delicatissimis re-
" ficerentur. Et quum sæpius abbas reficeretur ante

[1] *incessanter*] in incessanter, MS.

A.D. 1213. " capitulum, nos pro defectu cibariorum jejunavimus
" usque ad meridiem æstatis tempore, in hieme vero
Meals at irregular hours. " usque ad vesperam; et, ut breviter dicam, a multis annis retro raro contigit quod horis statutis
" simul haberemus panem cerevisiam et pulmenta,
" immo fere nunquam contigit quin cum aliquo de-
" fectu ad mensam sederimus. Nam si aliquo casu
" (quod tamen raro contigit) esculentum et pocu-
" lentum habuimus ut miseram vitam duceremus,
" quamvis rarissime secundum abusum nostrum hæc
Often no fuel or salt. " habuimus, fere semper contigit quod ligna ad coquendum cibum defuerunt, vel sal ad condiendum. Proh
" dolor! Unde sæpissime contigit ut si quatuor ova
" habuimus quartum pro sale in villam misimus." Et de omnibus his certos defectos, certos dies et horas certas expressi, quorum omnium modo expressos casus ponere esset tædiosum et inutile, quibus tunc expressis abbas non potuit eis contradicere, sed ex paupertate hæc omnia contigisse asserebat. " Præterea, pater
" sancte, opus Dei ad quod venimus in ecclesia Dei
" fere apud nos defecit, quia quum non sit nostræ consuetudinis quod quis sine frocco vel cuculla vel aliis
The brethren are obliged to remain in the infirmary for want of frocks and cowls. " vestimentis ordinatis conventum sequatur, paucissimi sunt ex nobis, ut hic videre potestis, quibus non
" desint frocci vel cucullæ vel alia vestimenta ordinata,
" unde pauci ex nobis ecclesiam, claustrum, vel refectorium sequuntur, sed in infirmaria pro defectu
" vestimentorum morantur." Unde ad probandum verbum istud, ut ego opinabar, capellanum abbatis vocavit ad se, et eo palpato invenit eum in sola staminea
Masses neglected for want of breeches for the celebrants. et cuculla, hiemis, ut erat, tempore. " Præterea,
" pater sancte, quum secundum traditionem nostram
" non liceat nobis absque femoralibus missas celebrare
" et multi ex nobis eodem careant vestimento, ob
" defectum eorum multorum sacramentorum celebratio
" est omissa, quorum numerum propter multitudinem
" ignoro. Proh pudor! Capellanus etiam abbatis, non

" ille quem modo probastis sed ille alius," (ex nomine illum designans quum esset ibi præsens) "quum missam " coram abbate celebrare deberet et femoralibus careret, " accommodavit ei abbas femoralia sua, quum missam " celebrasset restituenda. Ex his etiam defectibus, pater " sancte, pejores exordinationes supradictis nobis con- " tigerunt. Quia libere discurrebamus quocunque vole- " bamus, nec poterat prior vel alii custodes ordinis nos " libere corripere, nobis respondentibus quod non pote- " rant nobis victum et vestitum invenire, et quum non " haberemus quid in refectorio comederemus, in thalamis " et angulis carnes comedimus. Et quidam, quasi oves " sine pastore errantes, discurrebant per patriam ad ab- " batias vicinas, alii autem ad cognatos et amicos, quæ- " rentes ab eis aliquod miseriæ suæ remedium, quorum " ego primus sum, et facti sumus quasi girovagi, nemine " prohibente quia necessitate cogente. Unde pessimam " notam infamiæ incurrimus, illis qui causam discursus " nostri nesciebant dicentibus quod causa libidinis ex- " plendæ hæc fecimus. Abbas vero et complices sui omni- " bus viribus suis infamiam nostram augmentabant, nec " abbas super his nos corripiebat, nescio quo ductus zelo, " vel quia non intellexit quod curam animarum suscepit, " vel forte si aliquando super eodem vitio eum ac- " cusaremus objiciendo nobis idem ab hac accusatione " nos repelleret, vel, quod melius credo, semel a facie " Dei projectus voluit et alios secum in intentum " devenire. Unde, ut mihi videtur, exordinationes " nostræ magis in caput ejus debent redundare qui " dedit occasionem delinquendi, nec impedivit quum " posset nec prohibuit quum deberet, quam illorum qui " deliquerunt. Hospitalitas, pater sancte, apud nos " penitus deperiit, præterquam de divitibus quorum " terror sibi exigit honorem, quum secundum regulam " beati Benedicti pauperes in quibus Deus magis " suscipitur suscipere et fovere deberemus. Et non " tantum pauperibus, verum etiam servientibus nos-

A.D. 1213.

Hence follows a general disregard of the statutes.

The monks go abroad begging; Marleberge himself the chief of the mendicants.

The abbot does not restrain them.

Hospitality abandoned. The poor unrelieved.

[Reg. Bened. cap. 53.]

A.D. 1213. Some of the servants and monks have died from starvation.

"tris a multis annis retro debita alimenta subtraxit "abbas noster, unde multi fame perierunt; et "non tantum servientes sed etiam monachi, ut ipsi "ante mortem confitebantur, et dicebant quod si "haberent sufficientem procurationem possent adhuc "vivere, sed non erat qui daret eis;"—et nomina eorum expressi. "Quare etiam usque in hodiernum diem "pauperes eleemosyna nostra defraudantur. Nam de "reliquiis ciborum nostrorum pascimus servientes "nostros sine quibus esse non possumus, quamvis "tertia pars panis abbatiæ hujus præter reliquias ad "servientes et pauperes ex antiquorum statutis per-"tineat, duæ vero partes ad nos et ad hospites. The roofs are so bad that in rainy weather the divine offices can only be performed in the vaulted portions of the church, and these also are ruinous. "Sarta autem tecta, pater sancte, non habemus, unde "si forte quacunque parva pluvia inundaverit nec "ubi divina celebremus extra voltas habemus, quæ "etiam jam ruinam minantur, nec ubi caput nostrum "reclinemus; ad quæ nullam aliam probationem "nisi fidem oculatam induco, et si ante recessum "vestrum pluvia inundaverit sanctitas vestra experi-"mento approbabit quod verum dico. Redditum enim "quindecim marcarum ad cooperiendam ecclesiam "et domos ei adjacentes assignatarum et etiam red-"ditus centum marcarum officiis nostris deputatarum The abbot has appropriated the rents assigned for repairs, &c. "a multo tempore retro annuatim nobis abstulit "abbas noster, per quos omnes prædicti defectus (ob "quos prædictæ exordinationes oriuntur) deberent "suppleri si eosdem redditus habuerimus." Et expressi quantum de cellario et quantum de coquina et quantum de aliis officiis nobis annuatim abstulit et quod hæc omnia in suam abyssum convertit, et quod diceret jactitando quod ita providebit sibi quod nunquam accusationem nostram coram aliquo judice timebit. Et ad probationem ablatorum cum testimonio fratrum protuli scriptum in quo redditus officiis nostris assignati continentur sigillo capituli et abbatis munitum. Et quum legissem in eo quod abbas juraverat se

omnia in eodem contenta observaturum, adjeci, "Si A.D. 1213.
"prædicta, pater sancte, ad abbatis depositionem non The abbot is accused of perjury in not observing the ordinances.
"sufficiunt quæ tamen mihi sufficere videntur, ego
"eum de perjurio accuso, quod videlicet contra jura-
"mentum suum veniendo prædicta nobis abstulerit."
Et quum requireret dominus legatus ab eo quare hæc ita fecisset, solam allegavit paupertatem ad sui excusationem. Ego vero e contrario evidenter monstravi ipsum omnibus bonis temporalibus abundare et deliciis affluere. Quibus quum respondere non posset præcepit legatus ut ad alia procederem; et dixi, "Sunt multæ
"aliæ causæ, pater sancte, quare deponi debet abbas
"noster. Primo, quia per ostium non ingressus est He was not duly elected but intruded by the king.
"in ovile ovium sed aliunde, nam per regiam potesta-
"tem intrusit se, non electus a conventu isto, sicut
"ipse sæpe dicere consuevit quod non per nos, vocans
"nos canes, adeptus est abbatiam istam, sed quod
"rex dedit eam sibi pro servitio suo; quod non
"solum per nos sanctitati vestræ patebit, sed etiam
"per sacrum collegium ecclesiæ Christi Cantuariæ, Notice of his doings while a monk of Canterbury.
"ubi aliquando fuit monachus, sed propter facinora sua
"ibi in carcerem est detrusus, a quo tandem libe-
"ratus per cloacas aufugit. Unde domo illa privatus
"a nullo collegio fuit requisitus vel assumptus. Sed
"et postquam inde aufugerat per potestatem archi-
"episcopi possessiones monachorum illorum invasit et
"bona diripuit, unde adhuc petunt ab eo monachi
"Cantuariæ mille marcas. Et quum ita in possessiones
"illorum se intrusisset, dicens se ab archiepiscopo
"factum priorem, duos fratres missos ad archiepiscopum
"capi fecit et a se divisos arctiori custodiæ mancipari.
"Permisit hæc omnia tunc temporis archiepiscopus
"Baldewinus quia maxima contentio fuit tunc inter
"illum et monachos suos pro capella de Hakentone.
"Est etiam, pater sancte, abbas noster simoniacus, His simony.
"nam decanatum hujus ecclesiæ et duas capellas de
"Baddeseia et de Bretfortone cuidam capellano Alue-

A.D. 1213. " redo nomine vendidit, nobis ab initio ignorantibus. " Quod quum idem capellanus post aliquot annos " nobis esset confessus, de consilio nostro illis renun- " tiavit, et tunc vendidit abbas easdem capellas " Galfrido de Oxonia, filio creditoris sui, nobis con- " tradicentibus. Et quum post aliquot annos idem " clericus moreretur, pater ejus repetiit a nobis et " adhuc repetit quinquaginta marcas quas dicit " filium suum non percepisse de capellis illis. Obe- " dientiarios etiam nostros palam pro pecunia insti- " tuit ;"—et expressi quantum ab illo et quantum ab alio, immo a multis aliis, acceperat. Quod quum abbas non inficiaretur dicens sibi hoc bene licere, valde admiratus est dominus legatus super ejus im-

Man-slaughter. peritia. "Homicidium etiam, pater sancte, non tan- " tum, ut prædictum est, de monachis et servientibus " quos fame peremit commisit abbas noster, verum " etiam quendam præpositum nostrum laicum origi- " narium, Augustinum videlicet de Salford, fecit in " carcerem detrudi, et flagellari donec fere spiritum " exhalaret, ut ab eo pecuniam extorqueret ; et quum " videret eum debere expirare, fecit eum a carcere " extrahi et ad domum suam duci, et ibi cito mor-

Waste of the abbey-property. " tuus est. Manifestus etiam, pater sancte, possessio- " num hujus ecclesiæ dilapidator est abbas noster ;"— et expressi possessiones tam novalium quæ dederat nepoti suo et seneschallo quam alias possessiones quas aliis contulerat, et personas ; quæ omnia abbas non est inficiatus, sed respondit se posse pro voluntate sua novalia cui vellet conferre, veluti possessio- nes ab eo acquisitas, quum ipse non terram acquisisset sed tantum a domino rege licentiam colendi eam. Dixit etiam quod bene licuit ei servientes bene meritos ecclesiæ de caducis et aliis immobilibus remu- nerare. Quibus omnibus ego contradixi, et per leges et canones ostendi quod ei non licuit vel novalia vel caduca quæ posset retinere alicui conferre, nec ser-

vientes de his vel aliis immobilibus remunerare. Quare A.D. 1213.
legatus, acquiescens rationibus meis, omnes illas possessiones quæ solo titulo donationis abbatis possidebantur ab aliquibus revocavit. Et adjeci, "Pater sancte, Surrender of lands.
" non tantum pro his possessionibus dilapidator est
" abbas noster et debet deponi, sed etiam quum quas-
" dam alias possessiones potuisset defendisse et reti-
" nuisse, colludendo cum adversariis nostris quibusdam
" eas in jure cessit, a quarundam vero possessione
" cecidit per contumaciam, et facti sunt adversarii
" nostri veri possessores per ejus contumaciam sicut
" moris est in curia regia;"—et expressi possessiones, veluti Raggeleyam, et terram Walteri Le Poer de Ambresleya, et terram Johannis de Tethlestrope, et terram Hugonis Russel de Neweham, et multas alias, quas legatus revocare non potuit quia alio titulo quam ex donatione abbas possidebantur. Et quum abbas respondisset quod non potuit eas defendisse, et ideo pecuniam ab adversariis nostris recepit ne totum amitteret et reliquit eis terras, ego e contra exposui domino legato jus nostrum tam possessionis quam proprietatis quod habuimus in terris illis, et expresse ostendi quod si abbas sapiens fuisset et vellet expendisse pecuniam ecclesiæ in tuitione possessionum ejus, potuisset eas defendisse. Quare dixi quod propter dilapidationem vel collusionem vel insufficientiam debuit deponi. "Mobilia etiam ita dilapidavit quod vicesi-
" mam [partem] instauramentorum non habemus quibus
" deberemus et possemus præcipue sustentari. Ære in- Debts for loans.
" super alieno ita nos oneravit quod vix liberabimur." Et quum abbas diceret hæc ita esse propter expensas litis, respondi eum bene posse hæc complesse in octo annis quibus a lite cessavimus.[1] "Præterea, pater
" sancte, multum exordinatus est abbas noster quia

[1] The clauses *Quare dixi* . . . . . *cessavimus*, have been substituted by the original scribe for a shorter passage, which has been erased.

A.D. 1213. He uses linen sheets, and boots and shirts.

" lintheaminibus in lecto et caligis consutis eis pedu-
" libus more militum et camisiis, sicut statim probare
" potestis, utitur contra statuta ordinis nostri." Quæ abbas non est inficiatus, dicens sibi hoc bene licere propter infirmitatem, et etiam quia dispensatio circa regulam esset in manu ejus sicut dicebat. Cui ego expresse contradixi, " Immo, sicut dicit beatus Bene-
" dictus de ordinando abbate, ipse præcipue regulam
" observare tenetur, quamvis, sicut sæpius audivimus,
" ipse se diceret non esse monachum." Et prosecutus rationem meam dixi, " Frocco etiam non utitur, sed
" cappatus in ecclesiam et per claustrum et capitulum
" incedit, quamvis a multis annis retro nullum capitu-
" lum tenuerit, nec in claustro sederit, sed in thalamo
" suo citra consilium et consensum fratrum et capituli
" monachos suspendit et excommunicat et statutis ali-
" mentis privat, et obedientiarios pro sua voluntate ibi
" instituit et destituit,"—et expressi tempora et personas. Quæ omnia ipse non est inficiatus sed ea sibi licere est protestatus, quod ego sibi non licere per regulam beati Benedicti et leges et canones et consuetudines domus scriptas ostendi. Unde legatus multum admirabatur quod quasi juris ignarus abbas sæpe confiteretur se contra jura facere posse; et quasi tædio affectus, protraxeram enim sermonem meum a mane ultra horam diei nonam, dixit mihi ut de ejus incontinentia loquerer. Ad quod respondi, " Pater sancte,
" quum præmissa ad ejus depositionem sufficiant ut-
" quid detegam ego pudenda patris mei?" Et iterum præcepit ut loquerer; et dixi, " Pater sancte, quum
" crimen abbatis nostri de ejus incontinentia sit noto-
" rium, si placeret sanctitati vestræ, non oporteret in
" his multum immorari. Sed quia apud plerosque
" juris peritos solet dubitari quod crimen sit noto-
" rium, pauca de his quæ nobis et aliis prope positis
" manifesta sunt et notissima proponam, omissa cæte-
" rorum fere innumera multitudine de quibus etiam

[Reg. Bened. cap. lxiv.]

He wears no frock, but only a cloak, and transacts all business in his own room instead of the chapter-house.

[cap. 2.]

" apud longe positos fama ejus laborat et scandalum A.D. 1213.
" permaximum ortum est. Solet igitur, pater sancte, His notorious unchastity.
" abbas noster publice et manifeste, nobis videntibus
" et aliis thalamum suum ingredientibus, mulierculas
" suas in thalamo suo a mane usque ad vesperam
" retinere, et etiam æstivo tempore, aliis post
" prandium recedentibus, remanserunt cum eo per
" totam meridiem solæ mulierculæ cum puero qui
" ostium thalami custodiebat. Unde maxime scan-
" dalizati sumus, quum hora illa honestius et secre-
" tius quam nocturna, si fieri possit, a nobis in
" dormitorio cum summo silentio observari consue-
" verit. Percunctantibus etiam nobis cum summa dili-
" gentia an ad vesperam recederent, hoc nequaquam
" aliquando perscrutari poteramus, sed in crastino hora
" qua abbas surgere consueverat sæpius eædem ibi re-
" pertæ sunt, et hoc sæpissime non occulte sed palam
" et impudenter facere consuevit. Et (quod magis do-
" lendum est) hoc non tantum de illis et illis solutis,"
— et nominavi sex — " sed etiam de illis matrimo-
" nialiter illis viris copulatis," — et expressi nomina
duarum—" facere consuevit; quarum unam ipse nuptui
" dedit cuidam consanguineo suo infra tertium consan-
" guinitatis gradum ei conjuncto, qui et eorum tantæ
" nequitiæ consentiens uxorem suam ad abbatem etiam
" nocturnis horis ducere et ab eo reducere consuevit.
" Et (quod magis stupendum est et formidandum) etiam
" cum sanctimonialibus manifestius hæc agere solet,"—
et nominavi tres—" sub specie religionis culpam tegens,
" quasi opus pietatis esset, ut ipse dicere consuevit,
" tales specialius quasi in loco honestiori et digniori
" lateri suo in mensa et colloquio jungere, sicut con-
" sueverunt beatus Benedictus et beata Scholastica soror
" ejus facere; quod minime solum cum sola, sicut facere
" abbas consuevit, beatum Benedictum fecisse credo,
" quamvis tanta propinquitas et personarum sanctitas
" et collocutionis raritas omnem suspicationem in illis

A.D. 1213. " debeat abolere. Igitur, pater sancte, ex illis quare
" numerum non novi paucas nobis nominavi, cujus
" rei fere omnes fratres testes mihi esse possunt, et
" præcipue quinque quos secretius vobis nominabo. Et
" si testimonium aliorum quam monachorum habere
" volueritis, cogite clericos et laicos quos vobis nomi-
" navero ad perhibendum testimonium veritati, et
" quotquot volueritis habebitis; quamvis publica fama
" et ipsa rei notitia et facti evidentia et argumenta
" super terram gradientia mihi ad probationem suffi-
" ciant, videlicet filii et filiæ muliercularum illarum
" qui nullum alium se protestantur habere patrem nisi
" illum, nec unquam apud nos alius fuit habitus vel
" inventus nec adhuc habetur nisi abbas. Ipsæ etiam
" mulierculæ hoc non tantum publice fatentur, sed
" etiam jactitant se esse concubinas baronis domini regis
" et non monachi, quod et ipse abbas eis suggessit,
" videlicet, se non esse monachum, unde multas se-
Previous investigations. " duxit. Super his fere omnibus, pater sanctissime, (*fere*
" dico quia de die in diem multiplicantur ejus facinora)
" deposuimus querimoniam coram domino Cantuariensi
" tunc temporis apostolicæ sedis legato, a quo super his
" facta diligentissima inquisitione plures factæ sunt con-
" stitutiones, quæ omnes postquam legatus insignia lega-
" tionis deposuit ad nihilum redactæ sunt, et postmo-
" dum eodem Cantuariensi agente[1] [in][2] transmarinis,
" facta sunt novissima nostra pejora prioribus. Iterum
" super eisdem conquesti fuimus domino Johanni sanctæ
" Mariæ in Via Lata diacono cardinali tunc temporis
" apostolicæ sedis legato, qui super his singularem
" faciens inquisitionem jussit illam deponi et servari
" penes abbates de Hawemon et de Lilleshulle qui
" eidem scrutinio interfuerant, donec quid super his
" esset statuendum disponeret secundum quod provi-
" deret. Quo recedente antequam super his aliquid

[1] *agente*] agenti, MS. | [2] *in*] added by a later hand.

statueret, usque in hodiernum diem pejus quam un- A.D. 1213.
" quam prius oppressit nos abbas, dicens quod propter
" querimoniam nostram expenderit in domino legato
" trecentas marcas, quas omnes dicet se velle habere
" de bonis usui nostro assignatis; et quamvis tunc
" sibi timeret, nihilominus usque nunc factus est no-
" vissimus error ejus pejor priore. Quum itaque, pater
" sancte, metu prædictarum querimoniarum nostrarum
" et inquisitionum super his factarum abbas noster sæ-
" pius tum coram prædictis legatis, tum coram vicinis
" abbatibus, tam per scripturam quam juramento, ut
" audistis, interposito, se omnia prædicta in statum
" debitum reformaturum et post reformationem statum
" bonum conservaturum promiserit, nec aliqua vel vitæ
" suæ vel status nostri subsecuta sit correctio, sed
" potius de die in diem deterioratio, ut verbis Abner
" utar, quia 'periculosa est desperatio,' scientes quod 2 Sam. ii. 26.
" induratum est cor abbatis nostri et quod avertit
" oculos suos ne videat cœlum, si vos eo relicto abbate Hist. Sus. 9.
" recesseritis, quotquot non obstante corporis imbecil-
" litate pedem movere possumus, exceptis tribus vel If he is not now deprived, nearly all the monks will renounce their habit.
" quatuor complicibus abbatis, projicientes habitus nos-
" tros ad pedes vestros, vobiscum recedemus, redeuntes
" ad seculum, ut in die judicii animæ nostræ a
" manibus vestris requirantur." Et quum hæc dixis-
sem secessi[1] ad locum meum. Dominus vero legatus
conversus ad abbatem nostrum, dixit ei, "Quid re-
" spondes tibi objectis?" Et dominus abbas, "Jam
" pridem pluribus ex his respondi, aliis vero respondeo,
" quia falsa sunt quæ mihi objicit." Dominus autem
legatus allocutus pariter abbatem et conventum, dixit,
" Mittite manus vestras ad pectora vestra, et dicite
" in Verbo Domini quod stabitis judicio nostro super
" objectis et responsis." Quo facto excommunicavit
omnes qui falsum dicerent vel verum reticerent de his

[1] *secessi*] cecessi, MS.

A.D. 1213. quæ requireret ab eis. Et incipiens a priore per singulos requisivit, dicens, "Dic si vera sunt qui dixit "frater Thomas." Et cunctis respondentibus quod vera erant, exceptis tribus fratribus qui dicebant se super quibusdam dubitare, respexit abbatem dominus legatus et dixit ei, "Audis quanta testimonia dicunt "adversum te? Quid respondes?"

Responsio abbatis contra sibi objecta a conventu per Thomam monachum et objectio abbatis contra conventum.

The abbot charges his accusers with conspiracy.

Et abbas: "Domine, ex his quæ dicunt potestis scire "quia conspiraverunt contra me, sicut ego manifeste "probabo." Legatus vero dixit, quasi favens ei, "Si "hoc probaveris, non debet testimonium eorum ad- "mitti contra te. Sed quia advesperascit et inclinata "est dies, cras mane proba illud, et habeas consilium "tuum tecum, ut quæcunque volueris contra eos dicas." Quibus dictis, recessit dominus legatus et comedit in refectorio cum abbatibus collateralibus suis et cum conventu, cereis accensis. Abbas vero consolatus de verbis legati comedit[1] in thalamo cum clericis et familia domini legati. Ego siquidem serviebam domino legato in mensa, ubi pluria verba consolatoria ab eo recepi et certam spem de depositione abbatis. Mane autem facto convenimus iterum in capitulo. Dominus vero legatus sedens pro tribunali, assidentibus sibi abbatibus de Eboraco et de Seleby et de Sancto Martino Tusciæ Cisterciensis[2] ordinis collateralibus suis, et abbatibus Gloucestriæ, Winchelcumbiæ ad hoc vocatis, dixit abbati ut procederet in medium et staret ubi ego steteram heri, et responderet sibi objectis, et probaret nos conspiratores. Qui stans in medio objecit nobis quod

[1] *comedit*] commedit, MS. | [2] *Cisterciensis*] Sisterrensis, MS.

aliquando detuleramus brachium sancti Ecgwini in capi- A D. 1213.
tulum et juraveramus super eo quod fideliter staremus simul in negotiis ecclesiæ nostræ contra abbatem nostrum.

Et quamvis difficilis esset responsio quia factum ita se habebat, tamen respondi ita :—

Responsio Thomæ monachi contra objectionem abbatis.

" Quamvis tale factum non sufficiat ad probandum " non conspiratores, tamen ne ex hoc facto alicui rei " videamur, sciatis, pater sancte, quod abbas noster " alias super hoc eodem facto coram domino Cantua- " riensi tunc temporis apostolicæ sedis legato nos ac- " cusavit. Qui tunc decrevit propter hoc factum nos " non debere dici conspiratores, sed tamen pœnitentiam " cuilibet nostrum pro eodem facto injunxit. Et cum " non puniat Deus bis in idipsum, non debet nobis " reputari ad culpam quod per sufficientem deletum " est pœnam."

Iterata objectio abbatis contra conventum.

Quum itaque propter hanc causam dominus legatus fratres nostros a testimonio non repelleret, iterum ad eos repellendos a testimonio abbas cuilibet nostrum, præterquam tribus qui contra eum testimonium non perhibuerunt, aliquod crimen objecit, et præcipue mihi multa opprobia dixit. Super quo legatus corripuit eum, asserens quod coactus locutus sim contra eum, et quod multum verbis pepercerim in loquendo contra eum, multum commendans me quod bonæ famæ fuerim in curia Romana quum ibi sub alis ejus stetissem. Et quum nihil ex his quæ nobis objecit abbas probare posset, nec sibi objectis aliter quam prædictum est

He attempts recriminatory charges.

A.D. 1213. respondere, præcepit dominus legatus ut tam ipse quam nos recederemus.

Sententia legati super depositione abbatis.

Habito igitur tractatu et consilio cum suis, vocati fuimus abbas et nos, et, assumens parabolam suam, dominus legatus dixit :—

Sentence of deposition passed upon him, 22nd Nov. 1213.

"Domine abba, quia multa crimina ex his quæ tibi "objecta sunt in jure confessus es te commisisse, nec "aliis quæ negasti te perpetrasse possis respondere; "et quum omnia quæ tibi objiciuntur contra te suffi- "cienter sint probata; et quia odio habes conventum "et ipsi te non diligunt; non potestis simul morari "quin multi scandalizentur. Et quia scriptum est, St. Matt. xviii. 7. "'Væ homini illi per quem scandalum venit,' tutius "est et melius quod unus recedat quam omnes; et "ideo absolvimus te a cura pastorali hujus ecclesiæ, et "dicimus tibi ut surgas, et secundum statuta ordinis "veniam petas et misericordiam, de obedientia tibi "injuncta." Et quum ad hanc jussionem non surgeret, iterum præcepit ei ut surgeret et peteret relaxationem officii sui. Qui tunc surrexit, et humi prostratus verba sibi injuncta dixit quæ prædixerat ei legatus. Et surgens, tam curam animarum quam omnem aliam administrationem in spiritualibus et temporalibus cum pilliolo suo in manus domini legati resignavit, et omni juri quod in ecclesia Eveshamensi habuit renuntiavit, sicut dominus legatus ei dictaverat.

De restitutione bonorum quæ habuit penes se postquam fuit depositus.

He is compelled to give up various

His igitur ita peractis, quum iterum sedisset jam exabbas, petii a domino legato ut cogeret eum ad restitutionem quorundam bonorum ecclesiæ quæ habuit penes se,

et expressi quæ illa erant, et restituit[1] ibi statim domino legato secundum expressionem meam clavem sigilli ecclesiæ et sigillum proprium, quo fracto legatus retinuit illud penes se. Restituit[1] etiam nobis tres capas et unam casulam et unam albam et tunicam et dalmaticam et unum pallium, omnes vestes auro textas, et baculum pastoralem argenteum quæ omnia ipse emerat, quæ etiam tunc æstimabantur ad valentiam quinquaginta marcarum. Restituit etiam nobis meliorem rubeam casulam hujus domus de examito,[2] et duos calices et tres annulos, et quasdam cartas et quædam privilegia nostra tam summorum pontificum quam regum, quæ omnia sibi attraxerat ut ea a domo ista alienaret, ne alius illa post illum gauderet, sicut ipse sæpe comminatus fuerat. Proposuerat enim, ut ipse sæpe fatebatur, quod domum istam in quantum posset ære alieno oneraret, sicut fere jam fecerat, et quod privilegia et ornamenta ecclesiæ quæcunque posset pignori obligaret; et quum omnia in suam abyssum quæcunque posset congregasset, recederet a domo ista, ne inter nos canes (sic enim nos vocare consuevit) moreretur et sepeliretur. Et sic revera prophetaverat sibi malum. Omnibus igitur his nobis restitutis, præcepit dominus legatus abbati de Winchelcumba (qui semper ei favebat) ut illum irreditum a capitulo educeret. Quod et factum est. Tunc consolans nos legatus præcepit ut cogitaremus de abbate substituendo; et, data benedictione, recessimus omnes a capitulo, gaudentes quia perdidit Deus impium et liberaverat nos de manu Pharaonis.

A.D. 1213. articles of abbey-property of which he had taken possession.

Qualiter legatus dederit ex-abbati prioratum de Penwrpham, et qualiter se habuerit post depositionem suam.

Quinta post hæc die ad petitionem conventus misertus illius dominus legatus, dedit ei prioratum de Penwr- He is made prior of Penwortham, but

[1] *restituit*] restitituit, MS. | [2] *examito*] examitto, MS.

[A.D. 1213.] in five months' time is deprived.

tham ad vitæ sustentationem, quem post quinque menses propter excessus suos ei abstulit. Qui tunc Romam adiit, sed nec abbatiam nec prioratum nec etiam monachatum [1] hujus ecclesiæ obtinere potuit. Reversus igitur infecto negotio, adhæsit Silvestro Wigornensi episcopo [2] et quæcunque nobis et ecclesiæ nostræ nocitura credebat ei suggessit, sed nihil nobis nocuit. Ad dominum etiam Walam tunc temporis apostolicæ sedis legatum apud Glouerniam cum episcopo accessit, et restitutionem abbatiæ petiit, sed nihil ab eo obtinuit, sicut nec prius a domino papa. Tunc desperans de reformatione sua petiit centum libras quas ab ecclesia Cantuariensi, ut dicebat, fraudulenter asportaverat eidem ecclesiæ ab ecclesia Eveshamensi debere restitui,[3] in cujus usus eas se expendisse asserebat. Sed dominus legatus ejus nudam assertionem in absentia nostra pro nihilo reputavit. Tunc omnem malitiam suam et omne venenum suum effundens, humi prostratus dixit quod contra conscientiam suam ecclesiam Eveshamensem a subjectione Wigornensis episcopi liberaverat et omnia quæ circa libertatem nostram infirma putabat domino legato palam intimavit, sed nulla fide digna proposuit. Unde dominus legatus qui tempore latæ sententiæ pro exemptione ecclesiæ nostræ cum aliis cardinalibus domino papæ assederat, ut inter cardinales in jure civili peritissimus, respondit, "Non tu, miser, ecclesiam Eveshamensem "liberasti, nec etiam tempore sententiæ latæ Romæ "fuisti, sed dominus papa inspectis et approbatis "privilegiis Romanorum pontificum eam liberam per "sententiam suam declaravit. Et quia propriam turpi-"tudinem allegas, non es audiendus;"—et jussit ut domum egrederetur, et sic confusus recessit. Postmodum vero, elapsis fere quinque annis a tempore

A.D. 1216. He vainly seeks restoration to his abbacy from cardinal Gualla.

[1] *monachatvm*] monacatum, MS.

[2] Silvester de Evesham, prior of Worcester, was elected bishop 3 April 1216, and consecrated 3 July in the same year. It was in this year also that card. Gualla came to England as legate of Innocent III.

[3] *quas . . . . restitui*] sic.

depositionis suæ, misertus illius dominus Pandulfus qui tunc legationis officio fungebatur in Anglia, ne esset gyrovagus omnibus diebus vitæ suæ restituit ei priora-tum de Penwrtham, ubi quoscunque redditus potuit conventui assignatos subtraxit. Vixit autem ibi postea annis ferme sex, et quamvis pendente hoc tempore tam magister Adam Sortes viva voce quam ego prior, et per monachos et per viros sæculares consanguineos suos et alios, commonuissemus eum, immo consuluissemus et supplicassemus ei, quod scriberet conventui ut utrinque omnis indignatio remitteretur (quamvis nos ex animo omnino remissemus), et etiam peteret a domino abbate et conventu quod fieret monachus[2] Eveshamiæ, noluit acquiescere nobis, sed mortuus est ibidem et sepultus in eodem loco. Quamvis itaque, ut dictum est, non esset monachus[2] noster tamen pie agentes cum eo dominus abbas et conventus ita omnia pro eo tam in spiritualibus quam temporalibus agi fecerunt ac si Eveshamiæ apud nos monachus[2] noster obiisset.[3]

[A.D. 1213.] The priory of Penwortham is restored to him in A.D. 1218.

He dies there in the year 1223.[1]

Qualiter tractaverit conventus cum legato de electione, confirmatione et benedictione abbatis, et custodia vacantis abbatiæ.

Deposito itaque abbate in die sanctæ Ceciliæ minuit sibi dominus legatus, et quarta die post hæc convenit nobiscum in capitulo, ut abbatem nobis eligeremus et

[1] 19 July. Lambeth MS. 589, p. 40, from the Evesham Obituaries in Cotton Vitell. E. xii and xvii.

[2] *monachus*] monacus, MS.

[3] The following passage is here inserted in Harl. 3763, on the margin of fol. 170 b: "Tempore "istius Rogeri abbatis, videlicet "anno Domini M.CC.III. dedicatum "est altare sancti Johannis Bap-"tistæ in die sancti Theodori mar-"tyris a Philippo Tuamensi archi-"episcopo, Conuactiæ provinciæ "Hiberniæ, relaxando benefactori-"bus ejusdem xiii. dies. Istius "etiam tempore, videlicet anno "Domini M.CC.VI., Ægidius primas "Hiberniæ apud Evesham mo-"nachos Eveshamiæ, Brueriæ et "plures clericos in Septembri ordi-"navit."

A.D. 1213. super persona legitima nobis præficienda sigillatim examinavit universos, et dicta singulorum in scripturam redegit. Facto ergo examinatione secessit in conclavim, et habito cum suis super electione nostra tractatu, renuntiavit nobis per dominum Pandulfum et alios collaterales suos, quod quum multis interfuerit electionibus nunquam in aliquo collegio tantam invenit dissidentiam et contrarietatem quantam in nobis. Unde idem collaterales ejus dixerunt legatum valde motum contra nos, et magnum periculum nobis imminere ne aut hominem reprobatum reformaret, aut aliquem alienigenam (quod maxime timebamus, quum et ipse Normannus esset) nobis præficeret. Nos vero propter hæc valde consternati super his consilium eorum requirebamus. Ipsi siquidem desolationi nostræ compatientes consuluerunt nobis, ut de abbate nobis præficiendo in dominum legatum, si ei placeret, vota nostra conferremus; quamvis hoc ipsum auctoritate privilegii a domino papa eidem concessi facere potuisset, quæ indulgentia postea nobis fuit exhibita. Nobis vero consilio eorum propter prædictas rationes acquiescentibus, duxerunt dominum legatum iterum in capitulum, quia ipse ex ore nostro hoc audire volebat. Et quum iterum sedisset ex præcepto capituli dixi ei, " Pater sancte, " confisi de sanctitate et justitia vestra, scientes quia " zelum Dei habes et secundum scientiam, petimus ut " sicut liberastis nos a nostro oppressore et ecclesiæ " hujus subversore, ita detis nobis aliquem virum qui " sciat huic domui disponere in abbatem et pastorem " animarum nostrarum. Ita tamen quod jura ecclesiæ " hujus secundum privilegia nostra conservetis illæsa, " videlicet, ne alium quam nominatum ab aliquibus " fratribus sanioris consilii nobis præficiatis, nec alium " quam ex parochia[1] Wictiorum, si forte, quod absit, " nullus monachus hujus capituli ad hoc officium suf-

The legate offended at the differences respecting the choice of an abbot.

The choice referred to the legate.

[1] *parochia*] parrochia, MS.

" ficiens et idoneus sit inventus et nominatus; et A.D. 1213.
" etiam ut idem in ecclesia nostra a quo maluerimus
" episcopo absque omni exactione professionis et obe-
" dientiæ benedicatur." Et placuit domino legato petitio nostra, et dixit, " Bene salva vobis erunt omnia
" hæc. Immo melius faciemus vobis. Vos enim habetis
" pedem fixum in ecclesia Romana, et si quocunque
" modo, quod absit, illum ab ea retraxeritis, aut vix
" aut nunquam ipsum in ea iterum figetis. Quare
" quum de consilio nostro aliquem elegeritis vel in
" illum quem vobis nominaverimus consenseritis, nos
" illum confirmabimus vice domini papæ, ut solo Ro-
" mano pontifici et ecclesiæ Romanæ nullo mediante
" subjectum; quod de nullo adhuc fecimus in Anglia.
" Præterea quamdiu vacaverit abbatia ista retinebimus
" custodiam ejus in manu nostra, ne si in manus regis
" devolveretur, omnia bona ejus confiscarentur et a
" servientibus regis diriperentur, et sic salvabimus
" vobis fortassis ad valentiam quingentarum marcarum
" quas debetis Romanis." Et tunc tradidit mihi et cuidam servienti suo custodiam abbatiæ et, data benedictione, recessit.

De electione, confirmatione et benedictione abbatis Randulfi.

In diebus illis fuit vir vitæ venerabilis dominus Rondulfus prior Wigorniæ, natione Eveshamensis et etiam monachus capituli Eveshamiæ, quod tunc temporis bene licuit, videlicet, quod monachus in pluribus monasteriis haberet locum in capitulo et stallum in choro. Iste quum esset electus in episcopum Wigorniæ, persuadentibus domino rege et domino legato remuntiavit electioni suæ, et electus est in episcopum Wigorniæ cancellarius domini regis. Quibus ita peractis venit ad nos dominus legatus in die sanctorum Fabiani et Sebastiani, et consuluit nobis ut Randulf, prior of Worcester, elected on

the legate's recommendation, 20 Jan. 1214.

eundem priorem eligeremus, dicens nihil obstare de petitione nostra quin illum haberemus abbatem quum etiam plurimi ex nobis sanioris consilii in prima examinatione illum elegissemus. Et elegimus[1] eum, et dominus legatus confirmavit electionem ejus, et petivimus eum a capitulo Wigorniæ, et venit ad nos in die sancti Vincentii.[2] Tunc missus est a domino legato ut prior Wigorniæ ad dominum Cantuariensem ut peteret ab eo confirmationem electi Wigornensis, et obtinuit. Factum est autem[3] tunc ibi murmur eo quod non peteret propriæ electionis confirmationem, sed audita ratione quare dominus legatus eum confirmasset, cessavit murmur et querimonia. Deinde ex præcepto domini legati processit Eboracum, et benedixit ei ibidem dominus legatus, et post benedictionem imposuit mitram capiti ejus Dominica secunda mensis Martii in ecclesiæ sanctæ Mariæ, quod monasterium a fundatione sua ita confœderatum est monasterio Eveshamensi ut quasi unum corpus et una ecclesia reputentur.

Blessed by the legate in St. Mary's abbey, York, 9 March.[4]

De solutione quingentarum marcarum pro privilegiis, et amissione unius privilegii et duarum cartarum et constitutione caritatis decani.

The Roman creditors paid.

Venit autem ad nos in die sancti Gregorii, et in proxima Pascha sequenti solvit Romanis[5] quingentas marcas Londoniis, et liberavit omnia privilegia nostra quæ eis pignori erant obligata, præter unum quod Romani amiserant in tribulatione illa quando a rege eisdem spoliati erant. Quandam etiam cartam sigillo communi signatam super debito viginti marcarum quas

[1] *elegimus*] eligimus, MS.

[2] 22 Jan. He is said in the "Annales "Wigorn." (Wharton's Ang. Sac. i. 482) to have been elected on this day.

[3] The handwriting of the original scribe ceases here; the narrative being continued by a hand of the fifteenth century.

[4] 23 Feb. Ann. Wigorn.

[5] *Romanis*] Ramanis, MS.

ego a Petro Pauli cive Romano in primo itinere meo mutuo accepi, et aliam signatam sigillo abbatis super debito quadraginta marcarum, scilicet de prædictis viginti marcis, quas abbas in eadem carta spopondit se soluturum, et de aliis viginti marcis quas abbas ab eodem Petro mutuo accepit, nobis non restituerunt Romani. Sed super solutione ejusdem debiti specialiter et omnium aliorum debitorum duo paria instrumentorum, quæ dicuntur *star*, nobis confecerunt signata sigillo Lucæ Scarsi generalis procuratoris omnium creditorum nostrorum Romanorum. Et detulimus privilegia Eveshamiam Dominica qua cantatur Misericordia Domini. Tum ego, gratias agens Deo et gavisus quod privilegia quæ ego pignori obligaveram salva ad nos pervenissent, impetravi ab abbate et conventu ut statuerent quod de proventibus decanatus, quos ego pro voluntate mea consuevi expendere, annuatim darem caritatem vini ea die conventui, et alii decani post me in perpetuum.

A.D. 1214.

2 Sund. after Easter, 13 April 1214.

Consilium Thomæ prioris circa electionem, confirmationem et benedictionem abbatum, et custodiam vacantis abbatiæ et usum possessionis circa ea.

Igitur vobis quos aliorum abbatum Eveshamensis ecclesiæ expectat electio, immo et ipsis electis loquor :— Ecce audistis quamvis terror domini legati esset super nos, ita quod potestate sua, si vellet, multipliciter posset nos deprimere, ut (ratione indulgentiæ suæ) quem vellet nobis abbatem daret, tamen, quamvis in arcto positi, privilegiis nostris bene sumus usi, ne in aliquo casu ab eorum possessione excideremus. Nam non alium quam monachum Eveshamensis capituli elegimus in abbatem, qui non a Wigornensi episcopo est confirmatus vel benedictus nec Wigorniæ, nec fecit ei

Marleberge's advice about the preservation of privileges in election and confirmation of abbots.

A.D. 1214. obedientiam vel professionem, quæ antecessores sui a multis temporibus retro facere consueverunt. Sed a quo maluit, episcopo, scilicet domino Tusculano, est benedictus secundum formam privilegiorum nostrorum, et in propria ecclesia quia in abbatia[1] Eboracensi, et (murmurante propter hoc archiepiscopo) a domino etiam legato est confirmatus. Unde vos præmunio quod si aliquando dominus Cantuariensis hoc sibi ut domini papæ vicario vel legato competere vindicaverit, non ei acquiescatis. Quia quum in concilio generali sit statutum de pœna indigne confirmantis electionem,[2] quod illi qui nullo mediante ad Romanam pertinent ecclesiam vel eant vel mittant ad Romanum pontificem propter confirmationem, si electus noster ad Romanum pontificem nec iret nec mitteret propter confirmationem, sequeretur quod non pertineret ad Romanam[3] ecclesiam nullo mediante. Immo etiam si benedictionem susciperet non confirmatus a domino papa, et sua sequeretur depositio et totius libertatis et exemptionis ecclesiæ nostræ immineret subversio. Ipse enim qui ei non confirmato benediceret pœnam non effugeret, eo quod in messem domini papæ falcem misisset. Literæ tamen domini Cantuariensis ut tutoris nostri valde necessariæ sunt ad dominum papam de canonica electione nostra. Præterea quum in eodem capitulo contineatur, quod illi qui eunt vel mittunt ad sedem apostolicam propter confirmationem, statim post concordem electionem administrent in temporalibus et in spiritualibus, si electus noster nec iret nec mitteret illuc illo careret privilegio, et sic remanente videlicet abbatia[1] in custodia domini regis et omnibus ejus confiscatis donec confirmaretur electus, maximum damnum in temporalibus incurremus;

---

[1] *abbatia*] abatia, MS.

[2] Concil. Lateran. iv., cap. 26; Labbe, vol. xi. col. 177.

[3] *Romanam*] Ramanam, MS.

quamvis ad dominum regem ejus custodia non videatur A.D. 1214.
pertinere sed magis ad dominum papam, quia in solo sibi donato est fundata, sicut ipse per sententiam suam manifeste declarat. Quam rationem secutus dominus legatus, post depositionem abbatis, retinuit eam in manu sua et nostra. Vel si forte non fuerit generalis legatus in Anglia, abbate decedente, ut mihi videtur, debet ejus custodia devolvi ad dominum Cantuariensem sicuti in hac parte domini papæ legatum vel vicarium vel ipsius abbatiæ tutorem, sicut in ejus sententia con- [p. 183.]
tinetur, et ad nos ut speciales filios domini papæ. Sed quæ cura cujus sit custodia quum quasi momentanea sit? Nam si fratres in concordi fuerint electione, statim post electionem canonicam, requisita prius a domino rege licentia elegendi, habebit electus administrationem in spiritualibus et in temporalibus, auctoritate concilii, sicut superius dictum est; quod electis in episcopos diocesanos vel in abbates subjectos episcopis non convenit. Hic tamen subsisto, et dubito an ita circa confirmationem sit faciendum. Nam quum abbates benedicti a domino papa consueverint visitare papam de triennio in triennium, sicut facit abbas sancti Augustini Cantuariæ, timeo ne hac consuetudo trahatur ad confirmatos a domino papa; quod si factum fuerit, melius esset quod abbas a domino Cantuariensi confirmaretur, si tamen pericula imminentia possemus evadere. Sed et nunc hæsito utrum sumptus visitationis debeant comparari bonis quæ ecclesia Romana consuevit conferre specialibus filiis suis exemptis, quamvis pericula quæ imminent si domino papa subtraxerimus confirmationem millies graviora sint quam sumptus visitationis et confirmationis. Nam dominus papa de jure posset nos privare privilegiis nostris in illa parte in qua faciunt pro nobis, si nos abstulissemus ei confirmationem quæ facit pro eo et ejus dignitate. Et Wygornenses[1] episcopi,

[1] *Wygornenses*] Wygornences, MS.

A.D. 1214–1229. qui semper insidiantur nobis, hoc sine dubio nunciarent domino papæ ut ita eis subjiceremur. Igitur quum sitis in plena possessione electionis, confirmationis, benedictionis et custodiæ vacantis abbatiæ, secundum formam privilegiorum nostrorum, caveatis ne ab eorum usu decidatis. Quod si feceritis, quod absit, in servitutem detrudemini, et in perpetuum eritis miseri.

De operibus Randulphi abbatis.

Iste abbas Randulphus in conventu suo mitissimus apparuit; cujus primum bonum opus fuit, ut prædictum est, solutio quingentarum marcarum Romanis, quarum pœnæ multum erant timendæ nisi tunc solverentur. Secundum vero quod quum prædecessores sui consueverint conferre consanguineis et clericis suis veterem pensionem sexaginta solidorum, de ecclesia de Ambresleya, et illa consuetudo per tantum temporis durasset, quod dominus legatus et clerici ejus jam assererent constantissime quod abbas non potuit eam in manu sua retinere, unde instanter petebant et volebant quod eadem pensio uni eorum conferretur, quod nobis facere renuentibus, dominus legatus potestate sua contulit eam cuidam clerico Runfredo[1] vocato, nomine personatus ejusdem ecclesiæ, qua per commutationem revocata, abbas de licentia legati, sicut superius in Consuetudinibus est expresse distinctum, eandem pensionem in usus pauperum et conventus convertit; et sic evasit periculum prædictum, scilicet perpetuam amissionem illius pensionis, et etiam liberavit se ab onere Mandati in Cœna Domini, ad quod ante assignationem istam consueverunt abbates invenire denarios quotquot erant necessarii ad opus pauperum. Tertium vero bonum opus ejus fuit quod quum prædecessor ejus inter cætera mala quæ fecit in domo Eveshamiæ consuevisset

[p. 216.]

[1] *Rectius*, Humfredo. See pp. 214, 276.

per extortionem semel in anno hospitari apud Bratfortone, et ibi una die cum luxuriosis et ebriosis in commessationibus et ebrietatibus bona sacristariæ multis ecclesiæ membris per totum annum sufficientia consumere, iste abbas, videns hæc in multarum fieri periculum animarum et enormem ecclesiæ læsionem, de consilio virorum prudentum hujusmodi abusum decrevit abolendum. Sed quia quosdam defectus in quibusdam officiis monasterii jam cognoverat, videns redditus sacristariæ abundare veluti tempore suo augmentatas, ad petitionem fratrum prædictas expensas inutiles et superfluas in usus fratrum necessarios convertit, et, secundum antiquam domus consuetudinem, per abundantiam unius officii defectus aliorum officiorum quos necesse habuit supplere, sicut superius est constitutum, supplevit, et de redditibus sacristariæ tres marcas ad infirmariam et duas ad refectorium deputavit, quas duas postea conventus cum reliquis tribus ad pitantiariam assignavit, reformata pitantiaria ex prædictis duabus obedientiis. Iste etiam abbas fecit apud Ambresleye vivarium de Linholt et duo ultima vivaria subtus curiam et vivarium de Lenchwyc, et redemit molendinum ejusdem villæ, salvo redditu coquinæ, et vivarium de Honyborne, et fecit super eo[1] molendinum et columbarium, et tria columbaria de Offenham, Hamtone et Wickewane, et vivarium de Bradewelle, et super eo molendinum, et secundum et tertium vivarium apud Evesham, nam primum prius fuit. Fecit etiam domos de Ambresley et columbarium, et domos de Honyborne; tamen tempore ejus fuerunt combustæ domus de Offenham et de Bradewelle, et non reædificavit eas nisi tantum grangias. Fecit etiam grangiam de Willarsey et de Aldintone et de Wykewane et de Evesham et de Lenchwych, multum meliores quam prius essent. Fecit etiam speculam abbatis juxta aulam in curia de Eve-

A.D. 1214–1229.

[pp. 206–7.]

[1] *eo*] eum, MS.

A.D. 1214–1229. sham, sed tamen destruxit aulam hospitum et stabulum nobile ædificium, volens reædificare sed non reædificavit. Fecit etiam magnum assartum de Lenchwic; destruxit tamen Langabeiam, boscum de Somborne, in enorme damnum ecclesiæ quia erat extra rewardum, et medietatem bosci de Baddeby, et magnum boscum de Ambreslei qui dicebatur Chatteley, volens in his facere assarta, sed non potuit propter communam pasturæ hominum nostrorum et vicinorum. Dedit tamen pro licentia assartandi omnibus liberis hominibus nostris terras valentes annuatim centum solidos si fuerint cultæ, in magnam læsionem ecclesiæ; quia Walterus de Bellocampo illam licentiam impedivit, et segetes assartorum nostrorum pluries comsumpsit. Cito etiam post ingressum suum in abbatiam tradidit Johanni de Thetillestroppe sex virgatas terræ et dimidiam in Thecellestroppe, et per cartam conventus eidem et hæredibus suis confirmavit. Ditavit nos tamen nobili annulo ad missam et una mitra, et de duabus albis auro textis, et de una capa de rubeo[1] examito auro super intexto, et de tribus tunicis. Contulit etiam altari sanctæ Mariæ unum vestimentum sacerdotale cum casula de rubeo examito. Reliquit etiam ad discum in refectorio unam cuppam argenteam et alteram de mazere, cujus cooperturam prior Thomas circulo argenteo deaurato circumdedit. Reliquit etiam conventui alios ciphos de mazere et cochlearia argentea et duos annulos aureos. Et emit molendinum de Aldintone, et dedit illud ad eleemosynariam, salvo redditu dominorum. Obligavit tamen medietatem pratorum de Bradewelle et de Burtone, et accepit præ manibus a Templariis de Gutingens, scilicet pro quolibet anno, duodecim marcas, et quum mortuus esset adhuc supererant de termino Templariorum octo anni. Emit autem

[1] *rubeo*] rubio, MS.

minus vas Eucharistiæ, et duo magna pulvinaria serica,[1] et fecit tres sedes abbatum.[2] A.D. 1214–1229.

[1] *serica*] cerica, MS.

[2] The following additional particulars are inserted in Harl. 3763: "Dedit etiam terram de "Byvynton cum pertinentibus suis "et omnibus fructibus et utilitati- "bus ex ea provenientibus ad in- "firmariam in procurationem fra- "trum infirmorum. Concessit "etiam proventus capellarum de "Luttelton et omnia ad illas perti- "nentia adeo plene et integre sicut "unquam aliquis ea possedit, salva "sustentatione ministrantium in "eis, ad præbendam equorum viro- "rum religiosorum hospitantium in "monasterio Eveshamiæ, tantum "cum sex equitatis (*sic*) et pauciо- "ribus, quæ prius de granario ab- "batis habebatur. Concessit etiam "infirmario ad opus monachorum "quinque marcas quas sacrista dat "annuatim pro hospitio quod abba- "tes consueverant extorquere in- "juste ab eo; et unam marcam ad "emendationem diætæ monachorum "prima die minutionum. Dedit "etiam refectorario quinque marcas "de ecclesia de Bretfortone ad in- "veniendum caseum conventui. "Anno vero secundo suæ installa- "tionis ivit Romam ad concilium "generale ubi confirmationem dis- "positionis reddituum et consuetu- "dinum domus et alia multa neces- "saria impetravit. Iste etiam abbas "ditavit ecclesiam nobili annulo ad "missam et una mitra, et acquisivit "unam capam de rubeo examito "angelis aureis cum thuribulis post "tergum et grifonibus aureis super- "textam, et unam casulam de rubeo "examito tunc secundo meliorem, "et tres tunicas, et unam casulam "ad capellam beatæ Mariæ de rubeo "examito stellis aureis supertex- "tam, et duas stolas cum manipulis "de aurifrigio cum tintinnabulis "argenteis, quarum una est ad ca- "pellam beatæ Mariæ et alia in "thesauria, et duas albas cum pa- "ruris de consimili aurifrigio, qua- "rum una est ad capellam beatæ "Mariæ, et alia in thesauria." In the margin are also added these notices:—"Iste tamen abbas ac- "quisivit tres capas bonas, unam de "albo serico diasperatam et auro "stragulatam, et unam casulam de "consimili panno, et aliam capam "de rubro examito cum equitibus "aureis et grifonibus, et tertiam de "viridi examito cum angelis thuri- "ficantibus et leopardis et floribus "aureis, et stolam cum manipulo de "serico purpureo aurifrigerato cum "tintinnabulis argenteis, et unam "albam bonam, tunicam et dal- "maticam, et unum pallium, om- "nes vestes auro textas, et bacu- "lum pastoralem. Tempore istius "Rondulphi abbatis, videlicet anno "Domini M.CC.XVII., Rondulphus "episcopus Cicestriæ celebravit "ordines apud Evesham, tantum "monachorum Eveshamiæ, in Pen- "tecoste. Hujus etiam tempore, "videlicet anno Domini M.CC.XXI., "Johannes Artfertensis episcopus, "ecclesiæ sancti Brendani, Cassi- "lenensis provinciæ, fecit ordines "apud Evesham, tantum de mo- "nachis Eveshamiæ, mense De- "cembri." This chronicle records that Randulph died 17 Dec. (16 kal. Jan.) 1229, which is the date also given in Harl. 229., Vesp. B. xv. (f. 18 b.), and in Lambeth 589 from Vitell. E. xii. and xvii.

A.D. 1202-1206. *De operibus Thomæ Marlebarwe decani et sacristæ.*[1]

Anno tertio monachatus istius[2] Thomæ, eo quod esset juris peritus, acquieverunt consilio[3] ejus, licet tarde, abbas et conventus, et repulerunt[4] episcopum Wygornensem volentem venire Eveshamiam causa visitationis, quod a tempore Alurici abbatis nulli ausi erant[5] facere. Et tunc factus est decanus Christianitatis vallis Eveshamiæ, quod a tempore Avicii et Alurici priorum nullus monachus erat. Et ipso existente procuratore in curia Romana, præcipue per ejus industriam et laborem, cum Dei auxilio et consilio[6] cæterorum fratrum, lata est sententia a pontifice Romano pro exemptione et libertate ecclesiæ Eveshamiæ[7] contra episcopum Wygorniæ,[8] sicut in libro superius quem idem prior de eadem causa composuit plenius continetur. Per hujus etiam cautelam cum instantia aliorum fratrum sunt certi redditus in pluribus officiis monasterii assignati et in aliis augmentati et quidam revocati, sicut in eodem libro continetur. Iste etiam Thomas[9] post reditum suum a curia Romana, sicut in curia didicerat in pluribus ecclesiis alibi factum, dedit consilium quod consuetudines monasterii et redditus ad conventum pertinentes scriberentur, et per sigilla abbatis et conventus et legati sedis Romanæ et etiam ipsius Romani pontificis confirmarentur; quod vix et cum multo labore et

---

[1] This chapter and the one following are included in the Register in Cotton MS., Vesp. B. xxiv. fol. 1. and also, in part, in Harl. MS. 3763. It fortunately happens that by this means the text, which in the Bodl. MS. has been so much rubbed as to be in places almost illegible, is rendered perfect.

[2] *istius*] *prioris*, Vesp.; erased in Bodl., and *istius* substituted.

[3] *acquieverunt consilio*] adqueeverunt concilio, Bodl. MS.

[4] *repulerunt*] reppulerunt. Ibid.

[5] *ausi erant*] ausierant. Ibid.

[6] *consilio*] concilio. Ibid.

[7] *Eveshamiæ*] Eveshamensis, Vesp.

[8] *Wygorniæ*] Wygornensem. Ibid.

[9] *Thomas*] *prior*, Vesp.; erased in Bodl., and *Thomas* substituted.

periculo fuit obtentum, et nisi divina gratia conventui subvenisset in ipso obtentu multorum monachorum sanguis effusus fuisset; sicut in prædicto libro habetur. Post primum[1] etiam casum turris quum omnes fratres de reparatione ecclesiæ et eorum quæ per casum turris erant confracta desperarent, ad petitionem fratrum et jussionem abbatis idem Thomas misertus ecclesiæ suæ apposuit manum ad prædictorum reparationem, et licet redditus ad hoc non haberet assignatos, de pecunia labore suo et prudentia[2] acquisita, exceptis tignis[3] presbyterii quæ conventus pro majori parte emit, muros presbyterii in modum pinnaculorum ad deambulandum circa presbyterium (quod prius[4] factum non fuit), et ipsum presbyterium cum tectis cryptarum presbyterio adjacentibus, et amplius quam medietatem tignorum turris, infra biennium reparavit. Quum etiam abbas, per exemptionem factus securus quod a nullo nisi a domino papa vel legato ejus posset deponi, multa immobilia dilapidasset et ecclesiam ære alieno ad mille marcarum[5] onerasset, et in tantum conventum depressisset quod multi unde se cooperirent honeste, vel inundante pluvia ubi caput suum reclinarent, non haberent, et multi fame et inedia afficerentur, iste Thomas decanus, nondum prior, opposuit se murum pro domo Domini, et quum legatum Romanæ sedis pro quibusdam negotiis ecclesiæ[5] adisset, ex præcepto ejusdem legati statum monasterii Eveshamiæ[6] ei retulit. Et postea quum venisset legatus Eveshamiam, coram eo abbatem accusavit et super septem vel octo criminibus per abbatis confessionem et per rei evidentiam et per fratrum testimonium eum

A.D. 1207–1213.

Ezek. xiii.

---

[1] *primum*] om. Vesp.

[2] *prudentia*] prud. sua. Ibid.

[3] *tignis*] tingnis; *et infra*, tingnorum, Bodl.

[4] *prius*] in monasterio. Add. Vesp.

[5] *marcarum*] marcas. Ibid.

[6] *Eveshamiæ*] Eveshamensis. Ibid.

A.D. 1213–1217. convicit. Et ita, sub discrimine habitus et ordinis ipsius Thomæ decani, talionem reportaturi si eum non convicisset, depositus est abbas Rogerus in maximam Eveshamiæ ecclesiæ utilitatem. Nam eo deposito revocata sunt immobilia ab eo diversis titulis alienata usque ad redditum viginti marcarum, tum tempore vacationis tum tempore abbatis Rondulphi, qui etiam omnia privilegia quæ idem decanus Romanis obligaverat pro quingentis marcis liberavit. Ob eorum igitur liberationis gaudium, fecit idem decanus constitui, ut in die qua cum processione receperunt privilegia[1] de obventionibus decanatus annuatim detur caritas conventui.[2] Secundo anno abbatis Rondulphi, ivit idem decanus cum eo Romam ad concilium[3] generale, ubi de ejus consilio et industria confirmationem dispositionis reddituum et multa alia necessaria impetraverunt. Secundo vero anno reditus a curia, factus est sacrista, et fecit lectricium retro chorum quod prius factum non erat in ecclesia Eveshamiæ,[4] sed legebantur lectiones juxta tumbam sancti Wlsini. Fecit etiam caminum in ecclesia cum pede horologii,[5] et albas duodecim,[6] et omnes fenestras vitreas quæ confractæ erant per casum turris et omnia feretra confracta reparavit, et feretrum sancti Wistani novum fecit, et tres tabulas majoris altaris reparavit et illam ante majus altare cum ipso altari ampliavit, in quorum reparatione expendit plusquam decem marcas. Nam omnia hæc per casum turris usque ad despera-

[1] *qua . . . privilegia*] in die qua cantatur Misericordia Domini, in qua receperunt privilegia. Harl., f. 171.

[2] *Ob eorum . . . conventui*] ob quorum liberationis gaudium subiit idem decanus Thomas pro se et successoribus suis ut de obventionibus decani Christianitatis detur caritas conventui. Vesp., in the place of a passage erased.

[3] *concilium*] consilium, Bodl. MS.

[4] *Eveshamiæ*] Eveshamensi, Vesp.

[5] *horologii*] orilogii, Bodl. MS.

[6] *Fecit . . . duodecim*] Fecit etiam piscinam in claustro extra ostium ecclesiæ et caminum, &c. Vesp., but subsequently crossed out.

tionem reparationis erant demolita.[1] Quinque etiam arcus presbyterii et unum ante ostium cryptarum obturavit. Redditus etiam sacristariæ usque ad summam duarum marcarum adauxit, veluti ecclesiam de Norton et decimas de dominico de Lench in proprios usus revocando. Iste etiam sacrista primo[2] obtinuit vivum averium secundo melius[3] mortuorum cum corporibus eorum et denarium offerendum ad missam mortuorum. Pro quorum augmentatione[4] fecit constitui in capitulo quod lampas ante majus altare[5] et lampas in cryptis ante altare sanctæ Mariæ jugiter essent ardentes. Hæc omnia fecit infra unum annum, et, relicto officio omnibus bonis pleno,[6] factus est prior.[7] A.D. 1217–1218.

De operibus Thomæ de Marlebarwe prioris.

Iste prior in ingressu suo attulit secum libros utriusque juris, canonici scilicet et civilis, per quos rexit scholas ante monachatum apud Oxoniam et Exoniam, et libros physicæ, scilicet librum Democriti[8] et librum Antiparalenionis et librum Graduum secundum Constantinum, et Isidorum de Officiis, et Quadrivium Isidori, Tullium de Amicitia et alterum librum Tullii, et Tullium de Senectute, et Tullium de Paradoxis, et Lucanum et Juvenalem, et multos alios auctores,[9] et multos sermones et notas et quæstiones theologiæ, et multas notas artis grammaticæ cum verbis præceptivis et libro accentuum.

---

[1] *omnia . . demolita*] Inserted in Vesp. in the preceding sentence after the word *ampliavit*.

[2] *primo*] primus, Vesp.

[3] *vivum averium secundo melius*] bovem secundo meliorem. Ibid.

[4] *Pro quorum augmentatione*] De quibus omnibus, Vesp.

[5] Modo vero ad tumbam beati Wlsini. Added in Harl., f. 171 b.

[6] *pleno*] repleto, Vesp.

[7] Here MS. Vesp. inserts a passage beginning "Iste prior sepelivit," which occurs in our text at p. 271.

[8] *Democriti*] Demotrici, Bodl. MS.

[9] *scilicet, librum Democriti . . . : auctores*] om. Harl.

A.D. 1218–1229. Post prioratum fecit magnum breviarium quod melius tunc fuit in monasterio, et Haymonem super Apocalypsim et vitas et gesta patronorum et abbatum Eveshamiæ[1] in uno volumine, et iterum easdem vitas et eadem gesta seorsum in alio volumine. Fecit etiam magnum Psalterium quod tunc[2] fuit melius in monasterio, exceptis glossatis, ut semper habeant illud priores ad opus suum, et de grossa litera librum de ordine officii abbatis a Purificatione sanctæ Mariæ usque ad Pentecosten, et de professione monachorum, et lectiones de Pascha et Pentecoste[3] fecit scribi et ordinavit in uno volumine;[4] item in alio prædictum officium, quod officium non prius erat ordinate scriptum apud nos. Invenit etiam omnia necessaria ad quatuor antiphonaria cum ipsis notariis, excepto quod fratres monasterii scripserunt ea,[5] et duo communia sanctorum in veteribus antiphonariis. Emit etiam quatuor Evangelia glossata, et Isaiam et Ezechielem glossatos, et postillas super Matthæum, et allegorias super Vetus Testamentum, et Threnas Jeremiæ glossatas, et Expositionem Missæ secundum Innocentium papam, librum etiam Alexandri[6] Nequam qui dicitur Corrogationes Promethei[7] de partibus Veteris Testamenti et Novi; plures etiam alios libros, quos bonæ memoriæ Willelmus de Lithe inceperat, perfecit, veluti Martilogium et Expositionem[8] Missæ, et quasdam notas

---

[1] *Vitas . . . Eveshamiæ*] Vitas patronorum ecclesiæ Eveshamensis cum gestis omnium bonorum et malorum ecclesiæ Eveshamensis. Vesp.

[2] *tunc*] om. Ibid.

[3] *Pentecoste*] Pentecosten, Bodl. MS.

[4] *grossa litera . . . volumine*] Præterea librum de ordine officii abbatis a Purificatione sanctæ Mariæ usque ad sanctum Pascha, et lectiones de Pascha et Pentecoste, et de benedictione fontium baptismatis et de professione monachorum in uno volumine de grossa litera fecit, et in alio de graciliori litera, quæ omnia non erant prius scripta apud nos ordinate. Vesp., inserted subsequently : see p. 271, note 4.

[5] *ea*] eos, Vesp.

[6] *Alexandri*] magistri Alex., Vesp.

[7] *Promethei*] Promothei, Bodl. MS.

[8] *Expositionem*] exceptionem, Vesp.

egregias super Psalterium.[1] Fecit etiam duas albas cum apparatibus auro textis, et ornavit[2] duas nigras capas floribus auro textis. Turres etiam presbyterii fecit, et quinque tabellata lapidea super quinque tecta cryptarum, et illam partem ecclesiæ quæ [est][3] super altare sancti Johannis Baptistæ reparavit post secundum casum turris, et fecit eam in modum pinnaculorum ad deambulandum circa illam partem ecclesiæ cum tabellatu et turribus petrinis,[4] et fenestram vitream in presbyterio de historia sancti Egwini et duas vitreas[5] in fronte occidentali ecclesiæ. Fecit etiam thronum feretri sancti Egwini, et ipsum feretrum floribus et lapidibus preciosis per casum turris mutilatum,[6] reparavit. Fecit etiam quatuor primas sedes de choro prioris et formas in eodem choro. Iste etiam prior omnes fenestras magnæ infirmariæ ferreis obstaculis munivit et duas areas seldarum in medio magni vici Eveshamiæ emit a Ricardo filio Hugonis de Warwic, et dedit eas ad luminaria sanctæ Mariæ in cryptis. Procuravit etiam quod Muriella filia avunculi sui dedit ad eleemosynariam post mortem suam et filiorum suorum domum quam emit in Evesham a præfato Ricardo.[7] Capitulum pro majori

A.D. 1218–1229.

[1] The passage commencing at the head of the preceding page and ending here is compressed in Harl. 3763 into the following lines:— "Post prioratum vero multos fecit "libros ecclesiasticos bonos et ne- "cessarios, et plures alios tam Ve- "teris Testamenti quam Novi non "sine magno pretio comparavit." The remainder of the account of abbot Marleberge is too closely abridged to need collation.

[2] *ordinavit*] Vesp. and Harl. ordinavit, Bodl.

[3] *est*] Ibid.

[4] *cum . . . . petrinis*] et duas turres fecit super eandem partem ecclesiæ cum tabulatu petrino. Id.

[5] *vitreas*] veteres, Bodl. MS.

[6] *mutilatum*] mutulatum. Ibid.

[7] *Iste etiam ... Ricardo.*] In the place of this sentence, the two following are substituted in Vesp.:— "Iste prior emit decem acras an- "nuas terræ de Randulfo Dispen- "satore in Litlethon in adjutorium "prioratus et anniversarii ejusdem "Thomæ prioris, videlicet quod "idem prior pro tempore pascat "eadem die viginti quinque pau- "peres, et commutavit acras easdem "pro terra de Benigwrthe. Emit "etiam terram in Merstowe de "Hugone de Warwic, et aliam de "filia Serganti ad anniversarium "suum, et boscum de Petro de "Lemes ad idem faciendum, ut ha- "beat pitanciarius hæc ad nutri- "mentum animalium." See p. 208, and p. 214, *note*.

A.D. 1218–1229. parte depinxit. Fecit etiam lavatorium ante ostium ecclesiæ[1] in claustro. In plumbo[2] et in stagno et operariis[3] magni lavatorii in claustro expendit quindecim solidos. Hic enim semper fuit modus istius prioris, quod circa reparationem et conservationem bonorum ecclesiæ multum solicitus fuit, et bene operantes libenter adjuvit. Ad magnum[4] etiam[5] campanile quod magister Adam Sortes incepit, dedit plusquam ad valentiam unius marcæ. Muros etiam cœmeterii monachorum magnis sumptibus reparavit, et privatum dormitorium minans ruinam tribus arcubus suffulsit, in quibus arcubus expendit plusquam quatuor marcas. Arcum etiam nobiliorem novæ infirmariæ fecit; ubi expendit plusquam quatuor marcas, et multa alia cum magna diligentia operi illi impendit. In tignis etiam plumbo et operariis ad cooperturam unius anguli magnæ turris ecclesiæ expendit viginti solidos. Omnia etiam vestimenta capellæ superioris infirmariæ fecit cum ostio speculæ ejusdem. Minus etiam vas eucharistiæ appendit cum catenula argentea, et tintinnabulum[6] in refectorio ad discum cum catena ferrea appendit, et Textum majoris altaris sine libro reparavit. Mos enim semper ejus fuit hujusmodi parvos defectus supplere. Iste etiam prior emit quandam terram de Ada Peterel, et dedit medietatem ad eleemosynariam, et alteram medietatem ad luminaria sanctæ Mariæ in cryptis. Magnas etiam fenestras misericordiæ ferreis obstaculis ab ingressu hominum munivit, et magnam diligentiam apposuit apud abbatem Rondulphum ut hortus infirmariæ ampliaretur ad latitudinem coquinæ, et magnos sumptus in fossato et muris clausuræ[8] ejus fecit; etiam ostium

---

[1] *ecclesiæ*] monasterii, Vesp.

[2] *plumbo*] etiam. Add. ibid.

[3] *operariis*] ad reparationem. Add. Vesp.

[4] *magnum . . . campanile*] magnam . . . campanale, Bodl. MS.

[5] *etiam*] enim, Vesp.

[6] *tintinnabulum*] tintinabilum Bodl. MS.

[7] *appendit*] suspendit, Vesp.

[8] *clausuræ*] clausturæ, Vesp.

misericordiæ versus eundem hortum posuit[1] ubi fuit tempore hujus scripti. Laudabilem etiam consuetudinem fecit constitui, videlicet, quod feretrum sancti Wistani et feretrum sancti Credani in festivitatibus eorum ante altare ponerentur, et tunc inveniet prior de terra de Bengeworthe quam prior Thomas acquisivit cereum[2] per diem et noctem jugiter ardentem coram reliquiis eorundem sanctorum. Et trabem ante altare sancti Petri cum cruce et imaginibus reparavit, et exaltavit ad majus[3] luminare vestiarii.[4] Fecit etiam tabellatum[5] locutorii super capellam sanctæ Annæ ad occidentem. Postquam etiam altare sanctæ Mariæ in cryptis a furibus secundo[6] spoliatum fuit libris et vestimentis ad valentiam decem marcarum,[7] iste prior ad restaurationem vestimentorum beatæ Mariæ emit unam albam cum apparatu, auro super intexto. Dedit etiam dimidiam marcam pro carta confirmationis terræ de Radeforde ad luminaria ejusdem altaris, et tres solidos in auxilium pretii dalmaticæ de rubro examito quam abbas Rondulphus emit. Dedit etiam dimidiam marcam pro carta confirmationis et warentizationis terræ præcentoris in Alincestria juxta pontem.[8] Insuper iste prior sepelivit prædecessorem suum priorem Johannem in mausoleo novo lapideo,[9] et Johannem cognomento Dionisium similiter, de quo idem prior Thomas dicere consuevit quod nunquam vidit hominem tam perfecte omne genus pœnitentiæ peragere sicut idem Johannes peregit triginta annos et amplius, in jejuniis et orationibus, in lachrymarum effusione et vigiliis, in corporalibus cruciatibus et frigoribus, in

A.D. 1218–1229.

[1] *ejus . . . posuit.*] The reading in the text is that of Vesp., the Bodl. MS. reading incorrectly :— "clausuræ ejus. Fecit etiam ostium " . . . positum."

[2] *Bengeworthe . . . . . cereum*] Beningewrthe vel de Luthlet unum cereum. Vesp.

[3] *majus*] magis. Ibid.

[4] Here Vesp. inserts "Præterea " librum de ordine officii," &c. as above, p. 268.

[5] *tabellatum*] tabulatum. Ibid.

[6] *secundo*] om. ibid.

[7] *marcarum*] librarum. Ibid.

[8] *Dedit . . . pontem*] om. ibid

[9] *lapideo*] om. ibid.

A.D. 1218–1229. vestimentorum vilitate et asperitate, et ultra modum aliorum fratrum corporalium sustentationum subtractione, cunctis sibi subtractis bonis usibus et pauperum sustentationibus profuturis.[1] Emit etiam iste prior redditum duodecim denariorum a Ricardo juvene filio Ricardi claudi de domo illorum quæ est in magno vico Eveshamiæ. Et redditum novem denariorum a Willelmo de Ponte, de terra quam Eva filia ejusdem Willelmi tenet de eo in maritagio in Alincestria, et dedit eos idem prior ad eleemosynariam Eveshamiæ. Fecit etiam thronum feretro sancti Wistani et imaginem regiam eidem throno proposuit, quam perfecerat postquam factus est abbas. Hæc vobis minuta facta cum majoribus istius Thomæ monachi scripsimus ut exemplo ejus saltem parvos defectus suppleatis, quia qui minora contemnit paulatim decidit.

Ecclus. xix. 1.

De operibus Thomæ de Marlebarwe abbatis.

Election of Marleberge. 1229.

Abbate Rondulpho defuncto[2] misit rex ad abbatiam duos clericos et unum militem, qui nec libere tenentibus nec villanis parcentes ceperunt ab eis ad opus domini regis trecentas marcas, et tenuit rex abbatiam in manu sua per tres partes anni, et omnes proventus in usus suos convertit, exceptis redditibus specialiter ad obedientias monachorum assignatis. Interim statim missi sunt duo fratres cum literis conventus ad dominum regem qui impetraverunt licentiam eligendi abbatem; et redeuntes quinto die, scilicet in vigilia sancti Thomæ apostoli, statim elegerunt Thomam priorem suum, et in crastino Natalis Domini præsentaverunt eum domino regi qui tunc agebat apud Eboracum, cui revertenti occurrit electus, et in Epiphania Domini ab

[1] Here ends the account of Marleberge in Vesp. B. xxiv.

[2] See note, p. 263.

eo est admissus, qui literas domini regis ibi obtinuit de consensu regio directas domino papæ, ut ab eo confirmationem impetraret. Et tunc missi sunt duo fratres Romam, qui in curia per octo hebdomadas moram facientes non poterant impetrare confirmationem. Sed tandem, quamvis domino papæ et curiæ nollent servire, impetraverunt literas a domino papa in hac forma. A.D. 1230.

Pope Gregory IX orders a new election.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri[1] episcopo et dilecto filio priori de Conventre salutem et apostolicam benedictionem. Quum dilecti filii monachi monasterii de Evesham præsentassent nobis electionem quam de persona Thomæ prioris ejusdem monasterii duxerant faciendam, humiliter supplicantes ut dignaremur electionem eandem tanquam celebratam de persona idonea confirmare; Nos, ejus examinato processu aliisque negotii circumstantiis attente pensatis, supplicationem eorum non duximus admittendam. Ne vero dictum monasterium longa vacatione grave dispendium patiatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præfati monachi infra mensem post monitionem vestram ad electionem duxerint procedendum, vos electionem eorum, si fuerit canonica et electi persona idonea, auctoritate apostolica confirmetis, tuque, frater episcope, munus electo benedictionis impendas. Alioquin, vos eadem auctoritate provideatis de persona literata quæ laudabilis sit conversationis et vitæ, de gremio ejusdem ecclesiæ si ibi invenitur idoneus, alioquin de alia, præfato monasterio in abbatem. Datum Laterani, nonas Maii, pontificatus nostri anno quarto.

Et nos statim celebravimus electionem, sed tamen sub alia forma quam prius. Nam quum prius omnes una voce et voto concordi fecissent electionem, tunc contulerunt potestatem eligendi quinque fratribus qui eundem priorem elegerunt quem omnes prius elegerant; qui missus, cum literis continentibus formam electionis et quinque fratribus qui eandem formam probarent, ad prædictos episcopum et priorem Conventre, ab eis est confirmatus, habita prius de persona electi et de eligendi forma et de zelo et ratione

Marleberge is re-elected.

[1] *viro* is inserted before *fratri* in the MS., but marked with a sign of erasure.

He is consecrated at Chester by the bishop of Coventry, 12 July, A.D. 1230.

eligentium diligentissima examinatione, et a præfato episcopo in ecclesia sancti Johannis apud Cestriam benedictionis munus in crastino translationis sancti Benedicti est adeptus. Et statim missus est abbas ad dominum regem et ad cancellarium, cui statim post mortem prioris abbatis commissa est custodia abbatiæ, cum literis prædictorum episcopi et prioris ut obtineret possessionem abbatiæ, et non potuit obtinere a cancellario sed missus est ad regem, qui tunc agebat in transmarinis, cum prædictis literis et cum literis cancellarii. Et quum abbas nollet transfretare, missus est [unus][1] ex monachis qui fuerant Romæ cum duobus servientibus in Pictavem ad dominum regem, qui statim obtinuerunt literas de habenda possessione. Quibus prospere reversis, per gratiam Dei obtinuit abbas a

Temporalities restored, 10 Sept.

cancellario literas de possessione abbatiæ apud Conventre in die translationis sancti Egwini, et cum prædicto episcopo, convocatis multis abbatibus, prioribus, clericis et magnatibus et militibus, quoscumque abbas habere poterat, adepta possessione abbatiæ, in die sancti Michaelis cum solemni processione in abbatia est re-

Marleberge installed, 29 Sept.

ceptus et a præfato episcopo installatus. Iste abbas quamvis in abbatia nihil præter solam frugem et fœnum et duas partes carucarum tertia parte deficiente boum, invenisset, in brevi tamen postea domino regi solvit quadraginta tres marcas et domino papæ viginti sex

Debts of the abbey.

marcas, et hominibus de Evesham de minutis debitis satisfecit de quadraginta marcis, et creditoribus propriis de expensis quas ipse fecerat solvit quinquaginta marcas, et clericis de pensionibus præteriti temporis decem marcas, et adhuc tenebatur clericis de pensionibus in quinquaginta marcis, et Romanis creditoribus ad minus in trecentis, et cuidam creditori de expensis in viginti marcis, et aliis, parum de novo et multum de veteri debito, usque ad summam viginti marcarum. Et quamvis ita ære alieno oneratus esset et multo se exo-

[1] *unus*] inserted by a later hand.

nerasset, tamen toto eo anno per gratiam Dei vixit sine novo mutuo. Et in Mortone et Lenchwic et Somborne emit centum acras terræ ad opus abbatum; et instauravit carucas de valle et de Ambreslege et Mortone et Sompburne et Baddeby, ad fortitudinem boum et numerum qui nunquam prius fuerat in terris illis. Sculpsit etiam super duas tumbas prædecessorum suorum ad honorem et ostensionem dignitatis ecclesiæ imagines episcopales, et sibi ipsi cum eisdem fecit mausoleum et incidit in lapide marmoreo superposito imaginem episcopalem ad honorem ecclesiæ; et assignavit conventui redditus viginti solidorum de terris quas emit a liberis hominibus abbatiæ ad faciendum imperpetuum anniversarium suum in die benedictionis suæ usque ad obitum suum, et deinde annuatim in die obitus sui decem solidos. Et quum sic ditasset abbatiam de centum acris, et conventum de redditu viginti solidorum (omnia de terris emptis), præterea secundo anno assartavit in Ambresley duas carucatas terræ de Chattesley, acquisita licentia a Waltero de Bello Campo qui prius semper impediverat illud assartum pro communa pasturæ quam ibi habuerat, Quum etiam conventus haberet tres marcas de ecclesia de Bratfortone ad caseum[1] et non sufficerent, iste abbas ad supplementum casei et aliorum defectuum dedit residuum ecclesiæ conventui, scilicet, dimidiam marcam ad infirmariam, et dimidiam marcam ad sálsas coquinæ, et dimidiam marcam ad vinum in die sancti Vincentii, et dimidiam marcam ad vinum in die sancti Odulphi, et residuum ad festum Reliquiarum.[2] Iste etiam abbas redemit redditum quinque marcarum a Stephano de Fossonovere domini papæ subdiacono, quas prædecessor ejus dederat ei, timens ne, eodem Stephano mortuo, dominus papa (sicut tunc mos erat ecclesiæ Romanæ) conferret eundem redditum alteri clerico, sicut prius fecerat redditum decem marcarum annuarum quas prius habuerat Umfredus clericus domini

A.D. 1230–1.

Marleberge prepares his own monumental shrine.

His benefactions to the abbey, and prudent administration of its affairs.

1231–2.

[1] *caseum*] casium, MS.

[2] *Reliquiarum*] reliquearum, MS.

A.D. 1231–2. papæ, quo mortuo dominus papa contulit easdem Hugucioni Frapein, scilicet cuidam capellano suo. Iste etiam abbas revocavit in proprios usus molendinum de Haddeley in Ambresley, et funditus novum reparavit, quod modo valet triplo plusquam prius valuit, quum a tempore fundationis suæ prius esset ad firmam. Retinuit etiam in proprios usus molendinum de Wykewane, cujus possessor moriebatur tempore quo rex habuit custodiam abbatiæ. Dedit tamen regi quandam summam pecuniæ, ne traderet idem molendinum quibusdam qui illud petebant jure hæreditario. Concessit etiam ecclesiam de Mortone in proprios usus ad sacristariam, de qua sacrista prius habuit tantum tres solidos annuatim. Dedit tamen pro bono pacis tres marcas de camera annuatim cuidam clerico domini regis, cui rex dederat beneficium siquod vacaret tempore custodiæ domini regis de abbatia. Iste etiam abbas secundo anno installationis suæ satisfecit omnibus creditoribus et clericis pensionariis de præteritis, usque ad summam septuaginti marcarum, Romanis tamen creditoribus non satisfecit eo anno. Fecit etiam in navi ecclesiæ altare sanctæ crucis, superposito ei lapide marmoreo, et erexit super illud egregiam crucem Dei[1] imaginibus sanctæ Mariæ et sancti Johannis. Fecit etiam unam de voltis ecclesiæ retro ostium processionis de claustro. Et quum abbas Rondulphus fecisset simplicem thalamum juxta aulam abbatis, iste abbas ut esset thalamus congrue habitabilis, apposuit ex una parte ejusdem thalami capellam et subtus eam voltam optimam, et ex altera parte thalami optimam domi necessariam. Suffulsit etiam ipsam aulam arcu lapideo. Et quum incendio amisisset decem equos suos meliores et alia ad summam centum librarum intra Bertonam, cito post annum reparatæ sunt domus loco combustarum triplo meliores quam erant priores. Fecit etiam apud Sompburne et apud Mortone domos satis habitabiles quando

[1] *Dei*] om. Harl. 3763.

venerint illic abbates. Emit etiam capam de examito auro super intextam. Quum etiam ecclesia de Weston prope finem secundi anni benedictionis abbatis vacasset, et abbas multos haberet adversarios et potentes petentes jus patronatus ejusdem ecclesiæ, abbas tandem obtinuit cum sumptibus tamen plusquam centum marcarum, et institutus est in eadem ecclesia clericus ad præsentationem abbatis. Sed quamvis ita liberasset monasterium omni ære alieno, sic quod nullus peteret aliquid ab eo in fine secundi anni installationis suæ cujus æris partes et quantitatem non memoriter retinuit, Romanis tamen creditoribus non satisfecit, quia nullus debitum illud petiit nec scivit abbas cui illud deberet. Scivit tamen quod siquis petens instaret, peteret ab eo plusquam trecentas marcas; et quamvis conservaret ecclesiam sic ab ære alieno, tamen adhuc non redierunt in manus suas (nec multis annis postea redirent) prata de Burtone et de Bradewelle, quæ abbas Randulphus pro ducentis marcis et pluribus impignoravit Templariis de Gutinges. Hic etiam abbas tertio anno installationis suæ, tertio kalendas Martii, fecit dedicari capellam sancti Wistani quem ipse construxerat, ut prius dictum est; et dati sunt quadraginta dies relaxationis annuatim in anniversario ejusdem dedicationis et per octo dies sequentes ab episcopo Johanne qui eam dedicavit; qui tunc temporis per multos annos supplevit vices episcopi Wyntoniensis et aliorum episcoporum caritative petentium. Idem etiam episcopus die præcedenti ordinavit ibi septem monachos Eveshamiæ in presbyteros et unum diaconum, et duos acolytos, et quosdam monachos Cisterciensium de Wallia. Nullos vero clericos nisi in valle Eveshamiæ beneficiatos vel monachos nisi exemptos aliquando permisit iste abbas in ecclesia Eveshamiæ ordinari. Pridie vero kalendas Martii dedicavit idem episcopus capellam sancti Michaelis [in] infirmaria, cujus altari idem abbas lapidem marmoreum superposuit, et totidem dies relaxationis dati sunt in dedicatione ejusdem capellæ sicut et prioris.

A.D. 1232.

1233.

["*fercrum*," p. 266.]

Ordination held by bishop John, a suffragan to Winchester, 26 Feb.

A.D. 1233. Fecit etiam iste abbas colere in dominico apud Baddesey quasdam particulas terrarum ad valentiam quinque acrarum quæ supra memoria hominum vel nunquam prius fuerunt cultæ. Dedit etiam Waltero de Bello Campo viginti quatuor marcas pro licentia faciendi fossatum inter Preste Mede, et quasdam alias terras in Wikewaneford, et pratum de Morcote, et pro licentia colendi easdem terras et faciendi sibi in hoc quotienscunque abbates voluerint, et pro licentia imparcandi averia ejusdem Walteri et hominum suorum si inventa fuerint in damno abbatis tempore quo terræ illæ fuerint inbladatæ; quæ prædicta a nullo abbate prius (quamvis sæpius attentata) poterant consummari, quum super his supra memoriam hominum fuerit inter eos lis et contentio. Iste etiam abbas assignavit conventui redditus decem solidorum de dimidia virgata terræ in Luttultone quam Adam le Boteler tenet de conventu, pro secta de Bratfortone facienda ad comitatum Wygorniæ, quos sacrista pro eo solvet infirmario. Et quia decem solidi prædicti assignantur ad misericordias faciendas, oportet quod conventus assignet alios decem solidos de bursaria ad anniversarium prædicti Thomæ faciendum. Quum autem iste abbas fere per septem annos suam rexisset ecclesiam, pridie idus[1] Septembris in Domino obdormivit, anno videlicet Domini millesimo cc.xxxvi.

Death of Marleberge, 12 Sept. 1236.

De operibus Ricardi de le Gras abbatis.

Abbot Richard le Gras.

Isti successit Ricardus le Gras, prior de Hurley.[2] Qui acquisivit unam capam de opere Saracenorum, quæ

[1] So also Vitell. E. xii., Vesp. B. xv., fol. 18 b., and Harl 3763, f. 172; "idus Sept.," Harl. 229, f. 18 b., and Lambeth, 589, p. 40, [from Vitell. E. xvii. ?]; "iiii. idus *Decembris*," (*lege*, Sept.) Matth. Westm.

[2] Elected 25 Sept., consecrated at Heywood by the bishop of Coventry on the first Sunday in Advent, (30 Nov.), and installed 7 Dec. Matth. Westm. From hence to the end of the account of abbot Ombresley the narrative in Harl. MS., 3763 is the same in an abridged form with that in the text.

vocatur *cantulcope*.[1] Iste etiam assignavit conventui in anniversario dedicationis ecclesiæ novem solidos de incremento redditus Roberti le Beel, et dimidiam marcam de terra Galfridi de Bradewelle. A.D. 1236–43.

Tempore istius abbatis venerabilis pater Johannes episcopus dedicavit ecclesiam de Evesham,[2] videlicet anno Domini millesimo cc.xxxix. Et in dicta dedicatione concessit omnibus pœnitentibus et hanc ecclesiam venerantibus de pœnitentia sibi injuncta centum dies relaxationis; et in anniversariis ejusdem dedicationis per singulos annos centum dies; et in omnibus festivitatibus sanctæ Crucis, sanctæ Mariæ et sancti Egwini centum dies. The abbey church consecrated by bishop John, A.D. 1239

Hic autem abbas multum fuerat occupatus in servitio domino Henrici regis Angliæ citra mare et ultra,[3] ac tandem in partibus Gausconiæ viam universæ carnis ingressus est,[4] videlicet quinto idus Decembris,[5] anno gratiæ millesimo cc.xlii. The abbot dies in Gascony, 9 Dec. 1242.

De operibus Thomæ de Gloucetur abbatis.

Post quem Thomas de Gloucestria, monachus eusdem domus, in abbatem eligitur. Qui in anno sequenti a domino papa Innocentio quarto confirmatur, et ab episcopo Eliensi de mandato ejusdem papæ, recepto prius ab eo juramento, benedicitur.[6] Nec tamen potuit a domino rege temporalia sua percipere, donec idem rex a domino papa postmodum mandatum super hoc Abbot Thomas of Gloucester, A.D. 1243.

[1] *cantulcope*] cantelcope, Harl.

[2] In obedience to the legate Otho's ordinance. M. Paris, pp. 449, 522; Prynne's Records, ii. p. 504.

[3] "et fuit cancellarius totius Anglie." Added in Vesp. B. xv.

[4] "in civitate quæ Regula, sive Riola dicitur." M. Paris, p. 597.

[5] So also in Lambeth 589, from Vitell. E. xvii.; 8 Dec., Matt. Paris.

[6] The Tewkesbury Annals, as cited by Wharton in Lambeth MS. 589, say that he was confirmed on Whit-Sunday, and blessed on the vigil of St. George, 1244; but since (according to prof. De Morgan's "Book of Almanacs") Whit-Sunday in that year fell on May 22, while the vigil of St. George is April 22, it is evident that there is some mistake. Matt. Paris appears to assign the abbot's confirmation to the month of Febr., for after mentioning the death of card. Colonna on the octave of the Purification he adds, "Et tunc temporis . . . . Thomas "de Glovernia . . . . de Evesham "in abbatem est creatus." (p. 614.)

A.D. 1244–56. receperit speciale. Iste abbas acquisivit casulam unam cum castellis aureis supertextis, et unam bonam albam et stolam cum manipulo de nigro serico aurifrigerato cum tintinnabulis auratis. Dedit etiam unam albam bonam et stolam ad capellam[1] beatæ Mariæ. Ordinavit etiam et assignavit sex marcas annuatim percipiendas de bursaria abbatis,[2] per manus bursariorum conventus Eveshamiæ ad opus ejusdem conventus, de ecclesia de Honyborne, nomine pensionis. Quas tali modo distribui fecit,[3] videlicet, ad faciendum anniversarium suum viginti solidos, et eleemosynario pro participatione pauperum[4] unam marcam, et ad festum sancti Georgii solemniter faciendum[5] viginti solidos, et pro albis beatæ Mariæ, videlicet ut conventus sit in albis qualibet septimana quum tabula fuerit de ea,[6] duas marcas per annum. Tempore istius abbatis, anno videlicet gratiæ millesimo cc.li, venerabilis pater Jocelinus episcopus in ecclesia Eveshamensi in Quadragesima ordines celebravit, et feria quinta in Cœna Domini proxima[7] chrisma solemniter consecravit. Transactis itaque fere quatuordecim[8] annis iste Thomas ex hoc sæculo migravit ad Dominum xviii. kalendas Januarii, anno videlicet Domini millesimo cc.lv.

Ordination held by bishop Joceline, 1251.

Gloucester's death, 15 Dec. 1255.

A.D. 1256. *De operibus Henrici abbatis.*

Abbot Henry. Huic successit Henricus ejusdem loci prior, qui a papa Alexandro quarto postmodum confirmatur.[9] Iste abbas peroptimus quamvis ære alieno usque ad mille quadringentas marcas[10] fuerat oneratus, in brevi

[1] *Dedit etiam . . . . . ad capellam.*] Et habet etiam . . . . . in capella. Harl. 3763.

[2] *de burs. abbatis*] om. ibid.

[3] Quas quidem dominus Willielmus de Whitechurche abbas postmodum confirmavit, videlicet, &c. Add. ibid.

[4] *pauperum*] om. ibid.

[5] *faciendum*] celebrandum, ibid.

[6] *videlicet . . . ea*] videlicet qualibet hebdomada. Ibid.

[7] *proxima*] om. ibid.

[8] *Rectius*, tredecim.

[9] Installed on St. Egwin's day (30 Dec.), 1256. Annales Wigorn. in Wharton's Angl. Sac., vol. i. p. 494.

[10] *quadr. marcas*] 1,500 marcas. Vesp. B. xv., fol. 19.

tamen postea omnibus debitoribus integraliter satisfecit, et interim per Dei gratiam sine novo mutuo honorabiliter vixit. Emit etiam a liberis hominibus quamplures redditus in locis diversis, quos postmodum ex assensu conventus, una cum aliis solutionibus per obedientiarios solvendis, ad recreationem singulorum in esu carnium,[1] certis anni temporibus secundum discretam providentiam faciendis, prudenter pariter et providenter assignavit, prout in quodam instrumento inde confecto, sigillo communi et abbatis sigillato et in thesauria reposito, plenius continetur.[2] Et quia etiam redditus ad fabricam istius ecclesiæ[3] deputati sibi non sufficerent, ad quorundam supplicationem pro insufficientia dictæ fabricæ relevanda, obventiones et oblationes ad crucem sanctam in monasterio provenientes conventui concessit. Ordinavit etiam ac benignissime assignavit quinquaginta solidos annuos, de terra quam emerat a Radulpho de Bratfortone in sua prima novitate, ad sustentationem cujusdam capellani in monasterio Eveshamiæ quotidie divina celebrantis, pro redemptione negligentiæ divina celebrandi siqua fuerit a fratribus in dicto monasterio commissa, et pro animabus dicti monasterii abbatum, fratrum, patrum et matrum, benefactorum et ejusdem cœnobii fundatorum. Iste etiam abbas acquisivit tres capas, unam de rubeo serico manibus consutam cum albis columbis et floribus liliorum aureis, et aliam de baudekino confectam scalopibus aureis et flosculis liliorum de rubeo serico omnino textam, et tertiam de rubeo examito qua capellani abbatis utuntur quum abbas revestitus fuerit. Acquisivit etiam duas casulas, unam de rubeo serico etiam manibus consutam cum albis columbis post tergum, et aliam de albo baudekino, cum avibus aureis rostra de serico viola- A.D. 1256–63.

[1] "Nota de Apello," *rubric in marg.*

[2] *prout . . . . . continetur*] om. Harl. 3763.

[3] *istius ecclesiæ*] Eveshamiæ ecclesiæ. Ibid..

A.D. 1263–6. tico[1] habentibus supertextam. Et sex albas et duas stolas cum manipulis; unam de serico violatico, regibus aureis et episcopis et floribus supertextis, et viridi examito subtectam, et aliam de diversis sericis et diversis scutis, manibus consutam. Deputavit etiam conventui ad anniversarium suum viginti solidos de terra Hugonis Bartram de Bratforton, et eleemosynario decem solidos de redditu in Evesham pauperibus erogandos. Quum autem septem annis hanc ecclesiam prudenter ac strenue gubernasset, feliciter migravit ad Dominum, idus Novembris, anno videlicet Domini millesimo cc.lxiii.

His death Nov. 13, 1263.

De operibus Willielmi de Wytchurche.

William de Whitchurch appointed abbot by the legate about 14 Sept. 1266.

Defuncto vero isto laudabili[2] abbate Henrico vacavit ecclesia ista fere per tres annos.[3] Tandem circa festum sanctæ Crucis in autumno, anno videlicet Domini millesimo cc.lxvi., venit legatus Ottobonus apud Evesham et constituit monachis ibidem in abbatem dominum Willielmum de Wytechurche, quondam monachum de Perschore, postea abbatem de Alcetur. Iste abbas ratificavit et confirmavit sex marcas quas Thomas de Gloucetur abbas ordinavit et assignavit per manus bursariorum conventus Eveshamiæ ad opus ejusdem conventus, de ecclesia de Honyborne nomine pensionis annuatim percipiendas. Confirmavit etiam sexaginta et decem solidos annui redditus de novo incremento fratris Reginaldi de Intebarue[4] tunc sacristæ Eveshamiæ, ad sustentationem unius cerei die noctuque ardentis in honore sancti Wistani et aliorum sanctorum, et unius lampadis de nocte ardentis in pulpito coram cruce; et assignavit prædictum annuum redditum officio sacristariæ ad sustentationem prædic-

[1] *violatico*] violatito, MS.
[2] *vero . . . laudabili*] om. Harl. 3763, and 229.
[3] *ista . . . . annos*] per multum tempus. Ibid.
[4] *Intebarue*] Inteberge, Harl. 3763.

torum. Acquisivit etiam terram quandam cum pertinentiis et prato in villa de Bereforde una cum advocatione ecclesiæ de Bereforde, et asssignavit eam eleemosynariæ, cum omnibus proficuis et emolumentis quæ de dictis terris et prato cum pertinentiis evenire poterint, ad suum anniversarium faciendum. Emit etiam alios redditus in Evesham, Bengeworthe, et Badeby et Ambresley, ex quibus quidem viginti solidos assignavit ad recreationem conventus in die anniversarii sui. Iste etiam abbas comparavit de domino Willielmo de Bello Campo comite Warwichyæ manerium de Bengeworthe, cum terris et tenementis et omnibus ad dictum manerium pertinentibus. Acquisivit etiam huic ecclesiæ duas capas, unam de examito purpureo cum vinea aurea supertextam, et aliam de rubeo examito cum prophetis et regibus aureis et etiam vinea [1] supertextam, et unam casulam de albo serico cum duabus tunicis de consimili panno, et unam albam bonam. Iste etiam abbas primitus inter confratres istius ecclesiæ sacerdotio promotos prichpottos[2] participari ordinavit: cuilibet, videlicet, monacho hujus cœnobii in presbyterum ordinato, absque alia cervisia[3] sibi deputata, omni septimana duos prichpottos, octo lagenas cervisiæ[3] continentes, de communi cellario [4] percipiendas; prior vero quatuor qualibet septimana accipiat sexdecim lagenarum. Et postquam sexdecim annos iste abbas huic ecclesiæ prudenter præfuisset[5] tertio nonas Augusti[6] vitam istam temporalem pro æterna commutavit,[7] anno videlicet Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo.

A.D. 1266–82.

His death, 3 Aug. 1282.

[1] *vinea*] vineam, MS.

[2] "Nota de prichpottis," *rubric in marg.*

[3] *cervisia . . . cervisiæ*] servicia . . . serviciæ, MS.

[4] *cellario*] selario, MS.

[5] *Iste etiam abbas . . præfuisset*] om: Harl. 3763.

[6] So also Harl. and Vitell. E. xvii. and xii. cited in Lambeth 589; 1 Aug., Ann. Wigorn., in Wharton's Angl. Sac. vol. i., p. 506.

[7] *vitam . . . . commutavit*] obiit autem. Harl.

De mirandis operibus domini Johannis de Brokhampton, et primo de ejus perquisitis.

A.D. 1282-1316. John de Brokehampton, abbot.

Huic successit Johannes de Brokhamptone monachus et cellerarius[1] istius loci, qui a Martino papa quarto Romæ confirmatur.[2] Iste abbas primo acquisivit sibi et huic monasterio manerium de Seynebery quod valet per annum triginta libras, cum advocatione ecclesiæ et feodo de Aston Somorvile. Item manerium de Hollebarwe,[3] quod valet per annum viginti libras, cum advocatione ecclesiæ ejusdem. Item apud Evesham redditum viginti solidorum cum una virgata terræ pretio viginti solidorum,[4] quos acquisivit de Johanne Arundel in eadem villa. Et unum messuagium cum una virgata terræ, quæ fuerunt Roberti le Wesk[5] in eadem villa, et valent per annum viginti solidos. Ac etiam redditum quinque solidorum de domibus Walteri Zynegare et Willielmi le Maliare in eádem.[6] Acquisivit etiam in maneriis de Baddeby et Neunam[7] redditum septuaginta octo solidorum.[8] Item erexit de molendino venti de Honyborne et Podone[9] redditum triginti quinque solidorum. Similiter de molendino venti de Wyllarseye[10] redditum viginti quatuor solidorum. Item ædificavit molendinum venti de Luttultone.[11] Et apud Bengeworthe de Willielmo seneschallo redditum viginti octo solidorum. Et in Nortoun de una dimidia virgata terræ, quondam magistri Johannis de Evesham, redditum sex solidorum. Et de uno messuagio in

[1] *et cellerarius*] om. Harl. 3763, and 229.

[2] 12 Edw. I., 1284. Prynne's Records, vol. iii. p. 1268.

[3] *Hollebarwe*] Ollebaruwe, Harl. 3763.

[4] *pretio viginti solidorum*] in eadem quæ valet per annum triginta solidos. Ibid.

[5] *Wesk*] Vesk. Ibid.

[6] *Ac etiam . . . . eadem.*] Et de domo Walteri Sygare tres solidos et de domo Willielmi le Maliare duos solidos. Ibid.

[7] *Neunam*] Neuwenham. Ibid.

[8] sicut patet in rentario domini abbatis. Add. ibid.

[9] *de molendino . . Podone.*] Et in manerio de Honyborne cum molendino venticico de Podenho. Ibid.

[10] *Similiter . . Wyllarseye.*] Et apud Willarseye de molendino venticico. Ibid.

[11] *Item . . . Luttultone*] om. ibid.

A.D. 1282–1316.

Luttultone quod quondam fuit fabri ibidem redditum quatuor solidorum. Ac etiam de dimidia virgata terræ quæ fuit Willielmi Wythelard in eadem redditum decem solidorum. Similiter de diversis tenementis quæ fuerunt quondam Johannis de Wytchurche de eadem redditum sexaginta quinque solidorum et decem denariorum. Item in South-Luttultone acquisivit unum messuagium et tres virgatas terræ cum pertinentiis quæ fuerunt Petri Grynel in eadem. Item de una dimidia virgata terræ in Hamptone quæ fuit quondam Amiciæ[1] de Bamptone redditum septem solidorum. Acquisivit etiam in Hudecote redditum viginti solidorum,[2] et de uno messuagio et una carucata terræ in eadem villana redditum sexaginta solidorum. Item de uno messuagio et duabus virgatis terræ in Donyntoun redditum viginti quatuor solidorum. Similiter de uno curtilagio et uno prato ibidem redditum viginti unius solidorum et quatuor denariorum. Item acquisivit apud Bortoun[3] de Johanne Wytchurche[4] sex acras prati juxta Stapulmede,[5] et valet per annum triginta solidos. Similiter in eadem de eodem Johanne de terra quondam Walteri Donynton redditum sexdecim solidorum. Acquisivit etiam apud Baddesey de terra Willielmi seneschalli redditum sexaginta solidorum. Et apud Twyforde acquisivit unum messuagium cum duabus virgatis terræ et dimidia et cum una piscaria, quæ valent per annum quinquaginta solidos. Iste quidem abbas quum prædecessores sui quosdam fratres vocatos *conversos* super maneriis vallis constituissent, qui omnia pæne demoliti sunt, ad magnam utilitatem istius domus, ne ulterius proprietarii fierent omnes revocari fecit, ut eorum vota jejuniis et orationibus in monasterio perficerent.[6]

---

[1] *Amiciæ*] Aviciæ, Harl. 3763.

[2] *redditum viginti sol.*] xxvii solidos. Ibid.

[3] *Bortoun*] Borouthtoun. Ibid.

[4] *Wytchurche*] de Whitechurche. Ibid.

[5] *juxta Stapulmede*] quod jacet juxta Stapelmedewe. Ibid.

[6] *Iste quidem—perficerent*] om. Harl. 3763, together with the whole of the next page, and the greater portion of p. 287.

A.D. 1282-1316.

Hic de magnificis ædificiis et aliis ejus gestis.

Buildings erected by Broke-hampton.

Iste insuper abbas capellam beatæ Virginis Mariæ cum fenestris et volta honesta et nodis deauratis decenter fecit, in qua splendide depictæ sunt historia Salvatoris et aliæ historiæ diversarum Virginum: ubi etiam duas erexit tabulas sumptuose depictas et deauratas, ante et super altare ibidem stantes.[1] Fecit etiam domum capituli, intus et exterius artificiose constructam cum volta optima absque base media nodis deauratis pulchre ornatam, vitreis etiam fenestris circumdatam. Quæ domus propter sui amplitudinem simul et pulchritudinem inter alias domos capitulorum hujus regni una de principalibus tenetur. Illa etiam pagina claustri ex opposito capituli super quem studii monachorum ædificati sunt ejus tempore et auxilio constructa est. Item fecit dormitorium, largum, bonum, bene et fortiter cum voltis fulcitum ab uno usque in alium finem, sub quibus diversæ sunt officinæ constitutæ, videlicet camera magistri capellæ, camera sacristæ, misericordia, et aliæ. Domus etiam nobilis infirmariæ ejus tempore et auxilio magnis expensis ædificata est, ubi nunc sunt pro infirmis cameræ diversæ, devotione et industria monachorum hujus ecclesiæ constructæ, ut patent per visum. Dedit etiam conventui ad istud refectorium ædificandum centum libras argenti cum totali meremio. Et sic cum ejus adjutorio, Deo donante, tam in muris quam in fenestris et tectura et omnibus aliis, ad finem est perducta. Omnes enim domus prædictæ plumbo coopertæ sunt, præter infirmariam; capella tamen ejusdem plumbo tecta est. Item fecit longam cameram pro minutis cum volta,

[1] "Versus in tabula super altare beatæ Mariæ:

"Perpetuis annis animæ sit vita Johannis
Patris Eveshamiæ, qui sic altare Mariæ
Sumptibus ornavit. Ricardus opus reparavit,
Pictor Martensis, habitator Londoniensis."

Cotton. MS. Nero, D. iii. f. 246.

super quam ædificatur ambulatorium et privatum dormitorium. Fecit etiam egregiam aulam abbatis, cujus muri omnes de lapidibus perfecti sunt, erexitque super illam mirabilis operis tecturam meremio factam plumboque coopertam, et porticum ad ostium aulæ prædictæ cum volta, et super illum domum receptionis, plumbo similiter coopertam. Huic itaque aulæ coquinam adjunxit, quam de lapidibus decenter totam perfecit. Fecit etiam pantriam[1] juxta coquinam, et cameram abbatis depictam cum historia Joseph cum parva capella sibi annexa; et sub hac camera volta fortis erigitur, ubi nunc est cellarium vini. Domos similiter pistrinæ et brascinæ fortiter et sumptuose ædificari fecit. Duas insuper novas cameras in curia ex parte occidentali, ex opposito aulæ prædictæ, cum earum voltis pro hospitibus fecit, et cameram cellerarii, cum alia sibi adjuncta super arcum lapideum bene ædificata. Item fecit longum stabulum ex eadem parte, pro hospitibus, bene constructum. Longum itaque stabulum ex parte aquilonali in dicta curia pro officiariis deputatum ejus tempore et adjutorio ædificatum est. Pitantiaria etiam coquinarii cum volta, et super illam aula pro hospitibus constructa, ejus tempore et auxilio ædificata est; et coquinam conventus juxta coquinam abbatis ædificavit atque perfecit. Octo etiam grangias sumptuosas, sicut apparent, per maneria constituit, videlicet, unam apud Evesham in Bertona pro hordeo imponendo, alteram apud Uffenam, alteram apud Luttultone optimam, alteram apud Honyborne, aliam apud Willarsey, aliam apud Hamptone, alteram apud Burton, atque alteram apud Bradewelle; et cameram apud Honyborne cum capella annexa, et cancellum ecclesiæ de Honyborne, et cancellum de Willarsey, et cancellum de Hamptone, et ecclesiam de Norton, et duas cameras de Uffenam, et unam

A.D. 1282-1316.

[1] *pantriam*] panetria, Harl. 3763.

A.D. 1282-1316. cameram cum volta apud Ambresleye, et omnia ædificia in manerio de Willarsey existentia, longo stabulo ibidem excepto. Item construxit in tempore suo, sexdecim molendina aquatica, per diversa maneria huic monasterio pertinentia. Iste etiam abbas acquisivit a domino rege quod prior et conventus habeant custodiam istius abbatiæ in singulis vacationibus, solvendo domino regi certam summam pecuniæ, prout in carta regis eis inde confecta plenius continetur, pro qua dedit domino regi ducentas libras.[1] Item in tempore suo dedit domino regi pro suis guerris mille marcas. Item eidem pro medietate bonorum in uno anno ducentas quinquaginta marcas; et eidem pro transgressionibus factis per homines suos in foresta de Feckenam centum marcas. Item acquisivit huic ecclesiæ unam capam rubeam et longam, quæ fuit magistri Willelmi de Bosco, et aliam capam albam de examito, et sex casulas, unam videlicet de violacio, et alteram similiter de violacio cum Crucifixo in tergo, et tertiam de violacio duplicatam cum rubeo examito, et quartam de examito albo cum floribus depictam, et quintam similiter de examito albo, et sextam de violacio duplicatam cum rubeo examito, quæ est in capella domini abbatis. Item acquisivit duas tunicas cum duabus dalmaticis de examito et violacio, et septem albas cum paruris bonis. Hic similiter abbas concessit et assignavit ad indigentiam et insufficientiam monachorum relevandam et ad vestitus eorum comparationem de manerio de Seynebury annuatim decem marcas. Item ad uberiorem sustentationem fratrum dedit coquinæ conventus de diversis perquisitis cum aliis assignationibus annuatim undecim marcas. Similiter ad refectionem conventus in die anniversarii sui viginti sex

Custody of the abbey during vacancies granted to the convent by the king.

[1] The Charter (which is dated 26 June, 9 Edw. II. 1316) is entered in the register in Harl. 3763, fol. 134. The sum to be paid to the king during vacancies was fixed at the rate of 240 marks for the first four months, and 200 marks for each succeeding period of four months. A confirmation of the grant by Richard II. (16 November, 1379) is found in the same register, fol. 144.

solidos et octo denarios. Item de diversis aliis redditibus, ut patet per rentale eleemosynarii, quinquaginta solidos pauperibus erogandos. Multa et alia fuerunt ejus opera bona, quæ Deo soli bene cognita sunt; sed hæc ad successorum suorum exemplaria ad præsens sufficiunt. Vixit enim post electionem de se factam fere triginta quatuor annis.[1] Tandem in senectute bona feliciter in Christo dormivit quintodecimo kalendas Septembris, anno Domini millesimo tricentesimo sextodecimo, et juxta fontem in navi ecclesiæ honore maximo sepultus est. Pro cujus anima quibuscumque devote Orationem Dominicam cum Salutatione angelica dicentibus, totiens quotiens mille dies indulgentiæ conceduntur.

His death 18 Aug.[2] 1316.

Unde quidem metricus de eo dicit:

Perpetuis annis laudetur vita Johannis,
Qui domui Christi bona plurima contulit isti.[3]

De valde bonis operibus domini Willelmi de Chiritone abbatis istius locis.

Post quem electus est in abbatem tertio kalendas Septembris Willelmus de Chiritone monachus istius domus, qui a domino papa Johanne vicesimo secundo dominica Sexagesimæ Avinoniæ confirmatur. Qui primo acquisivit ecclesiæ huic manerium de Tatlyntone cum suis pertinentiis de domino Waltero de Gloucetur milite, et totam terram Willielmi de Wasthulle quam habuit in Derlinguscote. Item manerium de Wytheley, et terram quæ fuit Nicholai Kyngley[4] de Malculino Musard. Item unum messuagium et duas carucatas terræ cum suis pertinentiis in Baddesey de domino Johanne Wellesley milite quæ quondam fuerunt Wil-

William de Chiriton elected 30 Aug. 1316; confirmed at Avignon, 6 Feb. 1317.

[1] *Multa et alia . . annis*] Om. in Harl. 3763.

[2] 16 Aug.; Cotton Claud. A. viii., cited in Lambeth MS. 589.

[3] These lines are inserted in red ink by the same hand at the foot of the page.

[4] *Kyngley*] in Kyngeleye, Harl.

A.D. 1317-1344. lielmi seneschalli de Evesham, et unum corrodium quod idem Willielmus habere solebat sibi et hæredibus suis ab antiquo de hoc monasterio. Acquisivit etiam redditum tredecim librarum et decem et novem solidorum in Evesham et Baddesey cum pratis et pasturis separabilibus in villis et campis de Evesham, Baddesey, Luttulton et Honyborne, cum omnibus suis proficuis et commoditatibus universis in valle de Evesham, de prædicto domino Johanne de Wellesley. Item unum messuagium et unam carucatam terræ in South-Luttultone, quæ quondam fuerunt Adæ le Boteler, et unum messuagium et unam virgatam terræ quæ fuit Henrici Payn in eadem villaria[1]. Et in North-Luttulton de magistro Johanne Luttultone duodecim acras terræ. Item in Wykowoneforde medietatem unius messuagii, unam virgatam terræ et tertiam partem unius virgatæ terræ, quæ fuerunt Walteri Frislon,[2] cum suis pertinentiis. Item Payneshadlond in Bratfortone, et valet per annum decem solidos. Similiter acquisivit de Waltero de Bello Campo, milite, in Kynwartone unum toftum, quod valet per annum unam marcam, item unum pratum quod valet per annum quadraginta solidos, et etiam redditum ibidem quadraginta solidorum per annum. Item de Johanne Notelin in Ollebarwe duo messuagia cum campis adjacentibus, quæ valent per annum duas marcas; et unum tenementum in Bengeworthe quod fuit Aviciæ de Bamptone, et valet per annum duodecim solidos, et unum tenementum in Evesham de Johanne de Glouceter quod valet per annum viginti quatuor solidos, et aliud tenementum in le Odestret ejusdem villæ, quod fuit Matildis Bole et valet per annum decem solidos. Item iste abbas appropriavit sibi et ecclesiæ huic de Evesham ecclesiam de Leylond, Coventrensis et Lychfeldenis diœcesis, pro perpetuo obtinendam. Item ecclesiam de Ambresley, istius Wygornensis diœcesis, similiter pro per-

[1] *villaria*] villa, Harl. | [2] *Frislon*] Frusselona. Ibid.

petuo obtinendam. Item ecclesiam de Baddeby, Lincolniensis diœcesis,[1] pro perpetuo possidendam. Postea vero iste idem abbas assignavit et concessit priori et conventui istius ecclesiæ prædictam ecclesiam de Ambresley imperpetuum cum omnibus suis juribus et pertinentiis universis, ad ipsorum indigentiæ relevamen, et suam pensionem eis ab antiquo de dicta ecclesia debitam, videlicet tredecim libras annuatim argenti, sine difficultate obtinendam et secundum eorum ordinationem (prout melius viderint) inter ipsos disponendam et expendendam. Eodem modo assignavit et concessit eisdem prædictam ecclesiam de Baddeby cum omnibus juribus et pertinentiis universis, ad eorum similiter indigentiæ relevamen et secundum eorum ordinationem inter ipsos expendendam. De hac autem ecclesia de Baddeby recipit sacrista istius domus annuatim pensionem duarum marcarum, de bursaria domini abbatis. Item iste abbas assignavit et concessit camerario istius monasterii illud messuagium et duas carucatas terræ per ipsum superius acquisitas in Baddesey, quæ quondam fuerunt Willielmi seneschalli, cum tota decima garbarum ad opus conventus, ita quod dictus camerarius reddat conventui singulis annis pro melioratione vestium suorum decem libras argenti; et quod quandocumque tam minuti quam commonachi monasterii istius (a priore vel ab ejus vices gerente obtenta licentia) ibidem comedere voluerint, percipient de cellario et de utraque coquina corrodium ad eos pertinens adeo plene sicut perciperent si in hoc monasterio morarentur et comederent. Similiter concessit officio hostilariæ veterem cameram inter refectorium et aulam hospitum abbatis stantem, ad dilatandam et faciendam aulam et cameram pro viris religiosis advenientibus honestius et decentius quam ante fuerat. Fecit etiam

A.D. 1317-1344.

[1] *diœcesis*] in proprios usus cum omnibus juribus et pertinentibus suis. Add. Harl.

A.D. 1317-1344. nobilem portam abbatiæ in curia versus villam cum voltis, capellis et cameris circumstantibus, honeste desuper kernellatam, imaginibus etiam petrinis beatæ Virginis, sancti Egwini et regum fundatorum nostrorum decenter circumdatam, et unam aliam portam in Bertona versus Merstowam[1] etiam bene desuper kernellatam, et ab illa porta usque ad fluvium Avene abbatiam ex illa parte muro lapideo bene munivit. Item fecit duas portas contiguas in le Smytheye versus pomeria,[2] cum una camera desuper honeste[3] situata. Præterea plures grangias necnon et alias domos valde necessarias infra vallem et extra super maneria magnis sumptibus construxit ac reparavit. Assignavit etiam iste abbas et concessit eleemosynario qui pro tempore fuerit de terris supradictis et per ipsum acquisitis pro distributione pauperum in die anniversarii sui septuaginta solidos, prout patet in instrumento inde confecto et sigillo communi signato; et pro pitantia conventus eodem die triginta solidos; et pro indumentis[4] et sotularibus pauperum duodecim in die sanctæ Katerinæ quadraginta solidos; et pro duobus capellanis celebrantibus pro anima domini Walteri de Glouceter militis, junioris, et Hawysiæ matris suæ imperpetuum sex libras; et pro uno capellano celebrante pro anima dicti abbatis et istius loci conventus imperpetuum septuaginta solidos et octo denarios. Et isti capellani celebrare debent in hac ecclesia Eveshamensi, ut patet in eodem instrumento inde confecto. Iste etiam abbas acquisivit huic ecclesiæ unam casulam cum duabus tunicis ex violacio cum flosculis liliorum croceis supertextam et unam albam valde bonam de opere manuali,[5] et aliam albam viridem cum stellis aureis supertextam. Iste etiam[6] abbas primo inclusit parcum de Schrew-

---

[1] *Merstowam*] villam, Harl. 3763.
[2] *pomeria*] gardina. Ibid.
[3] *honeste*] honestissime. Ibid.
[4] *indumentis*] warniamentis. Ibid.
[5] vocato *Whyppedwerk*. Add. ibid.
[6] *etiam*] enim, MS.

enhulle, ubi seminare fecit quercus et fraxinos et alias arbores. Similiter et apud Evesham in pomerio inferiori versus Hampton, qui postea ad magnam utilitatem ecclesiæ in altum proficientes excrescebant. Et quia herbæ pomeriorum abbatis olim ad officium gardinarii conventus pertinebant, dedit idem abbas ad dictum officium sexaginta solidos per annum ne de herbis aut arboribus ibidem de cætero crescentes se intromittat. A.D. 1344-1345.

Quum autem viginti octo annis suam prudenter rexisset ecclesiam, idus Decembris in pace vitam finivit, anno Domini millesimo [tricentesimo] quadragesimo quarto, et juxta fontem in navi ecclesia jacet humatus: cujus animæ propitietur Deus. Amen. His death 13 Dec. 1344.

De magnificis operibus domini Willielmi Boys abbatis.

Tertia quoque hebdomada post ejus decessum, videlicet kalendas Januarii, electus est concorditer in abbatem Willielmus Boys[1] monachus istius domus, et a papa Clemento sexto dominica in Ramis Palmarum proxima sequente Avinoniæ confirmatur. Reversus itaque Angliam, cum grandi honore atque amore a fratribus monasterii hujus domus suscipitur, et in die Pentecosten sequente est honorifice installatus. Iste abbas vir honorabilis erat atque laudabilis,[2] jocundus, dapsilis atque facetus, sicque[3] per ciborum dapsilitatem et munerum multorum largitionem quæ temporibus opportunis copiose effundebat, magnam sibi amicitiam comparavit tam in curia regis quam alibi. Hic itaque abbas acquisivit in villa de Evesham de Henrico Chestur tria tenementa cum pertinentiis, et triginta septem acras terræ cum tribus acris prati, quæ valent per annum quinquaginta tres solidos et quatuor

Abbot Boys elected 1 Jan. 1345; confirmed 20 March.

Installed 16 May.

[1] *Boys*] de Boy, Harl. 229 and 3763.

[2] *laudabilis*] affabilis, Harl. 229 and 3763.

[3] *sicque*] et. Ibid.

A.D. 1345-1367. denarios. Item de Rogero Porter in eadem villa unum tenementum et sex cotagia. Item de domino Nicholao Porter in eadem tria tenementa cum pertinentiis, et acquisivit de eodem Nicholao officium janitoris abbatiæ hujus, quod ipse Nicholaus habere solebat in feodo. Item acquisivit in eadem villa de diversis hominibus viginti quatuor tenementa, cum pluribus cotagiis et curtilagiis et eorum pertinentiis. Acquisivit etiam de domino de Astun Somurvile in villa de Bengeworthe duas virgatas terræ, quæ valent per annum triginta solidos; et de prædicto domino Nicholao Porter in eadem villa duo tenementa cum quinque cotagiis et eorum aliis pertinentiis, quæ valent per annum viginti solidos; et de domino Johanne Grenehulle capellano in eadem villa unum tenementum cum duobus cotagiis, quæ valent per annum decem solidos; et unum tenementum in eadem quondam Thomæ Eddeby, et valet per annum quinque solidos. Item acquisivit de dicto domino de Astun unam acram terræ cum advocatione ecclesiæ ejusdem Aston; sed de hac acra terræ et advocatione ecclesiæ ecclesia ista diu gaudere non poterat, certis de causis, ut inferius patebit. Item acquisivit de domino Johanne de Edintone nomine Rogeri Blanfrom manerium de Stanley, quod valet per annum tredecim libras sex solidos et octo denarios; sed nec de hoc manerio ecclesia hæc [p. 303.] longanimiter gaudere poterat, sicut in sequentibus clarebit. Acquisivit etiam abbas iste apud Nortone de prædicto Henrico Chestur duas virgatas terræ et unum clausum, quæ valent per annum triginta quinque solidos et quatuor denarios. Item in eadem villa de Galfrido Colemon sex tenementa, tres virgatas terræ et dimidiam, et duas acras terræ et dimidiam, quæ valent per annum quadraginta octo solidos et sex denarios. Item acquisivit apud Kynwartone de Roberto Grene quinque tenementa cum suo clauso et duobus vivariis et uno columbari, et septem acras prati, et quatuor

virgatas terræ et dimidiam, quæ valent per annum ultra reprisam quinquaginta tres solidos et quatuor denarios. Similiter apud Wythley acquisivit unum tenementum et dimidiam virgatam terræ, quondam Willielmi Musard, quæ valent per annum decem solidos. Et de Johanne Musard apud Seynebury quinque tenementa, quatuor virgatas et sex acras terræ et dimidiam cum pertinentibus, et unum clausum, quæ valent per annum quatuor libras et quatuordecim solidos. Et unum messuagium et dimidiam virgatam terræ de Johanna Kocus[1] in eadem villa; et unum clausum vocatum Beventonesplace.[2] Et tres acras terræ quondam Petri Thorubon, quæ valent per annum septendecim solidos et sex denarios. Item in North-Luttultone duo tenementa et duas virgatas terræ, quæ valent per annum octodecim solidos et decem denarios. Insuper apud Donyntone unum tenementum et sex virgatas terræ; et unum cotagium cum una acra terræ et dimidia, quondam Johannis Kyrkeby, et valent per annum quinquaginta quinque solidos et quatuor denarios. Item de Waltero Jefferey[3] unum tenementum cum quatuor cotagiis, et unum messuagium cum quinque virgatis terræ et dimidia; quæ valent per annum quinquaginta tres solidos et quatuor denarios. Similiter apud Stowe quatuor tenementa et tres virgatas terræ, quæ valent per annum quadraginta unum solidos et octo denarios. Item in Newbolt duo tenementa et duas virgatas terræ et dimidiam, quæ valent per annum triginta sex solidos et octo denarios. Item in eadem de Henrico Morehalle unum tenementum et unam carucatam terræ super Stoure, vocatam Heyforduslond, et valent per annum centum solidos. Acquisivit insuper de Rogero Hambury manerium de Admuscote, quod valet per annum viginti marcas. Et de eodem manerium

A.D. 1345-1367.

[1] *Kocus*] Cokes, Harl. 3763.

[2] *Beventonesplace*] Benintonesplace. Ibid.

[3] *Jefferey*] Geffray, Harl.

A.D. 1345-1367. de Tydelmyntone, et valet per annum decem libras. Item de Rogero Graftone manerium de Sodyntone, quod valet per annnm viginti libras. Ac etiam apud Hudecote de Hugone Besyn terras et tenementa de Heyfordesplace, quæ valent per annum quinquaginta tres solidos et quatuor denarios. Insuper apud Bratfortone de Thoma Ywayn unum capitale messuagium et duas carucatas terræ, quæ valent per annum cum pertinentibus,[1] decem libras. Item apud Burton de Philippo Chebbussey[2] unum tenementum et dimidiam virgatam terræ, quæ valent per annum novem solidos. Iste etiam abbas ædificavit apud Baddeby duo nova furna, quæ valent per annum viginti quatuor solidos et octo denarios.[3] Item apud Evesham in Bertona ædificavit dimidiam partem majoris grangiæ, tam in columnis et muris lapideis quam etiam in meremio et aliis pertinentiis. Fecit etiam aulam æstivalem cum parva capella et camera sibi annexa, stantem inter refectorium et magnam cameram abbatis, quæ aula prius stabat in clauso seneschalli. Hic etiam abbas ditavit ecclesiam istam ornamentis pontificalibus, videlicet una bona mitra cum baculo pastorali, annulis, chirothecis, almicio de grisio, cum uno rocheto, cum tunica et dalmatica, cum sandaliis[4] et uno libro pontificali. Emit insuper unam bonam capam de rubeo velvetto cum imaginibus tabernaculatis, et ramusculis foliorum de auro supertextis; et aliam capam albam cum griffonibus, bestiolis et flosculis aurotextis; et duas capas de una secta stragulatas; et unam casulam, dalmaticam, et tunicam cum stolis et manipulis stragulatis; et decem albas cum amictis et paruris diversimode stragulatis; et unam casulam cum pluribus albis ferialibus de eodem panno; et unum tapetum de blodio cum mitris intextis pro sede abbatis ad altare, et alibi. Fecit etiam

[1] *pertinentibus*] tenentibus, MS.

[2] *Chebbussey*] Chebbeseye, Harl. 3763.

[3] *viginti . . . denarios*] xxiii. sol. et iiii^{d}. Ibid.

[4] *sandaliis*] saldaliis, MS.

fieri duas magnas campanas, Mariam scilicet et Egwynum, quas venerabilis pater archiepiscopus Nazarenus chrismate sacro linivit. Acquisivit etiam cum auxilio conventus privilegium papale quod abbas de novo canonice electus sit eo ipso confirmatus, et quod possit benedici in Anglia a quocumque episcopo catholico; quod quum acciderit valet quadringentas libras ad minus. Iste similiter abbas dedit et assignavit officio bursarii conventus septem libras undecim solidos et tres denarios de terris et tenementis per ipsum superius acquisitis in Nortone, Newbolt, Baddesey, Honyborne, et Kynwartone exeuntes, et quinquaginta solidos pro salmonibus de Penwortham, ut idem bursarius reddat et distribuat particulariter unicuique monacho in cursu minutorum minuto certos denarios de dicta summa provenientes, prout in quodam memorato illius ordinationis expressius continetur, ad uberiorem procurationem prædictorum minutorum. Priori vero duplum in sua minutione de dicta summa distribuat. Item ad sustentationem sanitatis sanorum et relevamen imbecillitatis infirmorum, duos dies recreationis prædictis

A.D. 1345-1367. 1354.[1]

---

[1] This date (of the consecration of the bells) is ascertained from the following note in Cotton MS. Nero, D. iii. f. 246:—"Nota de versibus super campanas, et primo

" ' O pater Egwyne, tibi consono nocte dieque!] Will.
" ' Me fugiant digne tonitrus mala fulgura quæque.] Boys
Egwyn. nos
" ' Me sonante, pia succurre virgo Maria!] fieri
" ' Ecclesiæ genti discedant fulgura venti.] fecit.
Maria.
" ' Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Jesus.*
" ' Ave! gloriosa virginum regina,]
" ' Vitis generosa, vitæ medicina.]
Gloriosa.*
" ' Ave Maria! gratia plena, Dominus tecum. Gratia.
" ' Convoco pransuros ad mensam et bibituros.] " Super
" ' Prospera succedant, mala, me resonante recedant.'] campanam ad lavatoria."

" super campanam in honore sancti
" Egwini consecratam, A.D. 1354.
" ' Dompnus Willielmus Boys, ab-
" ' bas, me fieri fecit in honore
" ' sancti Egwyni.

* See p. 100.

A.D. 1345-1367. minutis[1] gratiose addidit et concessit, quum tamen prius nisi tres dies habebant. Hic etiam assignavit ad officium infirmariæ illas duas virgatas terræ in Bengeworthe de domino de Astone perquisitas. Concessit etiam et assignavit singulis monachis istius monasterii qui pro tempore fuerint de misericordia, singulos panes albos, vocatos *treycatur*.[2] Et etiam singulis monachis sanguine minutis dum tamen non fuerint ipso die de misericordia, singulos panes hujusmodi vocatos *treycatur*, de cellario percipiendos in perpetuum, prout in ordinatione illius concessionis plenius continetur. Ratificavit etiam et concessit imperpetuum priori et conventui pro recreatione et solatio eorundem quandam particulam gardini inferioris et pomerii juxta Avonam quæ dicitur Sturdy,[3] cum vivario, herbis et arboribus, et aliis pertinentibus, prout per certas metas limitatur. In hoc enim pomerio solebat postea infirmarius per assensum prioris et conventus, boves et alias bestias imponere; sed quia arbores cum herbis ibidem crescentes conculcabant et comedebant, et alia damna ibidem per illud officium fiebant, prior et conventus solvunt modo eidem officio annuatim decem solidos per magistrum operis ad festum nativitatis sancti Johannis Baptistæ, ne de cætero ibidem bestias imponat aut aliter intromittat quam alii fratres ibidem. Dedit etiam iste abbas et assignavit priori et conventui de maneriis de Admuscote et Tydilmynton ad emendationem cameræ eorum viginti marcas. Præterea ordinavit et assignavit officio custodis capellæ beatæ Mariæ in cryptis quatuor libras de terris et tenementis per ipsum acquisitis, ut supra, in Stowe, Donyntone, Malgarisbury et Seynebury, ad inveniendum unum capellanum idoneum pro animabus abbatum et fratrum defunctorum istius ecclesiæ, ac etiam pro animabus domini Willielmi

[1] *minutis*] fratribus in cursu minutorum. Harl. 3763.

[2] *treycatur*] treyquatre, Harl.

[3] *Sturdy*] Stordy. Ibid.

Stowe et parentum suorum, necnon Odonis et Margeriæ de Hynton, cunctorumque benefactorum in ista ecclesia de Evesham, ad altare sancti Stephani singulis diebus divina celebraturum imperpetuum. Insuper et assignavit officio eleemosynarii octo libras sex solidos et octo denarios de terris et tenementis in villis de Evesham, Bengeworthe et Seynebury exeuntes, ad inveniendum duos capellanos idoneos pro animabus regum Angliæ, abbatum et fratrum defunctorum, ac etiam Johannis Guytyng de Evesham cæterorumque benefactorum, in capella noviter constructa in cœmeterio Eveshamiæ ad portam abbatiæ divina celebraturos imperpetuum. Tandem transactis fere viginti duobus annis cum dimidio, multa ægritudine fatigatus, apud manerium de Ombresley diem suum clausit extremum, octavo idus Junii, die sancto Pentecostes, anno videlicet Domini millesimo tricentesimo sexagesimo septimo, et per venerabilem patrem Lodowycum episcopum Herefordensem duodecimo kalendas Julii in navi hujus ecclesiæ coram imagine gloriosæ Virginis ecclesiasticæ traditur sepulturæ.

A.D. 1345-1367.

Death of abbot Boys, 6 June, 1367.

De operibus Johannis Ombresley abbatis istius [ecclesiæ].

Isti successit Johannes de Ombresley, monachus et cellerarius istius domus, canonice a conventu electus, videlicet quarto nonas Julii proximo tunc sequente; qui statim a venerabili patre Lyncolniensi episcopo quintodecimo kalendas Augusti, virtuti illius privilegii papalis supra nominati a domino papa Urbano quinto indulti, apud Bannebury munus benedictionis suscepit. Deinde kalendas Augusti proximo tunc sequente hic apud Evesham est honorifice installatus.[1] Iste abbas

John de Ombresley elected 4 July, 1367.

Installed 1 Aug.

[1] Qui ibidem xii. annis residens diem suum clausit extremum anno Domini M.CCC.LXXIX. Et quum virtutum præmia merentibus tribui conveniat, expeditque defunctorum gesta laudabilia per scripturas ad ipsorum laudem memoriæ commendare et ad exemplum posteris ut

A.D. 1367-1379. primo acquisivit huic ecclesiæ tria messuagia, sex virgatas terræ, triginta acras prati, duodecim acras bosci, atque redditus viginti solidorum per annum cum pertinentiis, quæ fuerunt quondam Johannis Sodyntone in dominio de Ombresley et imperpetuum sibi et monasterio incorporavit, ad magnam quietem sui et successorum suorum, quamvis illi hoc sæpius attentaverint, nec ad finem perducere potuerint. Pro qua acquisitione, absque aliis expensis, solvit domino regi triginta libras. Et in hac acquisitione habuit Johannes de Rous, armiger, Kyngesley de nobis in comitatu Warwychiæ in eschambium particulare, sub certis modis et formis et sub reversione possibili ad monasterium istud, prout in cartis domini regis plenius continetur. Item acquisivit magnis laboribus et expensis de domino Rogero Chorltone manerium de Heyforde,[1] cum advocatione ecclesiæ ejusdem et aliis pertinentiis suis. Item acquisivit in Evesham unum tenementum quondam Thomæ Astone, et quatuor seldas[2] quondam Janokes in eadem villa, et omnia tenementa quæ fuerunt quondam Johannis Dykun in Bengeworthe. Hic etiam ædificavit de novo unum bonum columbare apud Evesham. Item unam capellam extra portam abbatiæ super imaginem beatæ Virginis, annexam capellæ dictæ vulgariter *charnelhous* cum cæteris fenestris et aliis honestis pertinentiis. Item ædificavit apud Ombresley unam aulam et duas cameras, videlicet unam in parte australi et aliam in parte boreali, et unum stabulum extra inferio-

ipsi per ipsorum lecturas ad similia perpetranda propensius excitentur, hinc est quod bonæ memoriæ frater Johannes de Ombresley, abbas antedictus, dictum monasterium pro tempore quo ei præfuit in spiritualibus et temporalibus sapienter gubernavit et discrete, ac præter diversitates sibi illatas et injuriose non sine magnis laboribus et expensis sustinuit et patienter, ut tunc oportuit, toleravit, diversis bonis tam mobilibus quam immobilibus ditavit atque possessiones ipsius ampliavit, quorum particulares descriptiones in sequentibus inseruntur distincte. Add. Harl. 3763, f. 175 b. See p. 303, *infra*.

[1] *Heyforde*] Eyforde, Harl.

[2] *seldas*] scopas. Ibid.

rem portam ibidem, et minorem grangiam in curia exteriori ibidem. Similiter impetravit a domino rege licentiam includendi trecentas acras terræ et aquæ in manerio de Ombresley et parcum inde facere, ut in literis patentibus domini regis plenius continetur. Similiter apud Uffenam ædificavit exteriorem portam cum camera super eam, et stabulum contiguum eidem. Item apud North-Luttultone ædificavit unam grangiam decimalem. Ædificavit etiam paginam illam claustri[2] contiguam ecclesiæ ubi carolæ fratrum consistunt, tam in muris et fenestris vitreis quam in pavimentis pro dicta pagina,[3] et pro alia versus hostriam sibi annexa. Iste etiam abbas ditavit ecclesiam hanc cum ornamentis subscriptis, scilicet cum uno baculo[4] pastorali pretioso, una cruce processionali cum baculo portabili pro eadem et de eodem metallo, et duobus thuribulis argenteis et deauratis, (de quibus unum majus et aliud minus manuale), duabus naviculis argenteis et deauratis cum cochlearibus pro eisdem de eodem metallo, et uno pari pelveorum argenteorum ad lavandum[5] coram altari. Item acquisivit pro sua capella propria duo paria phialarum argentearum et deauratarum, et duo candelabra de eodem metallo, et unum vas argenteum et deauratum, pro sale imponendo,[6] et unum aquarium pro aqua benedicta cum aspersorio de argento, et unum pacis osculatorium argenteum deauratum et enamellatum, cum una campanella argentea et deaurata. Acquisivit insuper huic ecclesiæ, unum par vestimentorum de albo

A.D. 1367-1379. 1376.[1]

[1] Pat. de anno 50 R. Edw. III. "Quod abbas de Evesham possit "imparcare boscum suum de Lyn- "holte infra manerium suum de "Ambresey in com. Wigorn." Calendarium rotulorum patentium, fol. 1802, p. 192.

[2] *pag . . . claustri*] unam panam claustri. Harl. 3763.

[3] *dicta pagina*] dicto pano (*sic*). Ibid.

[4] The word *annulo* is inserted before *baculo*, but is marked with a sign of erasure.

[5] *ad lavandum*] pro lavatorio. Harl.

[6] *vas . . . imponendo*] scalop pro sale. Ibid.

A.D. 1367-1379. panno aureo, videlicet unam casulam, unam dalmaticam, tres tunicas, unam capam principalem, aliam pro capellano, et duas alias pro cantoribus in choro, unum sedile episcopale cum coopertoriis ipsius, duo frontella pro altari, unum superius et aliud inferius dependentia. Omnia enim hæc ornamenta, tam in vestibus quam in vasis et aliis, de executoribus magistri Willielmi de Linne episcopi Wygorniæ abbas iste acquisivit. Item acquisivit aliud par vestimentorum de blodio velvetto[1] aureo opere enbrowdato cum margaritis, videlicet *peerlus*,[2] et aliis lapidibus bene adornatum, videlicet unam casulam cum duabus tunicis et tribus albis, unam capam pro choro cum stolis et manipulis condecentibus de eadem secta. Acquisivit etiam margaritas, videlicet *peerlus*, ad valorem quinquaginta marcarum pro alia mitra facienda, quas reliquit post se in thesauria. Item concessit et assignavit priori et conventui in relevamen officiorum et supportationem onerum eis incumbentium omnia illa hospitia, tenementa, schoppas, cellaria et solaria cum pertinentiis in civitate Londoniarum quondam Margeriæ Brown,[3] excepto uno principali manso, ut plenius patet in quodam instrumento inde confecto et communi sigillo et sui ipsius et prioris sigillis signato. Pro quibus solvit in tempore suo [4].
Ratificavit etiam et confirmavit, ut in eodem instrumento habetur, redditum viginti marcarum quas prædecessor suus Willielmus Boys priori et conventui concessit et assignavit de maneriis de Admuscote et

[1] "*de blodio velvetto*] de blew velewette. Harl.

[2] *marg. . . . . peerlus*] perrillis, Harl.

[3] Given to the abbey in 1366. "Margeria quæ fuit uxor Thomæ "Brown dedit abbati et conventui "de Evesham quinque messuagia et "triginta et sex shopas cum perti-"nentiis in wardis de la Tour et "Aldgate, London;" 40 Edw. III. Calendarium rotulorum chartarum et inquisitionum ad quod damnum. fol. 1803, p. 336.

[4] Blank in MS.

Tidilmyntone ad emendationem cameræ nostræ. Manerium tamen de Stanley per eundem prædecessorem acquisitum, pro eo quod tempore suo nondum ad manum mortuam pervenerat, Johanni Rows armigero pro ducentis marcis ab hac ecclesia alienavit et vendidit. Item manerium de Baddeby et Newnam et de Hampton ad firmam posuit, forte pro meliori ut infra patebit, propter varietates temporum et annorum. Iste etiam abbas providit pro mensa abbatis sex *chargers*[1] argentea, viginti quatuor discos et totidem salsaria, cum aliis duobus magnis salsariis, et duos discos pro eleemosyna et viginti quatuor cochlearia argentea. Iste etiam abbas istud monasterium pro tempore quo ei præfuit in spiritualibus et temporalibus sapienter gubernavit et discrete, ac præter diversitates sibi illatas injuriose non sine magnis laboribus et expensis sustinuit et patienter, ut tunc oportuit, toleravit. Transactis igitur prælationis suæ xii. annis, relicto monasterio omnibus bonis pleno, tertio kalendas Novembris in hoc monasterio diem suum clausit extremum, anno videlicet Domini millesimo [trecentesimo] septuagesimo nono, et in navi ecclesiæ coram pulpito jacet decenter humatus; cujus animæ propitietur Deus. Amen.

A.D. 1367-1379.

Death of abbot Ombersley, 30 Oct. 1379.[2]

De operibus bonis domini Rogeri Zatton postquam in abbatem electus est. Nam antea plura dignæ memoriæ commendanda operatus est in officio sacristariæ, ut in vestimentis et aliis.

Post cujus Johannis obitum vir bene religiosus Rogerus Zatton, monachus[3] ejusdem monasterii, xii. kalendas Decembris a conventu unanimiter in abbatem

Abbot Zatton erected 20 Nov. 1379.

[1] *chargers*] chagers. Harl. 3763.

[2] The abridged chronicle in Harl. 3763 ends (on f. 176) at the death of this abbot.

[3] *monachus*] et sacrista. Add. Harl. 229, f. 19.

A.D. 1379-1418. eligitur. Deinde a rege receptus, secundum quod eorum volunt privilegia a domino Lincolniensi episcopo apud Londoniam[1] munus benedictionis accepit, ac etiam consequenter in vigilia Natalis Domini in Eveshamensi monasterio honorifice installatur. Iste abbas ædificavit de novo grangiam decimalem de Wykewone juxta vivarium ibidem; postea, processu temporis, magnam grangiam ejusdem curiæ cum bostare magnis sumptibus de novo ædificavit. Similiter incontinenti post hæc et quasi in uno anno ædificari fecit magnam grangiam de Aldynton. Postea dimidiam partem magnæ grangiæ de Evesham in Bertona magnis custubus de novo ædificari fecit. Item ædificavit de novo aulam de Offenham decenter et sumptuose ut patet per visum, cum *le copbord* ibidem adjacente et *le parler* ibidem ex altera parte decenter ornato, ac etiam columbare infra curiam ibidem. Similiter reparavit de novo bostare de Lenchewyk, de Honyborne et de Wyllarsey; postea bostare de Bradwelle, quod per ignem periit cum bobus et aliis jumentis tempore suo. Item reparavit partes tenuræ tenentium suorum apud Offenham et apud Bengheworthe, quæ similiter per ignem perierunt, ac etiam de novo bostare de curia de Benge. Similiter reparari fecit de novo aulam de Baddeby cum capella ibidem. Postquam fecit reparari de novo diversa tenementa de Hampton, et in aliis locis per vallem, ut patet per visum, pro suis tenentibus, magnis sumptibus et expensis. Item ædificari fecit de novo *le maltmylle* de Evesham cum camera et aliis necessariis ibidem. Postea reparavit de novo bis vel ter *le flodzates* de Evesham et Chadbery cum molendinis ibidem et *le zates* cum maximis expensis. Similiter reparavit de novo bis vel ter molendinum de Tatlynton cum *le floodzates* ibidem. Ac etiam fecit de novo caput vivarii de Ombresley vocati *Trylpole* cum molendinis ibidem,

Installed 24 Dec.

[1] *Londoniam*] in hospitio dicti episcopi. Add. Harl. 229.

cum lapidibus sumptuose, ut patet per visum. Similiter fecit ibidem de novo unum columbare et coquinam ibidem; similiter et capellam. Postea fecit de novo maximum arcum pontis Eveshamiæ. Item apposuit manus adjutrices tam in expensis quam in cariagiis ad pavimentum villæ Eveshamiæ. Postquam solvit pro omnibus custubus pavimenti refectorarii E[veshamiæ ?] et illius paginæ juxta idem refectorium. Similiter ædificavit de novo quatuor cotagia juxta portam cœmeterii pro pauperibus inhabitandis et orantibus pro se et pro omnibus fidelibus defunctis. Item campanile de Evesham fuit constructum tempore suo, ad quod sine dubio maximus adjutor et benefactor fuit tam in cariagio lapidum quam in aliis necessariis multis. Postea presbyterium istius loci factum fuit in tempore suo, ad quod gratiosas manus adjutrices apposuit, tam in cariagio lapidum [et] meremii quam ad fenestras, cum adjutorio magistri Roberti More; unde credimus quod ipsi fuerunt causa bonæ consummationis ipsius operis, Deo cooperante, quorum animabus propitietur Deus: Amen. Item re-ædificari fecit de novo unum tenementum apud Wykewone vocatum Hodysplace, pro quo ædificando expendit ad minus viginti marcas. Et hæc de reparationibus et tenementorum de novo ædificationibus in parte, licet non in toto propter tædium legentis. Nunc autem ad alia pietatis ejus opera revertamur. Similiter acquisivit huic ecclesiæ unam mitram bonam et formosam cum *perles* decenter ornatam. Postea acquisivit sex capas cum xxxiiii. albis unius sectæ, et duas alias[1] cum quatuor tunicis fieri fecit. Fecit etiam fieri maximum gradale istius ecclesiæ decenter et sumptuose, quod servit pro abbatibus in choro quum ibi præsentes fuerint. Item sustentabat luminare sancti Johannis Baptistæ, videlicet omni die nativitatis ejus xxiiii. cereos coram altari ejusdem die ac nocte, quem valde dilexit. Similiter sustentabat unum cereum magnum

A.D. 1380-1418.

[1] *alias*] aliis, MS.

A.D. 1380-1418. in capella beatæ Mariæ Virginis, coram altari ejusdem per omne tempus prælatiæ suæ, videlicet ardentem in principalibus festis ejusdem per diem et noctem. Postea sustentabat xxiiii. cereos ardentes, ut supra, in festo apostolorum Petri et Pauli, sicut in die sancti Johannis Baptistæ. Postquam apposuit grandes expensas pro amortizamento terrarum et tenementorum in Evesham, Bengesworthe, Lyttulton, Newbold, Tatlynton, Admescote et Ombresley, ut patet per cartam regiam inde factam. Item expendit multum pro dominio de Stowe, recuperando versus Grene Cornwayle, ut patet per cartam regiam inde factam. Postquam solvit pro confirmatione hundredi de Blakenhurst et aliorum possessionum nostrarum tempore Henrici regis quinti plusquam xxiiii. marcis. Similiter expendit multa circa placitum versus sanctimoniales de Catysby, pro parcella dominii de Badby recuperanda. Postea expulit[1] gratiose[2] et viriliter et magnis expensis Willielmum Cowrteney archiepiscopum Cantuariensem, qui, ut dicebatur, voluit tunc attentare contra privilegia nostra et visitare nos. Item concessit et ratificavit terras et redditus viginti librarum apud Londoniam perquisitas a prædecessore Johanne Ambresley, et eas distribuit sic particulariter, videlicet, coquinæ conventus decem marcas, coquinæ infirmariæ decem marcas et thesaurario pro infirmis decem marcas, prout plenius patet in compositione inde facta. Similiter acquisivit tenementa et terras quondam Blundel de Tatlestrop et dedit officio camerarii, pro quibus ipse camerarius qui pro tempore fuerit distribuet cuilibet monacho istius monasterii, ipso abbate vivente, duodecim denarios et priori duos solidos, et sic faciet omni anno post obitum suum. Et[3] . . . . . Postquam ordinavit et dedit cum consensu totius conventus officio prioratus istius loci, ad relevandam exilitatem illius

[1] *expulit*] expulsit, MS.

[2] *gratiose*] gloriose, Vesp. B. xv. fol. 19.

[3] Two lines have here been altogether erased.

officii, quædam tenementa in le Bruggestrete et Colstret Eveshamiæ quæ quondam fuerunt Agnetis Guytyng. Postea officio sacristariæ quædam tenementa in eadem villa olim vocata Tettebury, pro quibus ipse sacrista qui pro tempore fuerit solvet quolibet anno capellano crucis decem solidos. Item dedit eidem sacristariæ in escambium quatuor acras prati quæ fuerunt quondam Thomæ Ywayns in Bretfarton pro certis redditibus quos solebat recipere in civitate Wygorniæ. Similiter dedit officio magistri capellæ quædam tenementa in villa de Evesham, videlicet in Alto vico versus Ruynhulle in quo olim Willielmus Carnifex inhabitavit, et aliud quod Thomas Astone tenet in Bruggestrete. Item dedit officio hostilarii ad relevandam exilitatem dicti officii quædam tenementa in eadem villa et Lyttulton, ut patet plenius in compositione inde facta. Postquam dedit officio eleemosynarii ad sustentandum presbyterum celebrantem in navi ecclesiæ, videlicet ad altare sancti Thomæ martyris, pro anima domini Willielmi Chyryton abbatis et aliorum, prout in compositione habetur, quoddam tenementum in villa Eveshamiæ olim Aliciæ Smethewyk, in quo Matildis Hawkyslow modo inhabitat, de quo recipit annuatim xxii. solidos, et post ejus decessum ponetur ad voluntatem dicti eleemosynarii qui pro tempore fuerit. Item ordinavit et dedit officio bursarii conventus pro pitantia in die anniversarii domini Nicholai Herford dudum prioris istius loci reversionem tenementi Willielmi Ryche et uxoris suæ in Alto vico Eveshamiæ, ut post obitum eorum ad libitum dicti bursarii ponetur. Similiter constituit et fecit, per assensum totius conventus et maxime ad instantiam Thomæ Newbold tunc cellerarii,[1] quod festum Sanctæ Trinitatis de cætero quasi unum de principalibus festis celebretur. In quo die ordinavit unam pitantiam con- A.D. 1380-1418.

[1] *Thomas Newbold cellerarius*, rubric in marg.

A.D. 1380–1418. ventui distribuendam de certis tenementis in Eveshamia [et] in Bengewŏrthe per eundem cum licentia abbatis acquisitis, videlicet cuilibet monacho unum caponem cum una quarta vini, priori duos capones cum una dimidia lagena vini, abbati vero tres capones cum una lagena vini per manus eleemosynarii distribuendam. Dedit etiam idem abbas officio pitantiarii quoddam tenementum in Eveshamia in le Bruggestrete vocatum Marschalle, ut ipse pitantiarius qui pro tempore fuerit distribuat eodem die Sanctæ Trinitatis cuilibet monacho, excepto abbate, ex redditibus dicti tenementi duodecim denarios, priori duos solidos, per eundem Thomam Newbolde acquisitos.[1] Et tunc ordinavit per assensum sui conventus quod festum sancti Odulphi cum solemni processione celebretur, sicut ante idem festum Sanctæ Trinitatis celebrari solebat. Item dedit bursario conventus omnia tenementa et redditus in villa Eveshamiæ quæ olim fuerunt Thomæ Greyther, quæ se extendunt ad valorem xxxiii. s. iiii. d., pro pitantia habenda in anniversario domini Nicholai Baddesey presbyteri. Postea dedit officio bursarii conventus reversionem tenementi Johannis Sylby, quondam Roberti Comyns, in Eveshamia, pro pitantia magistri Roberti More,[2] in pecunia distribuenda, videlicet cuilibet monacho duodecim denarios et priori duos solidos in die anniversarii sui. Et tunc constituit quod anniversarius dies ejusdem Roberti More fiat in omnibus in conventu prout in die anniversario Wolsini monachi et anachoritæ istius loci fieri consuetum est, præterquam quod conventus non erit in albis, prout plenius habetur in compositione inde facta. Item ordinavit et constituit per assensum sui conventus quod ipse et successores sui solvent omni anno pro fabis et farina centum solidos coquinario

[1] *per . . . acquisitos*] substituted by a later hand for some fewer words erased.

[2] *Magistri Roberti More*, rubric in marg.

conventus, albis fabis in Quadragesima nihilominus ad usum eorum reservatis. Similiter constituit et concessit ut ipse et successores sui solvant annuatim cuilibet monacho ad festum Purificationis beatæ Mariæ ultra numerum vicenarium usque ad numerum sexdecim monachorum et non ultra pro terris dominicis de Baddesey ad conventum olim pertinentibus decem solidos, ac etiam tres carectatas straminis pro lectis monachorum et minutorum ibidem annuatim, videlicet duas carectatas ad festum Annunciationis et unam ad festum Michaelis per manus cellerarii, cariandas de maneriis de Aldynton et Wykwone. Postquam ordinavit quod quilibet confratrum nostrorum a redditione sui servitii absolutus et presbyter ordinatus ante festum Michaelis et liberatus a parva cantaria percipiet solutionem de Leylond plenarie, sicut alii confratres de majori ætate percipere consueverunt. Item constituit cum consensu conventus ut ipse abbas et successores sui reparare debent omnes domos coquinæ conventus et similiter omnes domos ad coquinam infirmarii pertinentes et ambulatorium a camera prioris usque ad sartariam quotiens necesse fuerit, cum omnibus necessariis ad easdem coquinas pertinentibus. Similiter fecit pacem et concordiam inter Thomam comitem Warrwichiæ et nos ad magnum profectum ecclesiæ nostræ (quæ perturbata fuit anteą per longum tempus inter dictum comitem et Johannem Ambresley prædecessorem suum) cum magnis sumptibus. Item apposuit grandes expensas circa placitum apud Northampton pro quodam suo nativo, ut tunc dicebatur, sed in hoc voluntatem suam non obtinuit, consilio[1] suo tunc deficiente propter defectum præsentiæ suæ, atque domino Thomæ Newenham tunc cum omnibus viribus suis adversante. Postea multas expensas sustinuit pro placitis habitis contra Thomam Burdet[2] militem et Nicholaum filium suum, A.D. 1380-1418.

[1] *consilio*] concilio, MS.

[2] *Burdet*] Bredet, Vesp. B. xv. fol. 19 b.

A.D. 1380-1418. videlicet mittendo ultra mare ad dominum regem, qui tunc agebat in partibus Normaniæ, et ad alios duces et dominos Angliæ pro auxilio impetrando; et etiam in placitis vocatis *Oier et terminer* in maximis sumptibus et magnis summis pecuniæ; qui tandem, Deo dante atque aliis amicis mediantibus, victoriam obtinuit de adversariis suis. Unde impignoravit se versus mundum et conventum suum in ccc.lx. libris et ultra, computatis computandis. Iste abbas in conventu suo simplex et rectus et mitis semper apparuit, non nimis mundanus sed valde religiosus, nulli nocens sed omnes diligens et omnibus quantum potuit proficiens, semper Deo devotus. Nam sicut faber ferrarius dum ferrum ignitur super incudem cum malleo percutit, sic ille in contemplatione et orationibus usque in finem perduravit, relinquens post se ad serviendum Deo xxxviii. monachos. Qui quum xxxix. annis et amplius post electionem de se factam vixisset et ecclesiam istam gubernasset, tandem plenus dierum, Deo vocante, ab hac vita instabili ad vitam, ut credimus, transmigravit æternam, in die sancti Grisogoni martyris viii. kalendas Decembris, anno videlicet Domini millesimo cccc° xviii°.

Death of abbot Zatton, 24 Nov. 1418.

APPENDIX.

APPENDIX.

I.

Translation and Miracles of S. Odulph, and Life of S. Wistan.

[Bodl. MS. Rawl. A. 287, ff. 118–123 *b*.]

Incipit descriptio translationis et miraculorum ejusdem [*Odulfi*].

Antiquorum erat studium gesta temporum factaque fortium virorum præclaro stylo commendare, actaque sub oculis sive auribus exhausta memoriæ posterorum tradere. Id sibi honestum aliisque utile videbatur fore. Unde nos eorum industriam imitari[1] cupientes, licet impotes eruditissima talium sequi vestigia, ut indocti pedetentim progredientes, qualiter reliquiæ patroni nostri sanctissimi Odulfi de Stauron Lundoniam asportatæ indeque ad ecclesiam Eoveshamensem honorifice fuerint translatæ, compendioso studuimus stylo posteris intimare.

Accidit enim tempore Kanuti magnifici regis Anglorum quod quidam viri, mira audacia freti, ossa sancti ac Deo dilecti patris nostri Odulfi de Stauron clam auferentes Lundoniam quantocius transferrent. Ea A.D. *c.* 1034.

[1] *imitari*] immitari, MS.

A.D. c. 1034. tempestate extitit quidam episcopus in eadem civitate nomine Ælfwardus, vir strenuissimus et (ut fertur) regis cognatus, qui tunc temporis binas ecclesias regebat, videlicet episcopatum præfatæ urbis abbatiamque Eoveshamensem. Is quum intellexisset reliquias sancti Odulfi in Lundoniam advectas, centum libras[1] vehentibus dedit, sicque inæstimabilem thesaurum gloriose acquisivit. O prædicandam tanti pontificis largifluam bonitatem! Floccipendit terrenæ immensum pondus pecuniæ quatenus patrocinio tam pretiosi advocati frueretur. Quapropter præclarum succedenti sæculo exemplum præbuit, Dei homines magis in suffragiis sanctorum quam in firmissimis ædificiis castellorum confidere debere. Itaque die constituto, quemadmodum consilio decreverat, prælibatus pontifex cum maximo honore multoque comitatu pretiosissimas reliquias ad Eoveshamensem ecclesiam devehi fecit. Cerneres, mirum dictu! in itinere divites pauperesque catervatim affluere, genua flectere, pectora tundere, venerari pro posse, et, ut mos est in talibus, unusquisque per sanctum Dei preces suas exaudiri sperabat. At ubi prope Eoveshamium ventum est occurrit processio festiva, multis clarissimis personis diversis ex partibus advenientibus redimita; resonant lætitiæ cantica, pulsantur classica, omnes in commune attollunt præconiorum jubilamina. Quid plura? Tandem præfatam ecclesiam cum maximo tripudio intrantes, pretiosissimas beati Odulfi reliquias cum cæteris reliquiis sanctorum, quæ plurimæ in eadem ecclesia habentur, honorificentissime collocant, ex illa die ejus solemnitatem annua observatione pridie idus Junii devotissime celebrantes, ad laudem unius veri Dei Qui vivit et regnat per omnia sæcula: Amen.

---

[1] *libras*] marcis, *supra*, p. 83.

De Fretherico episcopo.

Miracula quædam sancti Odulfi ad laudem omnipotentis Dei descripturi, præ cæteris illud videtur intimandum quod Deus per eum antequam de hoc sæculo migraret operari dignatus est. Licet enim descriptor vitæ ipsius ob reverentiam Trajectensis pontificis id tacitum omiserit, nos tamen, quia non parum utile audientibus scimus, indiscussum præteriri non patimur. Tempore igitur prudentissimi Fretherici Trajectensis episcopi contigit beatum Odulfum assistere altari apud Stauron quo tunc temporis erat in Paschali solemnitate, ut divina mysteria (sicut ubique terrarum mos est) matutinali tempore celebraret. Quum ecce! inter canonem juxta altare astitit ei angelus Domini, talia sancto viro libans: "Festina, vir Dei, velocius missam finire, sicque ut astas sacerdotalibus vestimentis indutus, sanctum calicem manibus tenens, ad mare citissimo gradu propera illicque navim invenies quæ te Trajectum recto tramite deducet. Festina; quia nisi citius veneris, Trajectensis pontifex more solito missam solemniter celebrabit, quod si fecerit, judicio divino propter peccatum quod nocte commisit diabolo traditus, confestim miserabiliter projicietur in infernum sepeliendus." Hæc angelo dicente genusque peccati seriatim manifestante, ab aspectu sacerdotis dicto citius evanuit. At sanctus Odulfus quam celerius potuit missarum sacra peragens, mox sicut jussum sibi fuerat, calicem manibus ferens sacerdotalibusque vestimentis indutus, ad mare nemini quicquam dicens concite properabat. Hoc cernens omnis populus Stauronensis eumque amentem credens, mirari, unusquisque alium respicere, quid illud prodigii esset interrogare seque signare cœperunt; sed nullus eorum erat qui alium super hac re edocere sciret. Veniens itaque ad mare piissimus pater Odulfus navem para- A.D. *c.* 830.

A.D. c. 830. tam invenit, in quam secure ascendens, angelo Domini illam sine velo, remis, gubernaculo cæterisque armamentis invisibiliter gubernante, in Trajectense litus illæsus illico appulsus est. Quod idcirco supra quam dici fas sit mirabile est, quare, ut gnari ipsius maris asserunt, sine carbasis vix aliquando biduo triduove remis transmeari potest: verum apud Deum nihil impossibile esse scimus. Sanctus igitur Odulfus ad dominum Frethericum Trajectensem episcopum veniens, invenit eum cum nimia pompa ad missarum solemnia se præparantem. Et jam sandaliis pedes et crura ipsius tegebantur, quum ecce! modesto vultu respiciens, vidit beatum Odulfum sacerdotali infula indutum calicemque manibus tenentem prope assistere; admiransque, "Quid "tu," inquit, "bone Odulfe, tam insperatus et tam in- "opinato modo paratus, tam festinus hac die advenisti?" Cui beatus Odulfus: "Necessitate quadam permaxima "coactus, domine pater, vestram sanctitatem tali modo "expetii." Vocansque episcopum seorsum, visionem angelicam omnemque rei veritatem sibi ex ordine sicut superius prætaxatum est pandit: causam etiam modumque eventus eidem indicare studuit, quod ideo talia pateretur quoniam eadem sanctissima nocte cum quadam sanctimoniali, propria videlicet sorore, peccasset. Id episcopus audiens et ultra quam æstimari possit Dei judicium expavescens, jussit beatum Odulfum Paschalem missam Trajectensi populo solemniter vice sua celebrare. Quod et factum est. Ipse vero episcopus interim infirmitatem simulans, pontificalibus ornamentis redimitus, prope altare residebat. Postea autem condignam pœnitentiam a sancto Odulfo sibi injunctam explens, episcopatum reliquit, decem annis exilium passus omnibusque suis incognitus, beatissimo Odulfo cura pastorali commissa. Et condigne satis, nam quem Deus per angelum suum sic exaltavit, jure ab hominibus honorari meruit. Transactis vero decem annis præfatus pontifex Frethericus, Sancti Spiritus in se gratia

cooperante, simul et apicem pontificatus et tanti ordinis admirandam sanctitatem, ut crebra ipsius miracula testantur, obtinere meruit; præstante Domino nostro Jesu Christo, Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita sæculorum sæcula: Amen. A.D. *c.* 830.

De Editha Anglorum Regina.

Laudabile miraculum per beatum Odulfum a piissimo Domino patratum deducatur in medium. Tempore magnifici ac Deo dilecti regis Æduuardi contigit ut per reginam Editham desiderio sanctorum ductam edictum poneretur in Anglia per plura monasteria quatenus reliquiæ multorum sanctorum apud Glauuorniam coadunarentur, ut die constituta regina illuc veniens pro libito sui quæque optima proprio juri manciparet. Sed quid plura? Pervenit edictum usque ad Eoveshamense monasterium. Commoti igitur dolore omnes habitatores loci, nec tamen præcepto regis et reginæ ullo modo resistere ausi, consilio inito decreverunt magis reliquias sancti Odulfi quam beatissimi patroni sui sancti Ecguuini Glauuorniam transmittere. Quod et factum est. Itaque die constituta adveniente, et rege cum suis optimatibus ut in natalitio Domini die quæ solemnitatis erant exequente, præfata regina quæ jam animo conceperat implere sequenti die actutum satagebat. Accito igitur aurifabro jussit ut singula sanctorum scrinia aperiret, quatenus ex iis quæ intus erant desiderio suo satisfaceret. Hoc postquam de quibusdam sanctis est completum et ad reliquias beati Odulfi sumendas est ventum, statim ut aurifaber feretro sancti manum immisit, mira res! meritum præclari Odulfi per virtutem Dei cupidæ reginæ visum abstulit. Cerneres omnes præsentes turbari, mirari, et quid triste acciderit percunctari. Ipsa denique regina, præ cæteris tristis effecta, quantocius præcepit aurifabro ab incœpto desistere. Tum demum voto se obligavit nunquam A.D. 1043-1066.

A.D. 1043-1066. deinceps contra quemlibet sanctorum vi talia se ausuram si Deus omnipotens meritis sancti Odulfi sibi visum redderet. Addidit insuper donum quod devotissimo animo super beati Odulfi obtulit feretrum, pallium scilicet pretiosum. O admiranda clementia Christi! O prædicanda pietas sancti Odulfi! Mox etenim, ut supplicio votum, voto donum successit, prædicta regina amissum visum recepit. Lætatur rex et heroes cuncti, replentur admiratione universi, divulgatur miraculum coram tot et tantis testibus gloriose patratum et circumquaque dilatatur, reducitur a suis sanctus ac Deo dilectus Odulfus ad propriam sedem Eoveshamium cum reginæ dono ac maximo tripudio. Per omnia benedictus Deus, Qui per sanctos Suos talia operatur miracula, Cui sit honor et gloria per cuncta sæculorum sæcula : Amen.

De feretro sancti Odulfi.

A.D. 1077-1085. Nec minus illud prædicabile videtur quod omnipotens Deus per fidelem servum suum Odulfum operatus esse refertur. Festiva dies sancti Kenelmi servanda erat in crastinum quum ecce abbas Eoveshamii dominus Walterus evocatis duobus fratribus jussit ut cum reliquiis sancti Odulfi honorifice Winchelcumbam peterent, et ibidem circa reliquias sancti religiose pernoctantes, mane facto, populosæ multitudini verbum Dei prædicarent, sicque aliquid adjutorii ad opus ecclesiæ suæ reportarent. Quod mandatum quum fratres perficere maturassent, die solemni, licentia petita, cum feretro beatissimi Odulfi forum petere decreverunt. Advenientes itaque ad feretrum, bajuli ipsius summovere illud pro more tentare cœpere. Sed nequaquam; nam iterum iterumque tentantes vento vires commisere. Accurrunt socii, et, quasi novus quisque alio fortior esset, singuli vires suas experti sunt. Ast omnes erant pares. Quis enim feretrum illud movere

posset quod virtus sancti immobile reddiderat? Tandem custodes sancti intelligentes non esse voluntatis ipsius ut in tali loco portaretur, intentione mutata, post aliquantulum lucri domum repedare festinaverunt. Quum ergo ad reliquias sancti deferendas ventum esset, mirum in modum tam facili motu feretrum ejus sublatum est ut pondus inibi pæne nullum inesse sentirent devehentes. Unde datur intelligi locum Eoveshamensem hunc sanctum dulci affectu amplecti, qui nec ad horam patitur ab hac ecclesia nisi maxima necessitate cogente deesse. Revehitur itaque sanctus Odulfus ad dilectam et electam sibi ecclesiam; narrantur ejus magnifica; gaudent universi talia audientes magnalia; benedicitur Deus solus faciens mirabilia, Qui vivit et regnat per omnia sæcula: Amen. A.D. 1077-1085.

De quodam serviente.

Sed nec illud prætermittendum quod in solemnitate sua felix ac pius Odulfus exequutus est miraculum. Temporibus domini Mauritii abbatis evenit ut quidam serviens præcepto magistri sui in superioribus ecclesiæ locis ascenderet, ut cortinam in honore sancti Odulfi suspensam contra solitum morem ipsa die solemnitatis deponeret, et quemadmodum jussum sibi fuerat ministris sanctæ Ædburgæ eam requirentibus commendaret. Id dum ageret, sicut revera sibi visum fuerat, velut a quodam impulsus vel præcipitatus, ita ultra reliquias et magnum altare super gradus atrociter cecidit ut illum omnes qui præsentes erant extinctum putarent. Obstupuere universi, singuli nomen sancti Odulfi invocare cœpere, quum ecce! vident prædictum servientem quasi de gravi somno illæsum exsurgere et nihil mali habentem in medio eorum cum admiratione cunctorum astare. Tenduntur igitur ad cœlum manus, benedicitur mirabilis Deus Qui in sanctis et per sanctos Suos glorificatur per cuncta sæcula: Amen. A.D. 1096-1122.

Conclusio miraculorum sanctis Odulfi.

Verum quia innumerabilia sunt quæ Deus per beatissimum patrem nostrum sanctum Odulfum operatus est miracula, ponamus nunc metam nostro operi, ne prolixa narratio fastidium ingerat lectori. Quis enim enarrare sufficiat quotiens piissimus Odulfus diversis infirmantium morbis, mentis scilicet et corporis, divinam precibus contulerit medicinam, quam sæpe arenti terræ diu desideratos imbres apud Deum obtinuerit, quotiens cætera expetita pius suffragator quærentibus præstiterit? Oremus igitur benignissimum patronum nostrum sanctum Odulfum, quatenus divinæ pietatis solatium ecclesiæ Dei devotus acceleret cunctisque sibi famulantibus cœleste levamen accommodet, vitia precibus expurget, virtutes inserat, adversitates et pericula repellat, ut liberati ab incommodis temporalibus mereamur quandoque gaudiis interesse cœlestibus, per Eum Qui vivit et regnat per cuncta sæculorum sæcula : Amen.

Expliciunt miracula sancti Odulfi.

Incipiunt acta proborum virorum.

Quoniam vero firmis testibus fulti miracula quædam sanctorum confessorum Ecguuini atque Odulfi aliis qualicunque stilo patefecimus, inter quæ etiam quendam libellum de miraculis gloriosissimæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ, cujus principium est, "Æterna "Dei sapientia," amore ipsius piissimæ dominæ edere compulsi sumus, non ab re fortasse intelligitur si acta proborum hominum per Dei misericordiam in Eoveshamensi monasterio propalata, ubi eadem cœlorum regina cum præfatis confessoribus cæterisque sanctis inibi quiescentibus post Deum dominatur, ad correctionem vitæ eorum memoriæ posterorum præsenti

scripto traduntur. Quæ quia multa sunt, plura omittentes, pauca brevissime perstringere curabimus.

Erat in prætaxato[1] monasterio secretarius quidam, maximæ strenuitatis vir, nomine Ælsius, qui in tantum amore divino flagrabat ut corpus suum jejuniis et orationibus macerans, etiam hibernis noctibus nudis pedibus inter matutinorum solemnia supra frigidam petram jugiter staret. Huic quadam vice inter orationes dormienti demon illudens dorso ejus insiluit, et quasi calcibus eum tundens evigilare præcepit, quem vir probissimus statim apprehendit et de cingulis ecclesiæ illum strictissime ligavit, sed quum quosdam fratres vocasset, reversus cingula nodata reperit, eum vero quem ligaverat non invenit. Rursus alio tempore quum diversas sanctorum memorias cum lumine solito circumlustraret, pro vivis et defunctis jugiter orans, rediens per cœmeterium ecclesiæ, quum in fine precum pro fidelibus defunctis devotissime diceret, "Animæ omnium "fidelium defunctorum requiescant in pace," auditum est per totum cœmeterium ab animabus defunctorum responsum sibi esse, "Amen." Hic pulcherrime exuens hominem posteris exemplum bene vivendi dereliquit.

Mannius autem, præfati monasterii abbas, miræ sanctitatis et probitatis vir, multa mira (Deo sibi revelante) meruit videre. Inter quæ angelicos cantus quadam nocte audiens, quum quid esset exiret cernere, vidit maximam lucem de turri ecclesiæ ascendentem cœlum cum melodia angelica petere. Mane vero de hujusmodi visione quæstione facta, intellexit animam cujusdam advenæ[2] pauperrimi eadem nocte in turri defuncti, angelicis spiritibus eam cum cantu et lumine ducentibus, cœlestia petiisse. Huic abbati quum quadam die unus de præpositis suis quindecim libras obtulisset, centum solidos solummodo, quia de recto lucro erant, recepit, A.D. 1044-1066.

[1] *prætaxato*] prætexato, MS. | [2] *advenæ*] adveni, MS.

A.D. 1044-1066. decem vero libras, de placitis et diversis culpis acquisitas, omnimodis rejecit et respuit. Qui quoniam in omnibus factis suis Deo placere studuit, post bonam vitam a cura pastorali exutus sancto fine ditari meruit.

Fuere etiam in prædicto monasterio tres anachoritæ, Basingus, Ælfwinus, et Wlsius qui septuaginta quinque annis in diversis extitit locis reclusus, Basingus autem septuaginta duobus. Ælfwinus vero tam conspicuos habebat humani generis immicos ut quemadmodum hominum similiter eorum acta dictave dinosceret. Hic multis diebus gravissimum improperium ab hoste antiquo sustinuit, sæpenumero hæc eadem verba reiterante dæmone, " O qualis et quam bonus es monachus, qui " propter unum obolum perdidisti monachatum ! Hei ! " nunc vere, nunc aperte, demonstrata est hypocrisis " tua !" Venerat enim quidam vir bonus ad præfatum reclusum, offerens sibi obolum. Quem quum ille justus nullo modo vellet suscipere, adjuratus est per nomen terribilis Dei quatenus susciperet. Ille vero noluit suscipere, sed tamen propter adjurationem jussit ut obolus super fenestram poneretur. Hac de causa tale opprobrium vir beatus a diabolo perpessus est. Non minus vero improperium ab eodem inimico pertulit causa unius cyathi quem plenum vino juxta præceptum magistri sui biberat.[1] Is idem referre solitus erat quod quotienscumque signa Eoveshamensis ecclesiæ ad canonicas horas pulsarentur, totiens cum tanto tumultu, strepitu ac confuso clamore catervas dæmonum accurrisse, ut putaret omnes circumquaque existentes tam monstrosum sonitum audisse. Adveni-entibus autem dæmonibus supra tectum basilicæ, erat dolendum esse ; auditur namque a spirituali viro illos huc illucque volitare, culpas singulorum cum cachinno et maxima subsannatione denudare, nunc hos extra

[1] *biberat*] liberat, MS., corrected in the margin.

ecclesiam inter servitium Dei voluptuose vagantes, nunc illos intra ecclesiam joco risui[1] vanitatique vacantes proclamare, nomen uniuscujusque cum irrisione edicere, et ut tabulis facta talium imprimantur jubere. Rogo paveant omnes ista audientes, et quicquid alio tempore propria fragilitate deliquerint hora servitii Dei mundare studeant, Deum et sanctos angelos (ante quorum conspectum sunt) offendere et irritare hostesque humani generis lætificare caveant, ne forte (quod absit!) in hoc sæculo gratia Dei careant et in futuro æternæ damnationi subjaceant. "Valde enim," ut ait sanctus Gregorius in Registris, "timendus est hic Dominus "Deus ne in futuro incassum timeatur."[2] Veneranda vero sunt sancta loco, maxime ubi Deus Omnipotens inhabitat, blandus et suavis Eum timentibus, terribilis et metuendus Illum contemnentibus, ubi cœlestes angelorum excubiæ assunt, ubi tales tantæque sanctorum reliquiæ quales quantæque in Eoveshamensi ecclesia conservantur. A.D. 1044-1066.

Relatum est enim nobis ab iis qui viderunt, quod dominus Walterus abbas ejusdem ecclesiæ, triduano patrato jejunio, consilio venerandi archiepiscopi domini Lanfranci, reliquias sanctorum in præfato monasterio quiescentium scrutatus est, et inter septem psalmos letaniasque omnes de quibus dubium erat igne probavit, inter quæ illud oppido mirum contigit quod reliquias sancti Credani abbatis prædicti cœnobii sanctique Wistani non solum comburere verum nec attingere quidem furens ignis valuit. Superadditur autem miraculum miraculo, quod quum prænominatus abbas testam capitis sancti Wistani deportaret, casu de manibus ejus subito in terram cecidit, tantumque rivum sudoris emisit quantum aliquis virorum quolibet acci- A.D. 1077-1085.

[1] *risui*] risu, MS.

[2] See Greg. "Registrum Epistolarum," lib. xi. ep. 30, and lib. xiii. ep. 32 (Opp. vol. ii. coll. 1114, 1240), where the same thought is found, expressed, however, in different words.

A.D. 1077-1085. dente de se emittere posset. Unde datur intelligi quanti apud Deum sint meriti qui tantis apud homines clarescunt miraculis. Nam quemadmodum a veracibus testibus declaratum est, sanctus Credanus venerandus Eoveshamensis abbas cum pretioso miraculo de tumulo suo translatus est. Prius nempe abbati tunc temporis sæpius per visum revelatum est, ut reliquias sancti Credani de terra sublevans in feretro honorifice collocaret. Postmodum vero secundum signum ante prædictum, processione festiva ad sepulchrum illius adveniente, invenerunt reliquias ejus in medio duarum personarum positas velut aurum purissimum coram oculis cunctorum resplendentes. Quo signo perterriti omnes cum maxima devotione et reverentia honorifico feretro eas collocantes signaque pulsantes, cum tripudio et altisonis laudibus venerabiliter in ecclesiam transtulerunt.

De quodam miraculo perpetrato in eadem ecclesia per beatum Andream apostolum.

A.D. 1066-1077. Operæ pretium vero videtur ut ad laudem gloriosi et piissimi Andreæ apostoli, qui ab omni sancta ecclesia mitissimus sanctorum prædicatur, adhuc unum describere studeamus miraculum quod in præfata ecclesia proculdubio constat esse patratum. Tempore namque Ægelwii abbatis erat in eadem ecclesia clericus quidam vocabulo Ægelricus, cognomine Quintinus, ætate quidem juvenis, moribus lubricus, et ad omnia corporis desideria proclivus. Is tamen valde sanctum Andream apostolum diligebat, ac pro ejus amore ante suum altare septem psalmos quotidie decantabat. Accidit autem ut gravissima infirmitate interceptus ad mortem usque propinquaret. Quum itaque vi languoris prægravatus loquelam amisset, vidit aperte (ut ipse postmodum retulit) turbam dæmonum intrantem in domum in qua æger jacebat tanta condensitate ut nullus omnino superesset locus qui non eorum multi-

tudine fuisset superinfusus. Quid igitur? Cerneres, si adesses, miserum pallescere, tremere, et, quod est gravius morte, inimicos suos stantes velle fugere nec posse. Quum ecce! subito respectu misericordissimi Dei, advenit pissimus ac mitissimus sanctus Andreas apostolus, maxima cum luce apparens, et cum baculo quem gestabat omnem turbam dæmonum dicto citius de domo flagellando ejecit, sicque sereno vultu servum suum intuitus, non solum vocem verum etiam vitam sibi ad horam concessit. Rediens ergo æger superasque auras suspirando attrahens, mox confessorem venire rogat cui omnia peccata sua confitens, munimine sacri olei ac Corporis Christi et intercessione beati Andreæ apostoli (ut credimus) circumseptus, vita migravit post triduum, vita æterna,[1] Christo miserante, donatus, Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum: Amen. A.D. 1066-1077.

Incipit prologus in vitam sancti Wistani.

Quum reges Daciæ dilexerint cœnobium Eoveshamense, in tantum dilexerunt illud quod fundamentum et exordium monasticæ observationis primitus ab eodem cœnobio ad regni sui honorem et sanctificationem assumpserunt, et apud Odeneseiam primitias religionis Daciæ monachos Eoveshamenses constituerunt; quod monasterium Daciæ usque in hodiernum diem extat totius Daciæ religionis norma et sanctæ conversationis exemplum et forma. Canutus etiam rex Danorum adeptus regnum Angliæ inter cætera bona quæ ecclesiæ Eveshamensi contulit (veluti Bradewelle, Baddebi, Neueham, quas eidem ecclesiæ donavit) audiens et intelligens quod beatus martyr Wistanus de prosapia (immo hæres et suc-

[1] *vita æterna*] vitæ æternæ, MS.

cessor licet non proximus) fuerit regis Kenredi prædictæ ecclesiæ patroni, eundem gloriosum martyrem veluti ejusdem ecclesiæ advocatum, ut in ecclesia majori et digniori celebrior et honorabilior ejusdem martyris haberetur memoria, Eovesham de Rependune fecit transferri. Merito ergo ipsius ecclesiæ habitatoribus quam idem martyr inhabitare dignatus est ejusdem martyris vita, passionis causa, et miracula sine vitio et plenius stylo commendanda[1] fuerunt reservata. Quamobrem quum fratres mihi obnixe supplicarent ut prædicta in ejusdem martyris depositione legenda eis sine solœcismo et alio vitio (quod prius factum non fuerat) scriberem, tam eorum precibus devictus quam martyris devotione provocatus, per obedientiam opus mihi injunctum faciendum suscepi, et per beati martyris merita ad finem, licet insufficienter, perduxi.

Explicit prologus in vitam sancti Wistani regis et martyris.

Incipit tractatus de vita ejusdem et miraculis.[2]

A.D. 850. [Flor. Worc.] Sanctissimus et eximius[3] Christi martyr Wistanus regali ex prosapia extitit oriundus, piissimo rege Wimundo et Elfleda regina parentibus progenitus. Qui dum puer extitit quam bonæ indolis fuerit quantisque pietatis indiciis scintillaverit,[4] quum annos pubertatis attigit bonis actibus comprobavit. Nondum enim major effectus, patre ejus de ergastulo carnis exeunte et (quantum humanæ rationi datur intelligi)

[1] *commendanda.*] Altered in the MS. from *commendata.*

[2] After the word *miraculis* a line has been erased, which appears to have run as follows: "editus a "Thoma priore Eveshamiæ." It is evident, however, from the notice of the Life at p. 27, *supra*, that the authorship of the tract does really belong to him. The mention of archbishop Baldwin at p. 334 proves that it was not written by prior Dominic.

[3] *eximius*] exhimius, MS.

[4] *scintillaverit*] cintillaverit, MS.

secundum vitæ meritum de hac luce migrante ad Dominum, totius regni ac paternarum facultatum unicus et verus relictus est hæres. Igitur ecclesiarum prælati et regni magnates totiusque provinciæ clerus et populus a civitatibus castellis et vicis quasi homo unus exeuntes, ad beatum Wistanum, tanquam dominum suum naturalem et regni hæredem legitimum, ut eum in regem sublimarent unanimiter venerunt. Beatissimus vero Wistanus martyr, cujus cor a pueritia Dominus illuminaverat et cæcitatem tenebrarum harum et illecebras mundanæ fallaciæ ab eo repulerat, malens cœlestis hæreditatis cohæres[1] fieri quam hæreditati perituræ adhærere, exemplum Domini secutus imperia terrena respuit, commutans ea pro cœlesti hæreditate. Quum enim prælatorum sit studium magis amari quam timeri, sciens tamen adolescens[2] discretissimus principum dici proprium magis timeri quam amari, ut pius et mitis amari cupiens qui regni jura regebat reginæ matri et regni proceribus qui timerentur regni commisit habenas. Nec tamen juri hæreditario renuntiavit donec de rege sibi substituendo Dominus aliter provideret. O adolescentem[3] ineffabilem! qui regiam dignitatem recusavit, et tamen populum suum sine regimine relinquere noluit, sed ita se et factum suum in casu instanti temperavit ut et sui ipsius per se ipsum curiose curam gereret et per alios curiæ suæ curas absque crudelitate curaret. Regno itaque de consensu cleri et populi in pace stabilito, pacis persecutor et discordiæ amator, inimicus humani generis, tantæ pacis tranquillitati[4] invidens, inter magnates regni maximum, Brifardum videlicet consulem, tantæ quietis turbatorem suscitavit. Idem namque Britfardus videns regnum non rectore sed regis nomine destitutum, ut domino suo in regno vel viventi substitueretur vel mortuo succederet sive A.D. 850.

[1] *cohæres*] choeres, MS.
[2] *adolescens*] adholescens, MS.
[3] *adolescentem*] adholescentem, MS.
[4] *tranquillitati*] tranquillitatis, MS.

A.D. 850. juste sive injuste operam omnimodam dare cœpit. Et quia ad culmen tantæ dignitatis jure successionis,[1] licet beati Wistani cognatus existeret, attingere non potuit, ut id tamen quibuscumque modis efficeret varias discurrit ad artes.[2] Cupiditate itaque regnandi succensus[3] Brifardus cæco etiam amore reginæ accenditur, ut si ad ejus matrimonium posset attingere sic per eam regni gubernacula adeptus facilius regis nomen adipisceretur.[4] Viros ergo beato Wistano fidelissimos et reginæ amicissimos, ut per eos facilius animum reginæ ad ejus consensum inclinaret, videlicet Wibaldum, Man et Edulfum, fraudis tamen conceptæ nescios, sub his verbis Brifurdus ad reginam mittere curavit:—"Acquiescat consiliis meis et viro magnæ " nobilitatis regina, et ducam eam uxorem ut potes- " tate mea dignitati suæ conjuncta tutius et melius " regni jura tueatur." Illa vero verborum mandati primæ faciei intendens, non in eis fraudem latentem attendens, juris etiam ignara et canonicorum impedimentorum nescia, ut sæpe dicti Brifardi auxilio regnum filii sui fortius tueretur, animum quasi ejus petitionibus inclinavit, non tamen hoc palam edixit, sed donec super his cum filio suo et proceribus ejus consilium habuisset responsionem distulit. Beatus itaque Wistanus super his requisitus, Spiritus Sancti gratia edoctus, tale matri suæ fertur dedisse consultationis responsum:—"Mater mea carissima, quæ me in utero baju- " lasti et cum dolore peperisti, pater meus carnalis " rex Wimundus te uxorem habuit, qui me ad " regnum terrenum ex te generavit et mortuus " est. Nunc autem Brifardus, similiter moriturus, " cognatus meus et compater tuus qui me de sacro

---

[1] *successionis*] suscessionis, MS.

[2] "... decurrit ad artes." Ovid. Ars Am. ii. 89. Rem. Am. 287.

[3] *succensus*] succenssus, MS.

[4] *adipisceretur*] adhipisceretur, MS.

" fonte baptismatis suscipiens ad regnum cœleste re- A.D. 850.
" generavit, petit in uxorem. Sed quæ patrem meum
" carnalem habuisti maritum ut patri meo spirituali
" vel prioris viri cognato quoquo pacto jugo conju-
" gali jungaris, Novi Testamenti traditiones et sacro-
" rum canonum sanctiones non permittunt.[1] Acqui-
" esce igitur mater mea consiliis meis, et sponsum
" tibi jam non morituram tradam." At illa, "Fili
" mi, est quod credere possim?" Et ipse inclinans matri suæ dixit, " Quicumque nubunt Christo, acci-
" pientes Ipsum sponsum, perpetua dote ditantur in
" regno cœlorum." Et illa, "Si ita est, impleatur sermo
" quem dixisti, ut Britfardo vel alii morituro non nu-
" bam." Jam enim prius fide imbecilli de conjugio cogitaverat erga affinem qui compater ejus erat, sed Wistanus Deo devotus a genitrice hujus immunditiæ fomitem, Deo adjuvante, compescuit. De matris igitur continentia spe certissima concepta, accersitis prædictis nuntiis beatus Wistanus matrimonii impedimenta eis revelavit, et per eosdem Britfardo renuntiavit ipsum commatrem suam et cognati uxorem non ducturum. Nuntii, vero, veritate cognita, non tantum mandatum beati Wistani Brifardo qui eos miserat simpliciter retulerunt, sed etiam pœnitentia ducti quod pro tali matrimonio intercesserant, ne reginam amodo super illicito matrimonio solicitaret Britfardo constantissime persuaserunt. Brifardus itaque spe sua fraudulenta deceptus, videns sibi illicita connubia contrahere non licere, domino suo beato Wistano impediente, conatus est de morte ipsius tractare, ut eo de medio sublato propositum suum sceleratum ad finem perducat nefandissimum. Sed et hæc nefaria spes fefellit dominum suum Brifardum, sicut gestorum subsequens eventus compro-

[1] "Si quis commatrem spiritualem | "sit." Decreta Gregorii I. Opera,
"duxerit in conjugium, anathema | fol. Par. 1705, vol. ii. col. 1293.

A.D. 850. bavit. Servus itaque peccati Brifardus furore tyrannico accensus, crimen læsæ majestatis incurrere non veritus, subdole et sub voce agnina, fraude tamen serpentina, dominum suum verbis pacificis sed cogitationibus fraudulentis ad colloquium supplicatorie ut ipsum dolose perimeret invitavit. Beatus vero Wistanus, simplicitatis ut erat columbinæ, secutus beatum Job quasi cum servo judicium subire non recusans, Brifardum etiam ab errore viæ suæ revocare intendens sed fraudem viperinam in corde ipsius latentem non attendens, ad colloquium se venturum pro bono pacis promisit. Et factum est quum[1] tempus collocutionis advenisset, apud locum qui a die collocutionis usque ad diem hanc Wistanestowe nuncupatur convenerunt. Brifardus itaque furibunda nequitia agitatus, videns dominum suum, ut moris est principum, in multitudine magna, inermi tamen et fraudis nescia, ad colloquium venisse, cogitabat qualiter dominum suum seorsum a turba dolo teneret ut occideret; timebat enim plebem. Sed recogitabat quod si principem prius percussisset, milites ut acephalos non timeret. Venerant enim Brifardus et qui cum eo erant contra formam prolocutam, clanculo tamen, armati contra inermes,[2] præmuniti contra incautos, ad bellum parati contra improvisos. Illis igitur in unum convenientibus, dominum suum sicut filiolum, ut moris erat, ad pacis osculum invitavit seorsum, dicens, "Veni, et in pace sancta osculum da "mihi, filiole mi." Ac ipse pacis amator accedens ad eum ait, "In nomine sanctæ pacis quæ est Deus "osculor te, ut in Ejusdem nomine osculer a te." Brifardus vero nec domino terreno parcens nec veritus cœlestem, deosculans eum extraxit gladium quem sub latere suo condiderat, et caput domini sui quassando cum capulo letale vulnus in cono ejus inflixit. Et quidam de circumstantibus qui cum Brifardo venerat

Job xxxi. 13.

[1] *quum*] dum, MS. | [2] *inermes*] inhermes, MS.

non nuda manu alapam almo martyri dedit, sed A.D. 850.
mucrone corpus ejus perforavit. Supradictos autem tres nuntios, eo quod post veritatem agnitam semper beato martyri veritatis assertori ut vero domino veritatis imitatores adhæsissent, detestabiles ministri ejusdem Brifardi parili morte, videlicet gladio, interemerunt; sicque nutu divino factum est ut qui testes causæ martyrii extiterant testes quoque passionis efficerentur. Quem igitur iste martyr inclitus in causa martyrii nisi beatum Johannem Baptistam imitatus est, nisi quod ipse ut illicitum matrimonium dirimeretur operam dedit, iste vero ne nefarium conjugium contraheretur impedivit? Et quem iste sceleratus[1] Brifardus in crimine læsæ majestatis[2] nisi proditorem Judam est secutus, ad sceleris[3] atrocitatem et cumulum damnationis suæ addens quod ille Dominum osculo tantum trądidit aliis perimendum, iste vero dominum deosculando propria manu interemit? Quare pro tam enormi scelere[3] divino judicio percussus, statim amens effectus est; et sic nec ad reginæ matrimonium attingere nec ad regiam dignitatem sublimari a Domino permissus est. Passus est autem iste sanctus martyr kalendas Junii, et pretiosum corpus terræ relinquens gloriosam animam cœlo intulit. Verum illius martyrio cœlestia non defuere miracula. Nam de loco in quo innocenter occisus est columna lucis usque ad cœlum porrecta, omnibus incolis loci illius apparens, per triginta dies stabat perspicua. Delatum est autem gloriosum Christi athletæ corpus ab iis qui tunc præsentes aderant, ad monasterium de Rependune, bonæ famæ et religionis præclaræ, et ibidem in mausoleo avi sui regis Wiglavi condigno honore et summa reverentia est humatum. Nec multo post specialis filius et martyr Regis superni ad specialem filiam Romanæ

---

[1] *sceleratus*] celeratus, MS.
[2] *majestatis*] magestatis, MS.
[3] *sceleris . . . scelere*] celeris . . . celere, MS.

A.D. 850. ecclesiæ, ecclesiam videlicet Eveshamensem, divina disponente potentia, est translatus, ut locum quem Kenredus rex regia potestate, ut summus pontifex testatur, regiæ libertati donavit ejusdem regis consanguineus beatus Wistanus, ut alter quodammodo substitutus patronus, regia potestate protegeret et martyris præsentia sanctificaret. In omnibus his locis pro ejus amore innumera fiunt miracula a Domino Qui in certamine illum fecit victorem: ad Sui Ipsius honorem Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit vita sancti Wistani.

Incipiunt miracula ejusdem.

De capillis de capite sancti Wistani abscissis[1] *annuatim crescentibus apud Wistanestowue, in die natalis sui.*

Quum ad petitionem fratrum vitam gloriosi martyris Wistani in ejus depositione legendam descripsissem, et eam reverendo patri nostro Cantuariensi archiepiscopo corrigendam legissem, quamvis eam commendando approbasset, corripuit me tamen super hoc, quod eidem tractatui miraculum de capillis annuatim in die passionis suæ in loco ubi occubuit, videlicet apud Wistanestowe, crescentibus non interseruerim. Ego vero tanti patris et clerici tam profundi pectoris correptionem pro correctione et commonitione amplectens, verbis minus compositis, stilo licet rudi, præfatum miraculum in hunc modum commendavi. Igitur quamvis divina potentia quasi visibilem et palpabilem annuatim in die natalis beati Wistani apud Wistonestowe in capillis ibidem crescentibus se exhibeat, tamen quia "non cuivis hominum contigit adire Corinthum,"[2]

[1] *abscissis*] abscisis, MS.

[2] *adire Corinthum*] adhire Corintum, MS. Horat. Epistt. i. 17.

saltem apud Wistanestowe in die natalis ejusdem martyris non occurrentibus nec tantum miraculum videntibus nec palpantibus, ad devotionis erga eundem martyrem augmentationem et fidei corroborationem scribo profuturum, ut vere de eis dici possit, "beati qui non viderunt et crediderunt." Quum itaque beatus Wistanus in campo, sicut moris est principum ad colloquium convenire, gladio impiissimi Brifardi (ut in vita ipsius plenius scripsi) occubuisset, ejus martyrio, ut dicit venerabilis Beda presbyter, "cœlestia non defuere miracula."[1] Nam de loco in quo innocenter peremptus est columna lucis usque ad cœlum porrecta, omnibus ejusdem loci incolis per triginta dies perspicua stabat. Sed miranda mirandis succedunt. Nam, recedente lumine, eidem loco cœlestia adhuc non desunt miracula. Omni enim anno per unam horam illius diei qua gladiis impiorum occubuit, in eodem loco ubi columna lucis apparuit capilli, quales videntur in capite hominum, oriuntur; ut, per capillos a capite ejusdem adolescentis[2] avulsos, in eodem loco effusos et dispersos, qui a fidelibus tunc ibi præsentibus colligi non poterant, adhuc tamen ibidem permanentes et annuatim crescentes, veridica Salvatoris approbetur sententia qua dicitur, "quia capillus de capite vestro non peribit." Et quum multi martyres capitis abscissione[3] martyrium compleverint, iste non abscisso[3] capite quod regia corona redimiri renuit, sed tantum cono capitis quassato in modum regiæ coronæ victor occubuit, ut tunc perpetua corona ostendatur honorari qui temporali corona noluit sublimari, quum revera per coronæ capitis quassationem sit in cœlo coronatus,

A.D. 850.

St. John xx. 29.

St. Luke xxi. 18.

---

[1] These words are not quoted from Bede (who died more than a century before Wistan's murder), but from Florence of Worcester, *sub anno* 850.

[2] *adolescentis*] adholescentis, MS.

[3] *abscissione . . . abscisso*] abscisione . . . absciso, MS.

quamvis temporali regno sit privatus. Nec impossibile alicui videatur si omnipotens Deus qui totum corpus hominis de terra plasmavit, capillos, qui minima pars sunt hominis, de terra faciat oriri. Hoc ideo dixerim quia quum bonæ memoriæ venerabilis pater noster Baldwinus Cantuariensis archiepiscopus super his vellet
A.D. 1187-1189. certificari, quodam tempore, instante die natalis ejusdem martyris, misit illuc viros religiosos et fide dignos, videlicet dominum Paulum abbatem Leicestriæ et dominum Baldwinum priorem de Kirkeby consanguineum ejusdem archiepiscopi, qui locum illum per triduum cum jejuniis et orationibus diligenter observarent, et quibus divinum mererentur videre miraculum tempus et horam expectarent. Ipsi vero injunctam sibi legationem devotissime complentes, cum immensis agminibus hominum sibi astantibus per spatium unius horæ diei passionis suæ in eodem loco, circa capellam quæ ibi sita est, inter herbam viridem, capillos quasi hominis, quos manibus suis palpaverunt et ore osculabantur, videre meruerunt; et iterum post modicum nihil in eodem loco nisi solam herbam viderunt. Illi flentes præ gaudio, voces tollentes ad sidera, Dei in martyre suo collaudaverunt magnalia. Et, recedentibus capillis, statim eadem hora regressi sunt Cantuariam, et invenerunt patrem suum qui eos miserat et multos fratres cum eo congregatos, et narraverunt eis qualiter cognoverunt Dei martyrem in ortu capillorum. Et ipsi Deo gratias agentes dixerunt ad invicem, "Quia magnus "est Dominus et magna virtus Ejus, et mirabilium "Ejus non est numerus," simul cum martyre suo Ipsum collaudantes Qui in sanctis suis semper est gloriosus; Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum; Amen.

Item qualiter reliquiæ sancti Wistani, in ignem missæ illæsæ sint conservatæ, et qualiter testa capitis ab igne extracta cadens in terram sudorem emiserit.

QUIA juxta veridicam Salvatoris sententiam "non "potest civitas abscondi supra montem posita," egregius Dei martyr Wistanus ad monasterium Eveshamense translatus, ut verus ejusdem ecclesiæ advocatus se mirabiliter ostendere dignatus est, Domino pro eo ibidem miraculose operante. Quum enim Walterus abbas, qui primus Francigenarum ecclesiæ præfuit Eveshamensi, multas sanctorum reliquias in eadem ecclesia invenisset quæ apud Anglicos cum summo honore et reverentia venerabantur, intra se admirabatur quomodo gens de tot sanctorum virorum prosapia orta ab ipsis Francigenis esset debellata et eis subjugata. Et quum, minus diligens veritatis perscrutator, hujus rei rationem non inveniret, nesciens quia filii non ambulaverunt in viis Domini sicut ambulaverunt patres eorum, et ideo invenerunt eos mala in extremo tempore, cœpit de prædictarum reliquiarum sanctitate dubitare, et a fide conversus ad probationem, (non intelligens apostolum qui dicit, Fides habet meritum cui humana ratio non præbet experimentum,) prædictarum reliquiarum sanctitatem igne probandam magis quam pie credendam decrevit, ad erroris sui velamen et excusationem consilium domini Lanfranci tunc temporis Cantuariensis archiepiscopi prætendens, et non attendens quod generatio prava et perversa signum quærit. Tamen ne Anglicorum agitatus invidia hæc agere videretur, et quia timor Domini super omnes est, triduanum fratribus indixit jejunium, additis orationum suffragiis, ut Deus per ignem temporalem eis ostenderet quæ reliquiæ ab igne perpetuo liberari et inter homines sanctificari mererentur. Igitur inter septem Psalmorum pœniten-

A.D. *c.* 1077. St. Matt. v. 14.

[Gloss on Heb. xi. 1, 2?]

A.D. c. 1077. tialium et letaniarum decantationem reliquias beati Wistani martyris de quarum sanctitate dubitabat in ignem copiosum immisit. Sed omnipotens Deus, merita gloriosi martyris sui attendens et vota orantium fratrum ut Deus patronum suum illæsum conservaret, ex alto prospectans, sicut quondam tres pueros infornace Chaldæa, ita martyrem suum non tantum ne igne combureretur conservavit, sed etiam flammis divisis adeo a calore ferventis ignis (sicut qui aderant testati sunt) illæsum et intactum permanere voluit, quod nec color in ossibus mutatus est. (Hoc etiam et [A.D. 1207.] nos postea oculis nostris vidimus quando, per casum turris ecclesiæ Eveshamensis feretro ejusdem martyris confracto, easdem reliquias in aliud feretrum transtulimus. In quo etiam casu testam capitis ejusdem martyris (quæ seorsum ab aliis ossibus sudario involuta erat reposita, sicut et modo est) vidimus quassatam. Quod audientes canonici de Rependune devotissime et obnixe preces precibus adjicientes et reverentissime instantes, intuitu caritatis nobis supplicarunt ut aliquam portionem gloriosi martyris et patroni nostri et sui eis impertiremur. Nos vero, attendentes eorum devotionem et quia ab eis ad nos fuerat translatus, ipsis per venerabilem patrem nostrum abbatem Randulfum quandam parvam portionem testæ confractæ capitis et quoddam os de ejusdem martyris sanctissimis brachiis cum summa reverentia transmisimus. Quibus reliquiis super margaritas desideratis, convocatis quibuscumque poterant de compatriotis suis, prior et canonici ferme per unum miliare extra ecclesiam suam cum solemni processione et summa devotione et debita veneratione in obviam [1] procedentes, cum gaudio et fletu eas deosculando susceperunt, et non in mausoleo avi sui, sicut prius, sed in loco digniori cultiori et honestiori pro posse suo colloca-

[1] *obviam*] oviam, MS.

verunt. His per digressionem ad futurorum notitiam dictis, redeamus ad beati martyris manifestationem unde digressi sumus.) Igitur postquam ossa beati martyris ab igne illæsa inventa sunt, incredulos timor invasit; credentes autem et martyrem diligentes gaudium et exultatio repleverunt. Enimvero ad credentium gaudium implendum, incredulorum vero errorem revocandum, superadditur miraculum miraculo. Quum enim præfatus abbas, tanti miraculi novitate perterritus, tremulis manibus testam capitis gloriosi martyris ab igne ad locum pristinum deportaret, casu de manibus ejus subito in terram cecidit, tantumque rivum sudoris emisit quantum aliquis virorum quolibet accidenti de se emittere posset. Quo viso miraculo omnes manus levant, genua flectunt, voces tollunt ad sidera Dei laudantes magnalia, et sanctum caput cum cæteris membris usque ad feretrum ad hoc deputatum cum laudibus et canticis detulerunt. Ecce caput illud! quod post tot annos mortificationis membrorum sudorem emittit, cujus capilli adhuc crescunt, cujus coni quassationis locum lumen cœleste circumdedit, sicut venerabilis Beda presbyter testatur.[1] Attollamus itaque cum eodem venerabili Beda presbytero in ipso reverendo patrono nostro Dei magnalia, Qui per sanctos Suos talia operari dignatus est: Qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum; Amen.

A.D. *c.* 1077.

[1] Flor. Worc., *sub anno* 850; see p. 333, note 1.

APPENDIX.

II.

Continuation of the History of the Abbots to the time of the Dissolution.

[Cotton, Vespasian, B. xv. f. 19 b.]

A.D. 1418-1460. Secunda post hæc hebdomada, *i.e.*, 8 idus Decembris, electus est Ricardus Bromisgrove, tunc infirmarius istius loci, et ab episcopo Bangoriensi, tunc cancellario Oxoniæ, munus benedictionis accepit.[1] Hic ordinavit ut unoquoque anno in die Pentecostes quilibet fratrum tam præsens quam absens, sacerdos et non sacerdotio functus, perciperet viginti denarios, et insuper unam aucam vel caponem cum una quarta vini, et prior duplum solutionis, videlicet 3 sol. 4d. et duos capones vel aucas cum duobus quartis vini. Præfuit iste abbas annis 17: obiit 10 Maii, anno Domini 1435.

Post cujus mortem electus erat Joannes Wykewan prior ejusdem monasterii, 12 kal. Januarii, et in die Thomæ apostoli ab episcopo Bathoniensi, tunc cancellario Angliæ, benedictionem accepit; et obiit, transactis prælationis 26 annis, anno Domini 14**[2] Acquisivit de novis terris et tenementis £9 11 sol. anniversarii,[3] et fecit festum Epiphaniæ solemnizari sicut in septem festis cum octavis.

---

[1] The whole proceedings in the matter of his appointment, viz., the application to the king for leave to elect, the *congé d'élire*, the record of election, certificate to the king, royal assent, benediction by the bishop of Bangor, &c., are prefixed to his Register in Cotton MS. Titus C. ix. ff. 1–4. The names of all the brethren at the time are given.

[2] *sic.* He died in 1460.

[3] *sic.*

Huic successit Ricardus Penbrok,[1] doctor inceptor in theologia, electus voce totius conventus anno Domini 1460, tertio die Martii, qui ab Herefordensi episcopo benedictus fuit. Præfuit monasterio annis septem, et obiit septimo die Maii, anno Domini 1467 et regis Edwardi IV. septimo. A.D. 1460-1514.

Huic successit Ricardus Hauskysbery prior, electus anno Domini 1467, benedictione ab episcopo Lincolniensi suscepta, 6 Augusti (qui tum erat dies Martis) est installatus. Hujus tempore magnates convolarunt adeo frequenter ad monasterium ut non sufficeret[2] redditus. Itaque monasterium ære alieno obligatum reliquit ad summam mille marcarum quam successores solvere cogerentur. Præfuit annis decem; obiit 6 Aprilis anno Domini 1477, anno Edwardi IV. septendecimo.

Huic successit Willielmus Upton, monachus hujus domus et prior de Alcestria, 18 die Aprilis, anno Domini 1477, qui reperiens monasterium gravatum ære alieno ad summam mille librarum, solvebat totum. Hic quinque tantum annis præfuit, mortuus anno Domini 1483, 11 die Augusti, anno Edwardi IV. vicesimo secundo.

Huic successit Joannes Norton, prior claustralis, 4 Septembris anno Domini 1483, Ricardi III. primo. Hic providebat ut in die anniversarii sui unusquisque fratrum viginti denarios [haberet], et ut fratres haberent unam damam ex damnario de Offeham (et ideo ampliavit parcum de Offenham), cum vino de cellario abbatis. Præfuit annis octo; obiit anno Domini 1491, secundo die Julii, anno Henrici VII. septimo.

Huic successit Thomas Neubold, cellerarius monasterii, anno Henrici VII. septimo, 18 Julii, 1491, ab episcopo Herefordensi consecratus. Præfuit annis viginti duo et ultra, et anno Domini 1514 mortuus est sexto die Decembris.

---

[1] Almoner in 1418; ordained acolyte and subdeacon by Richard [Belmer], bishop of Achonry 18 Dec. 1428; ordained deacon, 15 Feb. 1429. Titus C. ix. ff. 1, 33 b.

[2] *sufficeret*] sufficerat, MS.

A.D. 1514-1539. Quo mortuo in abbatem elegerunt fratres Clementem Lichefeld, priorem monasterii, 28 die Decembris anno Domini 1514.[1] Solvebat suo tempore multas summas, primo, regi Henrico VIII. pro libera electione consuetam summam, viz. £160, et Thomæ Wolsey, tunc regis eleemosynario, £100 pro voluntate sua, non justa causa. Præterea dedit eidem regi mutuo 500 marcas una vice quas postea dedit, sicut cæteri fecerunt; deinde solvebat eidem regi pro quinta parte possessionum 500 marcas. Item postea pro redemptione (ut rex voluit) præmuniri 500 marcas. Item dedit Wolsio cardinali pro visitatione sua £50. Item solvebat Laurentio cardinali venienti in Angliam £1. Item alio tempore ad habendum Wolsii benevolentiam erga religionem pro sua parte £20; et oneratus est singulis annis servis regis advenientibus, quibus dedit semper aliquid, nunc 40d., nunc 6s. 8d., nunc 13s. 4d. et quibusdam 20d.[2] et ultra, et similiter servis cardinalis et principis, et habuit equos regis uno anno cum servis viginti quatuor quotidie ad mensam.[3]

Verus et annuus valor monasterii de Evesham taxatur per commissarios domini regis Henrici VIII. [anno] 27., tam in temporalibus quam spiritualibus per annum, ultra omnes deductiones, £1173 12s. 10d.

1514] 1513 MS.

sic: qu. 20*s.*?

[3] "Clemens Lichfeld convocationi medio anno 1536 interfuit: subsc. autogr. Cleop. E. 5. Phil. Hawford, alias Ballard, ultimus abbas. Dissol. 17 Nov. 1539. Athen. Oxon., part i. p. 177." Wharton, in Lambeth MS. 589, p. 41. Lichfield [*alias* Wych] resigned in 1539 to avoid the dishonour of surrendering the abbey, and Hawford was appointed simply to carry out the will of the king. Lichfield died at Offenham in Oct. 1546, and was buried in All Saints, Evesham.

GLOSSARY.

GLOSSARY.

A.

Actor. Plaintiff. "Actor est qui "agit et vocat alium in jus . . . "Actorem quoque appellant juris- "consulti *petitorem*, reum vero "*possessorem*."—Calvini Lexicon Juridicum (Genev. 1622). Hence the meaning of the passage at p. 151 ("quum esset reus a re . . "actor effectus est") would appear to be, "Clipstone, although "he was the defendant both as to "the matter in dispute (since he "had been placed in possession "of the jurisdiction of the monas- "tery), and also as to the actual "condition in which he stood, (as "was shown by the sentence "afterwards given against him,) "was nevertheless appointed to "open the pleadings as plaintiff."

Advocatio. Advowson. 223, 284, 294, &c.

Alba. An alb. 101, *n.*, 262, *et sæpe*. "In "albis," *i.q. surplice-days*. 219, 280, 308.

Allec. 217, *n.* Allecia. 216, *n.*, 221. Herrings.

Almicium. An almuce, amess, or furred hood, worn in the choir. 296.

Ambulatorium. An ambulatory; a place for walking-exercise. 309.

Amictus. An amice; "a white "linen napkin or veil, worn by "all clergy above the four minor "orders," (Pugin's Glossary,) ornamented with an apparel or embroidered border. 296.

Amortizamentum. The obtaining licence to hold lands in mortmain. 306.

Annale. A year's mind. When an abbot or monk of another house, who was also a member of the chapter of Evesham, died, his allowance of bread and beer, if an abbot, was daily to be given to some poor person for a whole year (*ad annale*), if a monk, for thirty days (*ad tritennale*). 220.

Antiphonare. The service-book containing the antiphons. 268.

Apparatus. Apparels; small pieces of stuff, silk, or embroidery attached as ornaments to the amice or the alb. 269, 271. [*See* Rock's Church of our Fathers, vol. I. p. 438.] Cf. *Parura*.

Aquarium. A vessel for the holy water. 301.

Aspersorium. The aspergill, as

perge, or instrument for sprinkling the holy water. 301.

ASSARTO. To clear wood-lands; to plough up forest or waste land for tillage. 212, *n.*, 275.

ASSARTUM. Ploughed land, land cleared for tillage. 75, 124, 126, 127, 262, 275, *et alibi.*

AVERIUM. Farm cattle, especially oxen for the plough. 278. Used at p. 267 of a heriot paid to the sacrist.

AULA. The hall, or common-room, of the abbey. "Aula æstivalis." 296. The guest-chamber, "aula "hospitum." 99, 262, 287, 291. The hall of a manor-house: 300, 304. "Aula abbatis." 102, 276, 287.

AURIFRIGIUM. Gold fringe. 263, *n.* Commonly used for the orphrey, or band running up the middle of a chasuble.

B.

BACINUS. A bason. 216.

BARO REGIS. A tenant in chief, or vassal of the crown. 79, 89. "Di- "cebantur *Barones Capitales*, "alias *Barones Regis*, alias *Capi-* "*tenei Regni*, quod de Rege, qui "caput regni est, immediate "tenuere."— Spelman, Gloss. Archæol.

BARONIA. A barony, or manor. 223.

BASIS. A pillar. "Volta optima "absque base media," unsupported by any central pillar. 286. "*Hec basys*, the grownd "pelyr."—Wright's Vocabularies, 1857, p. 261.

BAUDEKINUM. Baudekin, a stuff composed of silk interwoven with gold. 281.

BENEFICIATI. Persons holding an ecclesiastical benefice. 277.

BERTONA. The barton; the yards and out-offices, or home-farm. 276, 287, 292, 296.

BIGA. A two-wheeled cart. "Biga "curiæ," one of the usual carts employed in the court-yards. (?) 212, *n.*

BLODIUS. Blue. 296, 302.

BOSCUS. A wood. 262 *ter*, 301, *n.*

BOSTARE. A cattle-shed. 304 *bis.*

BOVATA TERRÆ. An oxgang; as much land as an ox can plough in a year; thirteen or fifteen acres. 75.

BRACINUM, BRASCINA. A brew-house. 101, 287.

BULLATUS. Sealed. 184.

BURSARIA. The bursary. 278, 280, 291.

BURSARIUS. The bursar. 280, 282, 297 *bis*, 307, 308.

C.

CADUCUM. Property obtained by lapse or reversion. 101, 124, 242.

CALIGÆ. Leggings; buskins. 244. (*See* Rock's Church of our Fathers, vol. II. pp. 243–252.) They are prescribed in the "Regula "Benedicti" as part of the monastic apparel, but were worn separate from the sandal or shoe; and

therefore it is part of Marleberge's charge against Norreys, that he wore his leggings "consutis eis "pedulibus more militum;" that, in fact, instead of wearing shoes and stockings, he wore a kind of military boot. Turrecremata, in his Commentary upon the "Regula" (1575, p. 250), says, "*Nonnulli* "monachi [pedules] divisos a "caligis portant propter sudorem "pedum, ut facilius possint eos "lavare." The prohibition of boots was, therefore, by no means general, if only *some* wore the shoes and leggings separate.

Camera. 1. The office of the wardrobe; the office charged with the supply of clothes, furniture, &c. 102, 105, 107, 119, 212, 298, 303, &c. 2. A chamber. 287, &c. 3. The office-chambers of the various officials of the abbey, ". . . . . "officinæ, videl. camera magistri "capellæ, camera sacristæ," &c. 286, 287.

Camerarius. The chamberlain; the officer charged with the wardrobe, &c. 220, 291, 306.

Camisia. Shirt. 104, 244. The Rule of S. Benedict only allowed the tunic and hooded cloak for ordinary wear; hence it is one of the charges against abbot Norreys, that "camisiis utitur contra "statuta ordinis nostri."

Cancellarius. The lord chancellor. 274.

Cancellus. Chancel. 287 *ter*.

Canon, *i.e.* Canon Missæ. The consecration prayer in the Holy Eucharist. 315.

Cantaria. "Liberatus a parva "cantaria," exempted from the office of chanting the minor portions of the service. 309. *See* a parallel passage quoted by Du Cange, from Ingulph, where it is stated that those who were thus exempted were such as had completed twenty-four years from their profession.

Cantulcope. A cope of sarcenet, so called. 279. "*Hec dalmatica*, "a canturcope."—Wright's Vocabularies, p. 231. *Canturcope*= *chantercope* (Rock, vol. II. p. 25), the cope worn by the chanter or precentor.

Capitalis. "Capitale messuagium," a principal messuage, or manor-house. 296.

Capitulum. 1. The chapter; the general body of the monks. 208, 213, 255, 257. 2. The chapter-house. 91, 98, 101, 117, 129, 206, 235, 269, 286, &c. 3. The chapter-meeting. 116, 206, 207, 238, 244, 253, 254. 4. The meeting of a ruri-decanal chapter. 196. 5. A chapter, or section. 215, *n.*, 258.

Cappa or Capa. 1. Cope. 85, *et sæpe*. 2. Besides bearing the ordinary sense of a *cope* this word is applied also to a black hooded cloak or mantle without sleeves, called the canon's cope. "Cappatus." Cloaked. 104, 243. "Aliqui, videlicet ul- "tramontani monachi, cucullam "dicunt cappam, habitum longum "et amplum, sed manicas non

" habentem . . . Flocus" (*sive Froccus*) "vero dicunt habitum " qui longas habet manicas."— Turrecremata, Comm. in Reg. Bened., tract. 121. Col. Agr. 1575, p. 250. For a description of the canon's cope, *see* Rock's Church of our Fathers, vol. II. p. 50. *Dies in capis*, ordinary service-days, opposed to *dies in albis* = festival or surplice-days. 219. " Non infrequenter in scrip- " turis antiquis significat indu- " mentum capitis quo monachi " utebantur equitaturi."— Reyner, Apostol. Benedictt. p. 11.

CARECTATA. A cartload. 309.

CARIAGIUM. Carriage, cartage. 305.

CARIO. To carry. 309.

CARITATES. Extra allowances of meat and drink (particularly the latter) on festivals and the commemoration days of benefactors. 122, 210, 218, *n.*, 219, 256, 257. *Caritas* = " loving cup, or draught of wine " as a pledge of mutual kindness." —Rock's Church of our Fathers, vol. II. p. 336. See *Justa*.

CARITATIVE. From pure goodwill, as an act of love, freely. 163, 196, 277.

CAROLÆ FRATRUM. Closets or studies in the cloisters, where the monks read or wrote in private. 361 [Cf. 286.] [*See* Parker's Glossary of Arch., and Raine's Gloss. to " The Priory of Finchale," published by the Surtees' Society.] There were such stalls at Gloucester and Durham.

CARUCA. A plough. 274, 275.

CARUCATA. A plough-land; as much land as can be tilled with one plough in a year. 75, 275, 285, 290, 291. &c. The measure was a varying one. [*See* the Glossary to Kennett's Parochial Antiquities.] The *hide* was a Saxon measurement; the *carucate* in some degree its Norman equivalent or substitute. [*See* Ellis' Introd. to Domesday, I. 150.] But they both continually varied.

CASULA. The chasuble. 84, 85, 93, 100, 262, 263, 288, 302.

CELLARIUM. The cellar or provision storehouse; the buttery. 106, *et sæpe*. " Cellarium vini." 287. " Vinum de cellario abbatis," wine of a better kind. [218, *note*], 339.

[" Bonum vinum cum sapore
" Bibit abbas cum priore,
" Sed conventus de pejore
" Semper solet bibere."—

Verses on a fly-leaf in Bodl. MS. Rawl. A. 384.] It appears from note 3 at p. 218, that the abbot's *bread* was of a better kind, as well as his wine.

CELLERARIUS. The cellarer; the officer who had charge of all the provisions. 206, *et sæpe*.

CEREVISIA, CERVISIA. Ale made without hops. 105, 109, *n.*, 110, *n.*, 115, 189, &c. The " Promptorium Par- " vulorum " calls this ale " potus " Anglorum." It distinguishes *hopped* beer as *cervisia hummulina*; this was introduced by foreigners. *See* Mr. Way's note, *ibid.*, p. 245.

CHARGERS. Large dishes. 303.

Cingulum. Girdle, or surcingle. 321.

Classicum. The ringing of bells, or a confused simultaneous changing. 35, 48, 49, 52, 314. *See* a note by Dr. Todd in the British Magazine, vol. xxx. p. 658.

Claustralis. A monk. 206.

Claustrum. A cloister. 101, 116, 206, 238, 244, 276, 286, 301.

Clausum. A close. 294 *bis*, 295 *bis*, 296.

Cœna Domini. Thursday in Holy Week. 215, 216, 220, 260.

Collateralis. A companion, associate ; a *sidesman*. 123, 248, 254.

Collatio. Supper. 219.

Comitatus. The court of the county. "Pro secta facienda ad "comitatum Wygorniæ," for doing suit and service at the shiremote of Worcestershire. 278.

Communa. Right of common. 212, *n.*, 262, 275.

Compater. Godfather. 328, 329.

Compotus. An account, reckoning. 206.

Completorium. Compline. 54.

Confrater. One of the brotherhood. 283, 309.

Consilium. An advocate, "coun- "sel." "Consilio suo tunc defi- "ciente," 309.

Consuetudinarius. A customary tenant. 214, *n.* 1.

Consuetudines. Customary services. 213, *n.* 2.

Conventiculum. A meeting, a synod, "Conventicula episco- "porum." 139. Apparently used as a semi-contemptuous term.

Conversus. A lay brother. "Fra- "tres vocatos *conversos*." 285. The name was sometimes applied to those who had assumed the monastic habit late in life ; but more frequently also to Jews who had embraced Christianity. *See* Prynne's Records, vol. II. pp. 835 –40. The Rolls Chapel was founded by Hen. III. as "Domus "Conversorum," a hospital for converted Jews.

Conus. The crown of the head. 330, 333, 337. "*Conus* dicitur *apex* "*galeæ*, forsitan a figura, pineam "nucem referente ; hic autem "sumitur pro *vertice capitis*." —Acta Sanctorum, Jun. vol. I. p. 87.

Coopertoria. 1. Coverlets, counterpanes. 122. Mentioned in Harl. MS. 3763 among the articles furnished by the chamberlain. — Tindal's Evesham, p. 188. *See* Wright's Vocabularies, p. 199 ; and "Promptorium Parvulorum," I. 97. 2. Coverings or hangings. "Sedile episcopale cum cooper- "toriis ipsius." 302.

Copbord (Le). The sideboard in halls. 304. "In mediæval halls "there is frequently a recess in "the wall at the end behind the "screen, which appears to have "been used for the sideboard, or "cupboard."—(Parker's Gloss. of Arch.) The *copbord* in the text would appear to have been of this kind.

Corrodium. The allowance of provision and clothing made by a religious house to their members, servants, or others. 210, 220, 290, 291.

CORTINA. A curtain, dorsal, or piece of tapestry, hung up in the choir of the church on festival days. 319. "Dedit etiam duas "cortinas, quæ Gallice *Dossers* "vocantur, ... quæ etiam in "præcipius festivitatibus pendent "in choro."—Chronicon Monast. de Abingdon, II. 213.

COTAGIUM. A cottage. 294, 295, 305.

CRASSETUS. A cresset; a torch fixed on a pole. 212, *n.*

CROFTA, CRUFTA. A close adjoining a dwelling-house. 98, 208, 215, *n.*

